RERUM AETHIOPICARUM SCRIPTORES OCCIDENTALES
INEDITI
A SAECULO XVI AD XIX
CURANTE C. BECCARI S. I.
Vol. VIII

PATRIARCHAE ALPH. MENDEZ S. I.

EXPEDITIONIS AETHIOPICAE

LIBER I ET II

ROMAE
EXCUDEBAT C. DE LUIGI
1908.

In opus "Expeditio Aethiopica"

patriarchae Alph. Mendez

CRITICA INTRODUCTIO

INTER scriptores rerum aethiopicarum Alphonsus Mendez, sin minus auctoritate, eruditione procul dubio et dignitate ceteris antecellit. De hoc tanto viro priusquam aliquid loquar, lectoribus praecipiendum existimo me a longiori Introductione, ut rei dignitas postularet, abstinere decrevisse. Cum enim ipse auctor in opere, quod nunc primum in lucem prodit, nihil aliud ferme quam de se deque suis in Aethiopia gestis fuse pertractet, fastidium legentibus ingererem, si ego eadem ferme, licet aliis verbis, iterarem.

Hic igitur ea tantum de gestis eius in Aethiopia attingam quae vel Patriarchae memoria forte exciderunt, vel a quibus ipse prudenti consilio tempori serviens, abstinendum censuit. Ad haec vero breviter exponam quae de eius vita ante vel post eius aethiopicam expeditionem sive ex historicis fide dignis sive ex ineditis documentis compertum habui. Quibus si addidero, perpaucis tamen, fontes illius Historiae huiusque dotes ac menda, legitimae legentium curiositati et officio meo arbitror me satisfecisse.

I.

De vita et gestis patriarchae Mendez deque aliquot eventibus ad missionem aethiopicam spectantibus, qui ante vel post eius in Aethiopia commorationem locum habuere (1).

1. Alphonsus Mendez ortum habuit, die vigesima octava augusti anno 1579, honesto loco Sancti Alexii in pago prope Mouram, Eborensis dioecesis trans flumen Guadianae sito. Mendesia gens, praecipua inter regionis familias, bellica virtute claruit, quia, fines inter Lusitaniam Hispaniamque incolens, non infrequentes Hispanorum incursiones repellere cogebatur. Ferunt historici Mendesios omnes procera fuisse statura validisque viribus; quod et in nostro comprobatum est.

2. Domi litterarum elementis imbutus, anno aetatis nono, cum magnam de se ob alacre ingenium spem faceret, a patruo, cathedralis ecclesiae Conimbricensis canonico, Conimbricam vocatus est ut in collegio Societatis Iesu, tunc florentissimo, bonis artibus imbueretur. Quam spem puer de se fecerat, hanc adolescens in grammaticae et humaniorum litterarum scholis confirmavit. Cum vero non minus in pietatis quam in litterarum studio profecisset, annum agens decimum quartum, in Societatem admitti summis votis expetivit et domum probationis ingressus est die secunda februarii anni 1593 (2).

(1) Fontes huius commentarii sunt plurima documenta inedita, quae asservantur in Tabulariis Vaticano (AV), S. Congregationis de Propaganda Fide (APF), S. Congregationis Concilii (ACC), Ulyssiponensi da Torre do Tombo (ATTL) et in Biblioteca Vallicelliana, quae hic singillatim recensere longum esset; quare ea lector in notis citata suo loco reperiet, una cum aliquot libris typis editis, a quibus aliquid hausi.

(2) ASI, *Catal. prov. Lusit. anni 1593*, p. 28: « Collegio de Coimbra. Novitios estudiantes, n. 429, Alonso Mendes de Sancto Aleixo, arzobispado de Evora; de 14 años; medianas fuerzas. Entro a 2 de febrero. De la Compañia 2 meses ».

Absoluto tyrocinio, in quo inter alios Emmanuelem d'Almeida socium habuit, rhetoricae operam dedit per annum ac dein philosophiae per quatuor totidemque theologiae; in quibus studiis ingenii acumine et diligentia quam maxime claruit. Ad docendum in eodem Conimbricensi collegio destinatus, litteras humaniores primum ac dein rhetoricam totos septem annos tradidit. Quo tempore suis praesertim poeticis elucubrationibus talem ingenii sui admirationem excitavit, ut inter primos sui temporis Lusitaniae humaniorum litterarum cultores recenseretur. Exacto tertio probationis anno et ad solemnem quatuor votorum professionem promotus anno 1612, sacris libris interpretandis, ob eius graecae et hebraicae linguae peritiam, addictus fuit in Conimbricensi universitate primum quinque annos, ac dein in Eborensi academia quatuor (1). Dum hoc munere tertio iam anno Eborae fungeretur, accidit ut Philippo IV, Hispaniarum et Lusitaniae regi academiam invisenti pater Mendez Universitatis nomine concinna oratione salutando deligeretur: quod munus noster ita praestitit ut magnam in principe sui admirationem excitaverit, adeo ut cum anno insequenti 1622 aliquot e Societate viros Regi proponerentur ut ex iis unum in Aethiopiae Patriarcham eligeret, Rex, vix ut inter eos nomen Alphonsi Mendez legit, hunc, reiectis aliis, in Patriarcham nominaverit ac mense iulio eiusdem anni Summo Pontifici confirmandum proposuerit (2). Urbanus VIII electionem pro-

(1) ASI, *Catal. prov. Lusit. 1614*, p. 17: « Collegio de Coimbra, n. 154: P. Affonso Mendes, natural de Moura, de 35 annos, 22 da Companhia: forças mediocres. Estudou hum anno latim, 4 curso e 4 theologia; leo latim 7 annos, 2 Escritura; he mestre em artes: vay em dous annos que fez profissão de quatro votos ». *Catal. I anni 1619*, p. 29: « Collegio de Evora, n. 11: P. Affonso Mendez de Moura, arçobispado de Evora; d' idade de 40 annos, da Companhia 17; mediocres forças; ouvio artes e theologia, em que he doctor e mestre; leo latim 7 annos, Escritura 7; he confessor dos irmãos e lê Escritura; professo de quatro votos ha sete annos ».

(2) Cf. Franco, *Imagem da virtude em o noviciado de Coimbra*, to. I, lib II, cap. 22, pp. 301-303.

bavit ac litteras apostolicas tum patri Alphonso Mendez, tum patribus Didaco Secco et Ioanni da Rocha, in episcopos auxiliares cum successionis iure delectis, mittendas curavit. Cum vero tantummodo litterae pro Patriarcha et pro episcopo Nicaeno (Didaco Secco) Ulyssiponem pervenissent, ne mora diutius protraheretur, die 12 martii 1623 in templo Societatis sancto Rocho dicato Alphonsus Mendez et Didacus Secco in episcopos inaugurati sunt a domino Ferdinando Martins Mascarenhas episcopo Algarvensi et generalis Inquisitoris munere fungente.

3. Hoc loco priusquam ad alia progrediar paulum subsistam ut quaedam de p. da Rocha attingam, quibus ratio reddatur cur ille, qui in Aethiopiam fuerat destinatus tamquam episcopus auxiliaris Patriarchae, huius labores in missione non participaverit. De hoc argumento neque Almeida, neque Mendez in suis historiis quidquam innuunt. Tunc enim apud plerosque historicos etiam Societatis canon vigebat omnia ferme, quae legentibus bono exemplo esse non poterant, silentio esse premenda. Quantum vero hoc a sinceritate et proprio historici officio sit alienum nemo non videt. In quavis enim societate nonnullorum errores et vitia, quae identidem historico enarranda occurrunt, praeterquamquod posteris monitum, sunt, veluti in pictura, umbrae, quibus magis eminent ceterorum egregia facta. Igitur quidquid ex documentis ineditis, quae ad calcem referam, de patre da Rocha, ab eius electione in episcopum usque ad eius obitum, pro certo comperi candide aperiam, atque ita locus in historia aethiopicae missionis ob silentium auctorum obscurus aliqua luce offundetur. Mirabar profecto Almeidam in Historia de eo, praeter mentionem electionis, ne verbum quidem fecisse, et Patriarcham in sua *Expeditione*, lib. IV, cap. IX, in quo continentur elogia patrum qui fuerant aethiopicae missioni addicti, n. 11, de patre da Rocha nihil nisi ingenium et scientiam laudasse. Cum vero mihi in manus pervenerint documenta synchrona, causam

huius silentii comperi. Ex his enim patet patrem da Rocha male se gessisse ut religiosus et postmodum uti episcopus ac praepositis Societatis non parvas molestias facessisse.

4. Electio huius viri in episcopum a Praeposito Generali probata non fuit, quia de hominis ambitione ipsi constabat, adeoque apud Pontificem egit ut litterae apostolicae, quibus eius electio confirmaretur, saltem ad aliud tempus remitterentur, et per visitatorem Indiarum iussit patrem da Rocha in Aethiopiam transmittere eadem omnino conditione habitum ac ceteri patres qui Patriarcham comitabantur. Primo quidem visus est ille hoc Superiorum imperium demisse excipere et ad vitandam externorum admirationem in Salsetanam insulam concessit (1). Verum cum tempus navem conscendendi Aethiopiam versus advenisset, clam se subduxit et militari habitu (quod mireris) indutus, Mascatem aufugit. Hoc facinus non exigua offensione acceperunt cives goani, ita ut ipse gubernator Indiarum Regi scripserit patrem da Rocha episcopali muneri aptum non esse, ideoque expeditionem litterarum apostolicarum omnino impediendam et Praeposito Societatis consulendum ut ipsum patrem intra claustra revocaret (2). At-


(1) « Aqui tomou o padre Ioão da Rocha a bombardada que de la se lhe acertou, bem merecida do juvenil ardor com que se arremeçou au roxete, sem dar por todos aqueles a que mais devia. Mas elle aseitou tudo de tão boa vontade e com tanta resignação que merece que Nosso Padre ponha os olhos nelle e na necessidade da igreja de Ethiopia pera a qual julgandoce ao principio que erão necessarios hombros de tres, ao presente ha só os meus tam fracos. Como V. P. sabe, elle se retirou a Salsede, que he o lugar mais acomodado, porque não pareceo que era conveniente saber toda a gen[te] de fora do termo que com elle se tomara, e os que derão fe do excesso ficarão com assas satisfação pera saberem que a retenção não foi a cazo ». Patriarcha Mendez, patri Nuno Mascarenhas Assistenti Lusitaniae, Goa, 8 nov. 1624, ASI, *R. p. Mendez, Aeth.*, doc. IV.

(2) « Sobre o bispo electo que do reino veyo em sua [do Patriarcha] companhia teve o visitador della nestas naos carta do seu Geral, polla qual lhe ordenou que se corresse com elle como com qualquer outro religioso, por quanto se havia suspendido a expedição de suas bullas por respectos que nisso se considerarão, e havendolho assy significado o visitador,

tamen, post aliquod tempus, p. da Rocha sollicitationibus amicorum apud Regem ita egit ut et litteras Roma obtinuerit et episcopi Hierapolitani dignitate auctus fuerit. Debuisset profecto, ut novo muneri satisfaceret, in Aethiopiam proficisci; verum loco missionis aethiopicae enixe petiit ut ad aliquem in Indiis episcopatum promoveretur, vel in Lusitaniam revocaretur. Neutrum ipsi a Rege concessum est, immo semel et iterum iussus est ut aethiopicum iter arriperet; quod tamen ipse non praestitit, et Goae praepositi capituli cathedralis, consiliarii proregis et concionatoris munere fungens ad obitum usque permansit, scilicet usque ad diem 20 iulii 1639 (1), quo medio tempore inter ipsum et canonicos simultates et dissensiones exortae sunt, ut constat ex documento cui titulus « Relação das cousas que soccederão em

se inquietou grandemente este religioso e se resolveo em se ir, como foi, escondidamente por via de terra em habito de soldado, no qual me escreveo o capitão de Mascate que fora visto naquella fortaleza; de que me pareceo dar conta a V. Mag.[de], e que não tem o dito religioso capacidade de para bispo, mormente em huma christandade tão tenra como aquella está, para que conforme a isso mande V. Mag.[de], sendo servido, advertir ao embaxador e agente em Roma, onde elle deve ir direito, que impidão a pretensão com que vay de negocear as bullas, e ao seu Geral que o faça recolher, se se não aquietar ». Epist. proregis Indiar. Vidigueira ad Regem, 2 mar. 1625. ATTL, *Doc. env. da India*, liv. XXII, f. 109.

(1) Cf. ATTL, *Doc. env. da India*, liv. XXIII, f. 189; XXVIII, f. 204; XXXI, f. 609; XXXVI, f. 407; Mendez, *Exped. Aeth.*, lib. IV, cap. IX, n. 11. Ex quatuor his primis documentis liquet quam serio et plures per annos Rex Lusitaniae instituerit ut episcopus da Rocha in Aethiopiam transmitteret. Iis primo quae scripserat prorex 2 mar. 1625 (doc. cit.) respondet: « Do que dizeis do p. João da Rocha..., não ha que alterar ». Iterum ipse Rex ad proregem: « Sobre as rezões que João de Velasco, procurador da provincia da Comp.[ia] de Jesus, propos para o bispo dom João... não passar a Ethiopia... me pareceo dizervos que o façais embarcar com effeito, porque não parece justo que deixe de ir cultivar aquella christandade... ». Pariter in alia epistola: « Me reprezentou o Patriarcha de Ethiopia a falta que o bispo faz naquella christandade .. He necessario trateis com mais calor de o enviar do que ategora se tem feito... ». Demum anno 1636: « Me pareceo encargarvos por esta, que se o bispo de Hierapolis não for vindo por este reino como ordenei, executeis o que tenho rezoluto acerca da sua vinda ».



EXEMPLAR AUTOGRAPHI PATRIARCHAE ALFONSI MENDEZ

Goa entre o cabido e seu governador o bispo de Hierapolis dom João da Rocha » (1), quarum causas et exitum non est cur hic singillatim referam.

5. His dictis de hoc viro non bene certe de missione aethiopica nec de Societate Iesu merito, ad Patriarcham redeo. Is annum fere integrum, qui electionem inter et inaugurationem in episcopum intercessit, in eo posuit ut summa qua posset diligentia ea sibi subsidia compararet, quae ad conversionem schismaticorum efficacius promovendam et ad Patriarchae dignitatem in oculis Aethiopum augendam conducerent. Ideoque supplicem libellum ad romanum pontificem Urbanum VIII misit, quo, praeter facultates amplissimas ob impedimenta ad romanam curiam recurrendi, etiam pallium et pontificalia indumenta et insignia flagitabat, ut constat ex eius epistola autographa Ulyssipone data 1ª maii 1622 (2). Pallium quidem et facultates obtinuit, praesertim valido patrocinio usus patris Nunii Mascarenhas Romae degentis, cui ipse in epistola 8 novembris 1624 gratias agit additque se procuratorem nominasse ad pallium e manu Pontificis sui loco accipiendum (3); verum quoad pontificalia ornamenta non videtur ea ipse a Pontifice accepisse; de his enim eum agentem legimus apud Lusitaniae Regem, cum bis ac ter per procuratorem provinciae patrem Antonium Colaço instanter petiit ut sibi bibliotheca, quae olim ad patrem Franciscum Suarez pertinuerat, tribueretur et pecunia daretur ad ornamenta pontificalia sibi comparanda (4). Quia tamen, absente Rege, qui tunc temporis Matriti degebat, cum Lusitania hispanicae ditioni esset subiecta, gubernatores Indiarum aliique ministri tricas nectebant, ipse Patriarcha ad Regem scripsit

(1) ASI, *Goana Hist.*, 1627-1659, doc. . . . .
(2) ASI, *R. p. Mendez, Aeth.*, doc. II.
(3) « Chegou tambem o breve que V. P. negociou e me mandou do supplimento do Pallio, e vay procuração na comformidade que V. P. me aviza ». ASI, *R. p. Mendez, Aeth.*, doc. IV.
(4) ATTL, *Collec. S. Vicente*, liv. XIX, f. 81 et f. 130.

mense februarii 1623, difficultates solvens quae ab istius ministris nectebantur et simul media proponens ad pecuniam pro huiusmodi expensis procurandam. Integrum hoc documentum ad calcem refero; ex eo enim constat quot et quibus difficultatibus ex conflictu variarum iurisdictionum, quae de eadem re, vi patronatus Portugalliae, ut dicitur, iudicare praesumebant, obnoxia tunc esset talium negotiorum expeditio (1).

(1) « Senhor. Porque vejo que com a pouca expediçam, que neste reyno dam alguns ministros de V. Mag.de ao que V. Mag.de com tam santo e catholico zelo ordena acerca da missam de Ethiopia, de que me tem encarregado, e que com qualquer dia de detença se impossibilita por este anno a viagem, do que se seguira grande dano áquelle imperio, a quem ia se escreveo o anno passado que V. Mag.de lhe avia de acodir neste com este soccorro spiritual; pera satisfazer á vontade de V. Mag.de e a minha consciencia, me dei por obrigado a dizer o que se passa e representar o remedio, que ia nem tera lugar, se V. Mag.de por hum trasordinario o nam poser, visto o aperto do tempo e calor com que as naos e os galeoes se aviam.

Escreveo V. Mag.de neste ultimo que logo se satisfizesse ao que por carta de 28 de setembro passado mandara escrever em resposta de huma consulta da Mesa da Consciencia, no que toca a livraria. O que entendo se nam faz neste. Mas o que tem passado na materia he o seguinte.

Mandou V. Mag.de em 28 de setembro se lhe respondesse se na livraria que ficou do padre Francisco Soares averia os livros que eran necessarios pera mim e pera meus companheiros, e se fizesse diligencia se os averia tambem no fisco. Ambas estas diligencias foram do governo remettidas á Mesa da Consciencia, na qual se escolheo hum deputado que se fosse informar do bispo Inquisidor geral sobre o que tocava ao fisco. O bispo lhe respondeo que aquilo nam pertencia á Mesa da Consciencia, a quem a Inquisiçam em nada he subordinada; que se lhe mandasse na forma devida, que elle responderia. Com isto assentou a Mesa da Consciencia que se nos desse a livraria do padre Francisco Soares por enteiro, pera della tomarmos os livros que nos servissem, e que os demais se trocariam por outros ecclesiasticos, como são missaes, breviarios, rituaes, etc., que sam precisamente necessarios pera grande quantidade de mancebos que temos aviso que estam instruidos na fé catholica e romana, e sabem latim de maneira que logo em chegando se podem ordenar. Esta consulta se perdeo duas ou tres vezes depois de sair da Mesa da Consciencia, até que ultimamente ficou entre os papeis de dom Nunalvarez Portugal, que Deus levou pera si, em cujo poder estava.

Mandou V. Mag.de mais se informassem logo de dom Antonio Mascarenhas donde determinava tirar o necessario pera nos aviar, e avisassem logo a V. Mag.de. Porem ategora se não tem tomado nenhuma informaçam delle. E pera que causa tam pia não pereça a puro desemparo, eu, aquem

Philippus IV petitioni Patriarchae satisfaciendum censuit iussitque Lusitaniae gubernatores, non solum ut Patriarcham necessaria, quam petierat, supellectili instruerent, sed etiam

ella oje mais toca, fis a diligencia que pude com outros ministros, ainda que nam pude fallar com os governadores em todos estes tres dias que ouve entre correyo e correyo, pella muita occupaçam que tem em semelhantes conjunções. E mandando a hum delles hum papel, em que lhe representava que executassem logo as ordens de V. Mag.de, visto o perigo da tardança, ategora nam tive reposta.

Dis dom Antonio Mascarenhas que elle tem in promptu dinheiro da Cruzada, com o qual, sem se fazer falta a nenhuma das obras pera que ella esta consignada, podera acodir a esta presente necessidade, provendonos d'ornamentos e mais peças, na conformidade da consulta da Mesa da Consciencia; e que depois se lhe pode satisfazer da terça das comendas da ordem de Samtiago, ou com o real de cada bulla, que V. Mag.de costuma applicar ora a huma ora a outra obra pia, ou de algumas dividas antiguas e mui atrasadas da mesma bulla, ou mandando V. Mag.de que se consigne o pagamento do que elle agora der em algum contracto. E que muitas vezes se deu dinheiro da Cruzada nesta forma, e elle proprio acodio o anno passado aos governadores com seis ou sete mil cruzados pera cousa que nam hera tam pia e urgente como esta.

O bispo Inquisidor, qual diz que elle nos accomodara dos livros necessarios do que ha no fisco, se V. Mag.de lho mandar em carta dirigida a elle proprio segundo o stylo que V. Mag.de guarda com as pessoas que tem seu officio e com elle proprio em materias semelhantes, como ha poucos dias, querendo V. Mag.de que se acodisse com dinheiro do fisco as presentes necessidades temporaes do Estado da India e que elle acudira a spiritual de Ethiopia com grande gosto, mandandolho V. Mag.de na forma sobredita.

A consulta sobre as ordinarias se mandou a V. Mag.de no passado, na qual V. Mag.de ordenara o que for servido com tanto que não se remetta a cousa ao visorey da India, por muy grandes inconvenientes que ha que agora se nam podem apontar.

Este he o estado das cousas e os remedios que se me offerecem, os quais se nam se applicarem com resoluçam, estou muy certo que se seguir, porque fis todas as diligencias possiveis pelo impedir e ficarei entendendo que por meus peccados impede o mesmo Senhor o bem que V. Mag.de traça pera aquelle imperio, e se nam quer servir de mim nesta impresa, em que nam posso entrar sem armas necessarias que sam ornamentos e livros. Deos guarde a catholica pessoa de V. Mag.de. De Lisboa, 18 de fevereiro de 1623.

ALPHONSUS electo Patriarcha Aethiopiae ».

ATTL, *Collec. de S. Vicente*, liv. XIX, f. 130.

numerum missionariorum Societatis, praeter Patriarcham eiusque socios, ad duodecim, ut idem proposuerat, augerent. Noluit tamen ut pecunia bullae Cruciatae pro his expensis suppeditaretur (1).

6. Quam scite et prudenter a Patriarcha factum fuerit ut bibliothecam patris Suarez secum adduceret in Aethiopiam, ex eo constat quod hi libri potissima fuerunt instrumenta ad schismaticos confutandos et ad cognitionem Scripturae Sacrae, aethiopice versis praecipuis tunc temporis commentariorum libris, insinuandam. Attamen hoc etiam postmodum patribus Societatis et Patriarchae a quopiam vitio fuit versum (2), quasi bibliotheca librorum theologicorum ad pompam Patriarchae et Societatis pertinuisset. Utinam aliquot saltem huius generis libri ad missionarios, qui Iesuitis suffecti fuerunt, Roma missi fuissent, quibus, praeter pecuniam ad itinera et sustentationem, nihil aliud fuit suppeditatum quam plura exemplaria concilii Chalcedonensis, illius scilicet concilii, cuius auctoritatem Aethiopes semper detrectarunt!

7. His rebus instructus Patriarcha anno 1623 die 25 martii Ulyssipone solvit et laboriosa admodum navigatione Goam appulit 28 maii anni insequentis 1624: unde mense novembri Dium se contulit ut opportunitatem navigandi Aethiopiam versus opperiretur, quam tamen nonnisi mense aprili anni 1625 nactus est. De quo itinere deque eius praeclare gestis in suis hisce *Expeditionis Aethiopicae* libris copiose disserit ipse Patriarcha; ad quos lectorem remitto, ne eadem in eodem volumine iterentur. Hic ea tantum indicabo quae ad leges et statuta

(1) Cf. « Carta do Rey escrita em Madrid a 7 de março 1626 pera os Governadores de Portugal ». ATTL, *Collec. de S. Vicente*, liv. XIX, f. 129.

(2) Cf. epistolam patris fr. Antonii a Virgoletta O. MM. RR. ex Girge datam ad S. Cong. de Propag. Fide, 6 aprilis 1639 (APF, *I Aegypt. Aeth.*, vol. 211, ff. 89-92ᵛ), in qua loquens de Iesuitarum divitiis ait: « doi de' quali padri [gesuiti] li ladri vedendo *quei vasi pretiosi*, l'ammazzorono all'altare *per rubar li calici* », et de Patriarcha subdit: « solo la libraria del Patriarca importava, secondo ha riferito il padre Diodoro, *più di ventimille scudi!* ».

a Patriarcha in Aethiopiam inducta pertinent, quorum pleraque gravate admodum Aethiopes tulerunt et persecutioni catholicorum patrumque et ipsius Patriarchae expulsioni praetextum praebuere.

8. Profecto, si Patriarcha penitius agnovisset orientalium christianorum etiam catholicorum mores, consuetudines et longo usu receptas et Patribus probatas leges et liturgias, et Ecclesiae Aethiopicae, licet schismaticae, historice probatam cum illis necessitudinem, abstinuisset absque dubio ab edicenda lege pro caelibatu clericorum, a proscribendis communione sub utraque specie, quartae feriae ieiunio illudque in sabbatum transferendo, ab imponendis Latinorum calendario et liturgia (1). Sibi enim persuadere potuisset orientales omnes ecclesias ieiunium quartae feriae sancte inde a primis saeculis custodire, diem sabbati tamquam festum, licet minoris gradus quam dominicae, habere, in eoque a laboribus abstinere; clericis etiam sacerdotibus matrimonium indulgere suasque liturgias, e quibus aethiopica originem habet, immutatas fere ut a ss. Patribus acceperunt, hucusque servasse. Poterat profecto Patriarcha ista omnia, quae certe catholicae fidei non repugnant, Aethiopibus permittere, easque tantum consuetudines abolere, quae superstitionem sapiebant, ex. gr. baptismatis iterationem, vel ritus proprie iudaicos, ex. gr. circumcisionem, immunditiem legalem in foeminis, discretionem inter mundos immundosque cibos aliaque his similia. Haec eadem tamen, amota omnis superstitionis idea poterant etiam meo

(1) Ludolphius quoad haec iam suo tempore notaverat: « Nec prudentiam in eo [Patriarcha] desiderasses, nisi... quae comi via et paulatim introducenda erant, donec homines novis ritibus assuescerent et animi dissidentium coalescerent, severitate atque impetu statuere atque tueri maluisset. Sic factum ut initio rigide constituta, postremo remittere et cum maximo auctoritatis suae dispendio relaxare cogeretur. Alii contra, ut Gregorius mihi retulit, eum excusaverunt quod sub adventum suum res a missionariis praecedentibus eo iam provectas reperisset ut honeste eas retractare non potuerit ». *Hist. Aeth.*, lib. III, cap. XIV, n. 30. Quibus ultimis Gregorii verbis ex parte saltem subscribendum censeo.

iudicio permitti. Certum est s. Ignatium, cum Oviedum primosque patres in Aethiopiam misit, inter alia sapientissima monita hoc ipsis impense inculcasse, ut in christianis Aethiopiae eos omnes usus, consuetudines legesque tolerarent quae cum principiis fidei catholicae non manifesto pugnabant: « Quitados los abusos substanciales en quanto perjudican á la fé sincera; de los otros abusos por el principio si pudieren quitarse ó diminuirse con favor del Preste Juan, es mejor; si no pudiere ser, a lo menos hagase esto constar quanto se pudiere que no ay obligacion para observarlos y que es mejor no los observar aunque se permitan... » (1). Ubi probe notandum sanctum Ignatium de abusibus (2) loqui non vero de usibus ubique etiam a catholicis in Oriente receptis, ut ex. gr. liturgiae celebratio, dies festi, ieiunia, matrimonium clericis permissum.

9. Haec si Patriarcha Aethiopibus ab initio permisisset, non adactus fuisset paucis post annis, Seltan Sagad et populo reclamante, eadem ipsa indulgere, non modo cum magno suae dignitatis sed etiam catholicae religionis detrimento; cum populus ex modo agendi Patriarchae et patrum sibi persuasum habuisset huius generis consuetudines ab Alexandrina fide seu ab haeresi eutichiana separari non posse, ita ut statim ac Patriarcha ea demum indulsit, maior monachorum, clericorum et populi pars proclamavit Alexandrinam fidem esse restitutam. Patres enim ritus et consuetudines aethio-

(1) ASI, *Goana*, *Hist. Aeth.*, 1549-1629, doc. IV, ff. 8-12 (*Rer. Aeth. script.*, vol. I, pag. 237-254 integrum exhibui documentum). In ms. originali loco horum verborum legebatur: « Toleren lo que se puede etiam la circuncision mente donandae salutis ». Quae verba sanctus Pater abrasit iisque supra citata substituit.

(2) Prudenter s. Ignatius abusus tollendos bifariam distinguit, primo: in eos scilicet, qui a fide abhorrentes omnino tolli debebant, ut ex. gr. collatio baptismi invalida ob formae ineptitudinem, usus aquae paucis vini guttis permixtae in calicis consecratione, inauguratio infantium in diaconos et similia; et secundo, in illos qui tolerari poterant saltem in initiis, ut ex. gr. ea quae supra notavi a Patriarcha fuisse omnino abrogata.

picas proscribentes populo persuaserant fidem catholicam a ritu latino dissociari non posse. Superius dixi hunc modum agendi Patriarchae et patrum praetextum persecutioni praebuisse: huius enim verae causae aliunde sunt repetendae, quemadmodum Almeida, Barradas et ipse Patriarcha in suis operibus egregie demonstrarunt et ab historicis posterioribus fide dignis confirmatum est (1).

10. Addo insuper: modus ille agendi Patriarchae erga aethiopicos ritus, qui nostro hoc tempore inexcusabilis videretur, duplici ex capite saeculo XVII excusari potuisse, scilicet tum ex ignorantia antiquitatis et pretii aethiopici ritus et necessitudinis quae consuetudines illius Ecclesiae cum ceterarum orientalium consuetudinibus intercedebat, tum ex usu tunc temporis recepto apud omnes fere missionarios inducendi latinos ritus inter omnes populos ad quos mittebantur, sive hi ethnici essent, sive schismatici, aut protestantes. Qui tamen agendi modus, cum schismaticos orientales ab unione cum Ecclesia catholica retraheret, paulatim improbari coepit, et, non modo orientalibus ad catholicam fidem conversis usus suarum liturgiarum fuit permissus (2), sed omnino vetitum fuit catholicos ab uno in alium ritum transire (3). Neque illud tacendum, potuisse, ne dicam debuisse Romanam Curiam, sive

(1) Vide Hergenröter, *Handbuch der Allgemeinen Kirchengeschichte*, II Band, s. 471, Freiburg in B. 1880; Ranke Leop., *I pontefici romani* (vers ital.), to. II, p. 500; Guidi, *Uno squarcio di storia ecclesiastica di Abissinia* (dal *Bessarione*, an. 1900, p. 12); *La Chiesa abissina e la Chiesa russa* (dalla *Nuova Antologia*, vol. XXVI, fasc. 16 apr. 1890); Massaia card., *I miei trentacinque anni di missione nell' alta Etiopia*, vol. XII, cap. 1, n. 9.

(2) Quoad Aethiopes S. C. de Propaganda Fide iam inde ab anno 1640 missionariis, qui Iesuitis successerant, praecepit ut eorum ritus et liturgiam non mutarent: « Relatis difficultatibus ... Congregatio censuit instructionem esse faciendam pro praedictis missionariis qua admoneantur ... 2° Ut circa ritus et praesertim liturgias et divina officia protestentur se nolle eorum ritum immutare ». APF, *Acta* an. 1640-1641, f. 93.

(3) Immo nostris diebus ad promovendam schismaticorum orientalium conversionem concessum aliquibus missionariis latini ritus ut eorum ritum amplecterentur.

quando missio aethiopica instituta fuit cum patriarcha Oviedo, sive quando restituta cum patriarcha Mendez, saltem circa aethiopicae liturgiae usum aliquid praecipere aut ad minus consulere, cum iam sub Paulo III cura Petri archimandritae (Tesfa Seon) missale aethiopicum Romae editum fuerit (1).

11. Quod si patriarcha Mendez excusari potest circa hanc consuetudinum aethiopicarum proscriptionem, a culpa meo iudicio vacare non potest, cum latinas missas, aethiopice a patre Fernandez iussu suo versas, aethiopibus sacerdotibus legendas imperavit. Hoc enim limites suae potestatis certo certius praetergrediebatur, adeoque mirum non est Sacram Congregationem de Propaganda Fide aethiopi cuidam sacerdoti a Patriarcha inaugurato iussisse ut aethiopico ritu in missa celebranda uteretur et a missis latinis aethiopice versis legendis omnino abstineret. Quodque magis mirum est, dum a S. Congregatione petiit utrum posset communionem sub utraque specie et Paschae celebrationem iuxta calendarium aethiopicum indulgere, quae res in sua potestate erant, de missis latinis aethiopice versis sacerdotibus aethiopicis impositis mentionem nullam facit (2).

12. De Patriarchae exilio ex Aethiopiae finibus, de eius captivitate sub Turcarum potestate Suacheni, deque eius redemptione et in Indias regressu, nihil addam iis quae ipse de se narrat in lib. III, cap. VIII-XIII, XV, XX-XXIII, XXXI. Pariter

(1) Nomine Missalis Aethiopici edita fuit a Petro liturgia illa aethiopica quae sancti Basilii vocatur, quaeque, ut notum est eruditis, eadem est ac liturgia sancti Basilii coptica, denuo excusa in Appendice II *Bullarii Patronatus Portugalliae,* Ulyssipone 1870-1873. Iste Petrus archimandrita praedictus sequenti modo se subscribit: « *Tesfa Seon Malezô filius Tecla Haimanôt de monte Libano, Sancti Stephani quod in Vaticano Aethiopum est,* in documento quodam quod in Bibl. Vallicelliana servatur: « Memorie storiche di varie missioni straniere », L, 22, ff. 229-234v. Huic documento aethiopice conscripto et latine reddito affixus est perperam titulus « Epistola Regis Aethiopiae », cum nil aliud sit quam illa eadem epistola ad lectores quam Tesfa Seon affixit editioni an. 1549 IIae partis Novi Testamenti aethiopice exarati.

(2) APF, *Lettere latine,* 1630-1646, vol. IX, f. 132.

quantum ipsi curae fuerit missio aethiopica per totos illos viginti et amplius annos quos Goae posuit, quotque labores exantlaverit ut remedium aliquod perditis prope missionis rebus, sive Roma sive ex Lusitania sive ex ipsis Indiis, afferret, ad librum IV ipsius Historiae lectorem remitto. Hic tantum aliquot eventus exponam, qui, dum Patriarcha Goae commoraretur, locum habuere, quique vel ab historicis silentio premuntur, vel ex novis a me repertis documentis clarius elucescunt.

13. Et primo quidem de institutione novae missionis aethiopicae a S. Congregatione de Propaganda Fide Minoribus Fratribus Reformatis attributae, quae locum habuit post Iesuitarum expulsionem eo ipso tempore quo Patriarcha captivus Suacheni detinebatur. De expeditione enim fratrum Capuccinorum ducibus fratribus Agathangelo et Cassiano, hoc ultimo tempore inter beatos martyres adnumeratis (1), quae expeditionem Fratrum Minorum praecessit, non est hic disserendi locus, quia, etsi animarum studio illorum virorum, admiratione quidem digno sed non valde consulto ortum habuerit, tamen, missionariis omnibus e medio in ipso ingressu sublatis, nullum posthac sortita est effectum. Occasionem autem novae missioni Minorum Reformatorum instituendae praebuit adventus Romam famosi illius nebulonis aethiopis, Zaga Christôs appellati, qui se iactans filium Iacobi imperatoris et legitimum aethiopici regni heredem, suis artibus non modo Fratres Minores, cum adhuc in Aegypto ac dein Hierosolymis degeret, decepit, sed falsis confictis documentis non tantum Congregationem Romanam, sed etiam aliquot alios Europae principes potentesque respublicas in suas partes adduxit. Omissis huius hominis gestis, quae ad Aethiopiae missionem non pertinent quaeque in Historia Ludolphii, praeter alios, legere

(1) Praecipuum in disceptatione martyrii horum patrum coram SS. Rituum Congregatione argumentum fuit testimonium Patriarchae Mendez, qui litteris datis ad S. Cong. de Prop. Fide, die 10 octobris 1648 mortem pro fide catholica ab illis obitam testatus est. APF, *Scritt. riferite ne' congressi*, 1630-1698, ff. 234-241.

est (1), illud brevi exponam quod Romae patravit. Urbem attigit sub finem anni 1632 et traditis S. Congregationi de Propaganda Fide commendatitiis epistolis moderatorum conventuum Fratrum Minorum Cairi et Hierosolymorum, quibus ipsum esse Aethiopiae principem et Iacobi imperatoris nepotem asserebatur (2), multa et gravia contra Patriarcham et patres Societatis effutiit, asserens Aethiopum odium non contra religionem catholicam, sed contra Iesuitas et Lusitanos exarsisse. Quare si eodem mitterentur missionarii, qui nec Iesuitae nec Lusitani essent, omnem persecutionem brevi finem habituram. Quod si Sacra Congregatio daret litteras ad Principes Europae in sui favorem ita ut regnum adipisci posset, promisit se omnem operam daturum ut religio catholica in Aethiopia instauraretur, immo et pristinis favoribus cumularetur. Et initio

(1) *Comment. ad Histor.*, II, 9, 35, §§ 5-7.

(2) « Copia. — Nos frater Paulus a Lauda Ordinis MM. strictioris observantiae .. apostolicus commissarius, Terrae Sanctae custos ac sacri montis Sion guardianus et servus etc. Universis et singulis... fidem facimus ac verbo veritatis attestamur qualiter Ill.mus praesentium lator nomine Aabel Messinh seu Athanasius, aetatis annorum sexdecim (ut ipse ait), dum nos in Cayro praefecti officio fungentes missionum in regno Aegypti, visitavit Ill.mum Consulem Venetum comitatus a tribus servis suis et medio interprete dixit cum magna animi tristitia se esse filium Claudii Arzô regis Iabes, qui, cum non esset catholicus, a proprio fratre iam fidem nostram profitente Lusitanorum praesidio fuit occisus, filiisque regis hinc inde fugientibus, regnum fratricida usurpavit. Nos, haec et multa alia audientes et senilem animum in eo prospicientes, pro nostri muneris ratione illum ad nostrum domicilium benigne invitavimus, intimius praedicta intelleximus et *genium sane regium introspeximus* mentemque illius excitavimus, litteras commendatitias Ierosolimis exhibendas, quo proficisci devotionis causa summopere affectabat, dedimus. Ierosolimam perveniens... eius rumor ad patriarcham Gregorium et Episcopum Armenorum pervenit eorumque favores et oblationes recusavit... Verum prudenter timens aliquam persecutionem ab invidis forte suscitatam iri, quorum mores respuebat et contemnebat, supplex petiit quam citius e sacra civitate egredi et alibi commorari: unde ad sacrum conventum Nazareth profectus.. in manibus fratrum totaliter se dedit, a quibus in fide catholica instructus.. Audiens postea nos divina miseratione ad guardianatus Ierosolimitani officium fuisse assumptos et per Nazareth esse transituros, summo afficiebatur gaudio cupiens solemnem fidei catholicae professionem in manibus nostris committere, sicut ibidem effective magno

quidem Sacra Congregatio dictis credidit ac negotium novae missionis instituendae agitare coepit (1).

14. Quod ubi post aliquod tempus ad Patriarchae aures pervenit, vehementer doluit et in gravissima epistola, qua calumniae contra Societatem refutabantur, in haec verba prorupit: « Si vero causa indicta nunc [Iesuitae] damnentur et, ipsis inauditis, alii mittantur praedicatores qui dicant: ' Haec nostra sunt: veteres migrate coloni ', se relicto a parentibus et avis et egregie ab ipsis exculto patrimonio spoliatos, et

religionis affectu emisit in solemnitate Ss Apostolorum Petri et Pauli praesentis anni 1632 coram fratribus... Praefatus sacerdos abyssinus nos visitavit, quem interrogavimus an aliquam haberet certam praefati iuvenis notitiam; respondit quod ab illo *nihil aliud audivit nisi quod devotionis gratia Ierosolimam venit;* sed bene *a servis eius* curiose separatim interrogatis uniformiter audivit *eum talem esse qualem nos asseveramus* iuvenem dixisse et quod fratricidam modo regnantem cognovit. Tandem suum humiliter significavit desiderium Romam adeundi, sperans Summum Pontificem sibi fore propitium prout ad maiorem Dei gloriam et propriam eius salutem magis ei videbitur expedire. Quibus omnibus provide attentis... deliberavimus eius iustis annuere votis eique necessaria ad iter perficiendum providere.. Contigit paucos post dies ut per sanctam civitatem Nazareth... transiret quidam nobilis Venetus nomine Marcus Lombardus, qui, statim ac eum in conspectu omnium fratrum aspexit, illum recognovit esse filium supradicti regis Claudii, viderat enim ipsum Fungis tempore occisionis patris eius. Et hoc ut omnibus pateret quasdam testimoniales manu sua subcriptas ad nos transmisit tenoris prout in eis; quibus a nobis acceptis, operae pretium duximus ad eum dirigere litteras cum eisdem testimonialibus, ut capta navigii opportunitate ad Almam Urbem se conferat.. Quapropter praelati nostrae seraphicae religionis ad quos merito novum nostrum hunc dignissimum alumnum dirigimus ulnis, quaesumus, paternae charitatis suscipiant... atque ita ad SS.mum Pontificem et ad Emin.mos Patres de Propaganda Fide, prout opportunius videbitur, praesentent... In quorum fidem... Datum Ierosolymis in conventu nostro S. Salvatoris die quarta septembris 1632. — Concordat cum originali... Franciscus Ingolus secretarius ». (APF, *I Aegypt. et Aethiop.*, vol. 211, f. 107).

(1) Ita Sacrae Congregationis secretarius Ingoli ad cardinalem Barberinum referebat: « Vedendo che 'l negotio dell'Etiope presso di V. E. è di qualche consideratione, ho stimato debito della mia servitù di significarle alcuni particolari, che facilmente le serviranno per pigliare intorno ad esso la risolutione che conviene.

Saprà dunque che questo giovane con molta confidenza è uscito con me e colla medesima ha trattato meco de' suoi affari... stava trattando

plus fidei datum erratico Aethiopi quam Patriarchae et episcopi Nicaeni testimoniis et vinculis et suis ultra octoginta annos laboribus in sterili illo arvo insumptis, iustissime ante Deum et homines conquerentur » (1).

coll'Ambasciatore Veneto, acciò scrivesse alla Repubblica che volesse condurlo in Etiopia, perchè riuscendoli di arrivare a quell'imperio, haverebbe riconosciuto come conveniva tal benefitio. Ma havuta la negativa dal detto Ambasciatore per diverse ragioni et in particolare perchè egli non era qui riconosciuto per tale quale si faceva, ha rivolto l'animo a valersi de' Francesi, ricusando di voler passare per le mani de' Spagnoli per il dubio che ha di non esser ritenuto per sempre in quella corte e temendo dei Padri Gesuiti che non lascino diligenza per impedirli il suo ritorno in Etiopia, ove essi e il Re Cattolico hanno tanti interessi massime col moderno Imperatore... Ha di più significato che vorrebbe andare in Ethiopia per la via del Mar Rosso e smontare in un porto detto Mazuâ, perchè ivi sono signori e prencipi suoi amici colli quali spera arrivar all'imperio di Ethiopia o almeno star con essi con qualche grado riguardevole. Da *questi pensieri grandi* V. E. potrà congietturare *che questo giovine non è nato bassamente* e che perciò conviene di far riflessione particolare alla dispositione della persona sua perchè, se fosse tale qual si fa e ritornasse in Ethiopia, potrebbe fare gran bene e gran male.... Mi pare non sia bene di lasciarlo attaccarsi ai Francesi, perchè questi cagionarebbono gran moto nell'Ethiopia e facilmente li Francesi per condurvelo sicuramente si varrebbono degl'Hollandesi che navigano l'Indie e colli Francesi s'introdurrebbono anche gl'Hollandesi heretici in quel ricco paese d'oro e di gioie e con essi si metterebbe l'heresia in Ethiopia.

Crederei che fosse meglio trattenerlo qui tutto quest'estate in qualche luogo fuori de frati con farli quelle carezze che si possono fare ad una persona nobile, e trattanto si potrebbe scrivere al collettor di Portogallo che s'informi da mercanti d'Ethiopia solamente di questo giovane e del suo stato et al consolo del Gran Cairo per il medesimo effetto... Se poi sarà tal qual si fa... si può credere che sosterrà la religione cattolica massimamente *se si manderà accompagnato da 4 buoni padri Franciscani*, alli quali egli porta affettione, con ordine che lo mantenghino nella fede e nel timor di Dio e che l'essortino ad opporsi alli tentativi della moglie di Cagued, quando, questo morto, volesse far quel tanto ch'egli dice che farà. *E questa missione de suddetti Padri* riuscirebbe molto a proposito per la Sede Apostolica, conform'all'esperienze sin qui fatte, colle quali s'è osservato esser meglio che ne' regni d'infedeli e scismatici vi siano religiosi di più religioni che d'una sola » (APF, *I Aegypt. et Aethiop.*, vol. 211, f. 109).

(1) Vide integram epistolam Patriarchae ad S. Cong.[nem] de Prop. Fide, Goa, 11 nov. 1638 in *Expeditionis Aeth.*, lib. IV, cap. IV (*Rer. Aeth. Script.*, vol. IX, pp. 253-256).

15. Sacra Congregatio, etsi novam missionem Fratrum Minorum instituendam decreverit (1), tamen cum rumor de Zaga Christôs morte Romae percrebuisset (2) ac deinde non modo suspicio de eius regiis natalibus orta fuisset, sed graves accusationes contra eum Romam pervenissent (3), gravium

(1) « Ad Congr. diei 3 oct. 1633 (Congr. 184) coram SS.mo . . . 2° Ex mandato Emin. D. Card. Barberini, per D. secretarium Tighettum secretario Ingolo significato, actum fuit de missione trium fratrum Reformatorum S. Francisci, videlicet fr. Simonis de Selza, fr. Antonii Virgolettae et fr. Pauli Romani in Ethiopiam, et, cum rationes propter quas haec missio decernenda sit, ab Eminentissimis Patribus fuerunt diligenter examinatae, placuit omnibus ut iuxta praedictorum fratrum petitionem fieret subpraefectura dicti fratris Antonii ». (APF, *Acta* 1632 et 1633, f. 317).

« Ad Congr. 187, diei 10 ianuar. 1634... 16° Referente Emin. D. Card. Pamphilio instantiam fr Antonii et sociorum Ordinis Reformatorum S. Francisci, alias ad Aethiopiae missionem destinatorum pro expeditione facultatum illis necessariarum et ut praedictae missioni adderetur fr. Ignatius de Perusio eiusdem Ordinis, unus ex scholaribus arabicis b. m patris Thomae de Novaria, et simul difficultates quae propter hanc Reformatorum missionem possent ocurrere cum patribus Societatis Iesu, qui sunt in Aethiopia, S. Congregatio, post maturam deliberationem, nemine DD. Cardinalium discrepante, oratorum petitioni annuendum esse censuit ob plures rationes, et praecipue quia saepius decretum fuit Sedi Apostolicae expedire magis ut ad provincias praesertim valde ab Urbe distantes religiosi duarum religionum quam unius tantum mittantur, ne, *si forte contingat religiosos unius in via morum et doctrinae deviare*, non sint qui se opponere illis, vel S. Congregationem de iis certiorem facere possint ». (APF, *Acta* 1633-1634, f. 4v).

(2) Ad calcem cuiusdam *Dubii* « Dubbio intorno al sig. Ethiope » manu secretarii Ingoli haec Decisio S. Congr. legitur: « N. 30 Die 28 augusti 1634, Congr. 196. Referente R.mo D. Torniello de missione Aethiopiae et de conventione a *Zaga Christo,* qui se filium Iacobi imperatoris Aethiopiae dicebat, facta cum Hollandis et Anglis ut illum in Aethiopiam ducerent, S. Congregatio nihil rescripsit, quia D. Benessa dixit litteras habere, in quibus de eius morte in urbe Placentiae agebatur ». (APF, *V, Lettere di Spagna, Portogallo,* etc, 1634, vol. 104, f. 97).

(3) « E.mo Sig. Padrone Colendissimo. — Giunsero in questo mio convento di campagna in Piacenza alli 13 del mese passato tre Padri, quali d'ordine di Nostro Signore vanno in Ethiopia con tre altri secolari, uno de' quali si chiama Zaga Christo, qual dicono esser figlio del Prete Iano, et quali tutti furono ricevuti da noi con quell'allegrezza che sa Dio, assignandogli subito il più a proposito allogio che fosse in convento. Trovossi infermo et aggravato la mattina seguente detto signore di Etiopia, et non s'è fatto in tal occasione quel che non potè farsi, non essendogli mancato medici, medicine da par suo, et senza doglia della sua borsa; i cibi, acciò

virorum expetito consilio, ab eo in Aethiopiam mittendo supersedendum censuit, licet idem Zaga Christôs, a qui-

fosse meglio servito, si son sempre fatti da' secolari et singolarissimi nostri benefattori; le cose per lui necessarie sempre sono andati a pigliare i Padri, nè mai, per spatio di vintidui giorni in circa che sono in convento, si è negato l'uscir di esso. Solo hieri che, essendo fuori doi di essi padri, ciascuno accompagnato con un frate del convento, venne il terzo, chiamato fra Ignatio per la licenza et benedittione d'uscire anch'egli (essendo andato a spasso in carrozza l'Ethiope); et vedendo io esser troppo che tre padri facessero frequentemente tre copie, oltre altre del convento, che necessariamente si trovano fuori ogni giorno, come cercatori, confessori di monache et per altri servitii, gli dissi che di gratia soprasedesse per alhora. Quivi, Eminentissimo Signore, non potrei narrare non che scrivere il strepito che fece quel padre. Per non esser tanto prolisso dirò solo che andò subito a pigliare un'obedienza di Sua Eminenza (qual per avanti non s'era vista, perchè senza veder altro s'erano ricevuti in convento) et impatiente, benchè il mio Vicario et altri padri facessero forza per trattenerlo finchè fosse partito un gentilhomo col quale raggionavo, volse venire et mostrarmela presente quel secolare, con dire ch'era mente di S Em.[za] dovessi dargli tutte le satisfattioni che dimandava. Ond'io, se ben conobbi che questa non era di quelle sodisfattioni che intende S. Em.[za], nondimeno gli concessi subito potesse uscire. Questo è poco: tornati che furono tutti a casa, andando un padre de' principali del convento a salutarlo, cominciò l'Ethiope a trattar seco con molto disprezzo, chiamandolo morbino et con altri nomi si fatti; il che sopportato patientemente dal padre volendosi scusare, venne a termine il Zaga Christo che si levò dalla sedia et, se non era un padre de' suoi compagni, gli metteva le mani addosso, replicando gli avrebbe gettato le budelle in terra et ordinando a tutti tre i suoi compagni frati, presenti altri padri del convento, che andassero la mattina seguente, che è hoggi, a cercare allogio in casa d'altri religiosi, come di fatto vi sono andati et seminato falsissimamente che ho licentiato esso signore. Piaccia a Dio si parti da questo convento quanto prima, chè i miei frati seranno privi di sì pestifera conversatione, quale altro non vomita che grandissime heresie, per non sentir le quali molti de' miei frati non vogliono comparire ove si trova. Et *se fa questo ritrovandosi nel cuore di Santa Chiesa, che farrà quando sarà arrivato in Inghilterra,* sentina e feccia di tutte l'heresie, ove ha già inviato tutte le sue robe et pensa quanto prima d'andarvi? Ho voluto dar parte di ciò a V. E. acciocchè come Padre e Protettore della nostra Religione facci qualche riflessione sopra quest'huomo, qual dubito un giorno sia per esser cagione di gran male. E mi perdoni della prolissità la prego facendogli profondissima riverenza.

Di Piacenza, li 9 agosto 1634.

Di S. E. humilissimo figliuolo e servo

Fra GIACOMO DELLA ROCCA D'ALGERI, Guardiano dei MM. RR.

(APF, *V, Lettere di Spagna, Portogallo,* etc., vol. 104, f. 92).

busdam fratribus Minoribus suis amicis adiutus, omnem lapidem moverit ad falsi accusationem ab se repellendam (1). Videtur nebulo de sententia, quam antea conceperat in Angliam se transferendi, decessisse; nam, contubernio fra-

(1) Duae extant illius epistolae ad S. Congregationem, quae integrae suo loco dabuntur; hic tantum ex his excerpam quae ad rem faciunt. « . . . Quelli che han fatto poca stima per il passato del timore del signor Iddio e della fedeltà che è convenevole al suo prencipe, col privar di vita mio padre, poco forse stimarano per l'avvenire far capitare costà o altrove altra falsità per levarmi il concetto; il che se succedesse pregarò la loro bontà a sospendere il giuditio fino al mio arrivo alla patria ». Ita Zaga Christos ad Cardd. S. Cong.[nis], Venetiis, 18 iunii 1634 (APF, *V, Lettere di Spagna, Portogallo,* etc., vol. 104, f. 93). Et iterum ad Card. Praefectum sub die 28 aug. eiusdem anni haec habet: « . . . Quel che mi travaglia è che parmi che la mia riputatione sia conculcata. Spero rimediare con mandare per strada sicura et in breve tempo certa relatione del mio natale. Onde prego V. E. che, se venissero altri avisi inviati da miei emoli et interessati dell'imperio, sospenda il giuditio finchè sarà il tutto verificato... V. E. non s'amiri di questo mio procedere poi che anco Christo nella sua partenza dal mondo avisò li suoi amici che non accettassero li falsi profeti ». (APF, *V, Lettere di Spagna, Portogallo,* etc., vol. 104, f. 94)

Eodem fere tempore pater fr. Paulus Romanus duabus ad S. Cong.[em] epistolis (dierum 3 et 16 iunii 1634, Venetiis) excusare conatur istius Aethiopis cum Anglis Hollandisque tractatus: « Sappia V. E. che, vedendosi questo giovane privo di ogni sorte di soccorso, qual sperava d'haver costì in Venetia, ne vuole adesso andare per l'Inghilterra e darsi nelle mani degli heretici, non già per aderire alle loro false opinioni, ma si bene acciochè per mezzo di vascelli inglesi et olandesi possi sicuro ritornare alla sua patria »; additque: « Giudichi adesso V. E. come padre nostro se gli pare espediente che noi suoi figliuoli l'accompagnamo per coteste parti. Io in quanto alla mia persona non proseguirò il viaggio fuori d'Italia... senza nuova licenza di V. E. e di S. S.[tà] ». (APF, *V, Lettere di Spagna, Portogallo,* etc., vol. 104, f. 91). Et in alia epistola: « Questo signore dopo d'haver per varie e diverse vie e suppliche tentato dalla Republica Venetiana soccorso per ritornar nell'Etiopia, altro fin adesso non ha havuto che buone parole . . . finalmente s'è risoluto di ricorrere per aiuto agl'Inglesi et Olandesi . . dopo molti trattati questo s'è concluso secretamente che il signore essendo tale qual egli si fa, sarà per mezzo di un'armata di vascelli olandesi condotto in quelle parti et a viva forza rimesso nel regno d'Ethiopia; non essendo poscia tale, lui colla sua comitiva, che siamo noi altri poveri frati, ci si minaccia come ingannatori d'esser tagliati a pezzi. Il giovane Ethiope con ciò si dimostra molto intrepido, si che dà segno di esser quello che lui dice. Del tutto ne dò ragguaglio a V. E. acciochè ci assicuri in coscienza e che determini quel tanto dobbiamo fare. . . ». (APF, *V, Lettere di Spagna, Portogallo,* etc., 1634, vol. 104, f. 95).

trum Minorum relicto Ludolphio teste, in Galliam se contulit, ubi quid egerit quaque turpissima morte obierit apud eumdem enarratum prostat (1).

16. Missioni aethiopicae recentius institutae vel restitutae primus praefectus pater fr. Antonius a Virgoletta renuntiatus est, et cum ex quadam epistola patris fr. Ignatii a Perusio Ordinis MM. RR. in Aethiopiam destinati Ulyssipone data suspicio orta fuisset patres Societatis novam expeditionem impedire velle (2), excommunicationis poena decreta est omnibus iis qui illud attentarent (3). Vana patris a Virgoletta

(1) *Comment. ad Histor.*, II, 9, 35, §§ 5-7.

(2) « . . . con questa di nuovo la vengo a salutare e riverire come è debito mio et notificarli come li pp. Giesuiti qua di Lisbona hanno mossa una grandissima persecutione, tàle che se non fosse l'Ill.mo sig. Collettore apostolico che mi favorisce, forse starei a mal termine, e tutto questo solo perchè vado parlando della missione dell'Etiopia, poichè essi temono molto che li nostri padri vadino là, in tal maniera che vanno persuadendo a S. A. S. l'impossibilità di questa missione e che noi altri saremo la destruttione loro mettendo per terra quello che essi hanno edificato . . . Onde li PP. di questo convento nostro di S Francesco m'hanno incaricato di volerne dar ragguaglio a V. S. Ill.ma ». Haec p. a Perusio die 1 febr. 1637, et S. Congr. die 11 maii, « Referente Emin. D. Card. Spada litteras fr. Ignatii de Perusio de officiis quae Iesuitae Ulyssiponenses ad impediendam missionem Reformatorum interponunt apud Sereniss.am Infantem Lusitaniae gubernatricem, et quae ex adverso dicunt et facere volunt fratres Minores, S. Cong.io stetit in decisis ut fiat missio fratrum Reformatorum italorum in Aethiopia . . . ». (APF, *VI, Lettere di Spagna, Inghilterra*, etc., 1637, vol. 106, f. 12) « Ad Congr. diei 20 iulii 1637. Referente eodem Emin. Card. Albernotio instantiam Rev.mi Alphonsi Mendez patriarchae Aethiopiae ut missio Reformatorum S. Francisci ad Aethiopiam ordinata suspenderetur, donec S. Congregatio per patrem Hieronymum Lobum S. I. fuerit de successibus Aethiopiae informata, Em.mi Patres steterunt in decretis pro missione Reformatorum in Aethiopia ob tres rationes . . . » (APF, *Acta* anno 1636-1637, f 332, n. 1-3).

(3) « Ad Congr. diei 14 novembris 1637. Referente eodem Emin. D. Card Spada missionarios Aethiopiae dubitare ne Patres Societatis habeant privilegium pontificium quo prohibeatur aliis religiosis ingressus in Aethiopiam ibique missionis munia obire, et proinde necessarium esse ut illi, si forte ab hac Sancta Sede concessum fuerit, derogetur, S. Congregatio, attentis causis alias consideratis in editione constitutionis super missionibus ad Iaponiam ac alias Indiarum orientalium regiones, censuit, si Sanctissimo placuerit, quoscunque sive ecclesiasticos et cuiuslibet Ordinis aut insti-

sociorumque eius tentamina ut Aethiopiam ingrederentur tum a Patriarcha in sua Historia (1), tum ab ipso missionis Praefecto in pluribus epistolis ad S. Congregationem datis describuntur (2). Cum iam Suacheni totos septem annos patres MM. RR. posuissent, Sacra Congregatio singulare quoddam remedium ad liberum missionariis in Aethiopiam accessum obtinendum adhibere censuit. Cum enim ex relationibus Goa acceptis a patre fr. Emmanuele ab Ascensione ordinis Eremitarum Sancti Augustini (3) et a quibusdam Aethiopibus Romae degentibus eadem S. Congr. (4) sibi persuasum haberet cau-

tuti etiam Societatis religiosos, atque etiam saeculares impedientes accessum et ingressum missionariorum iam in Aethiopiam destinatorum, aut in futurum destinandorum a S. Congregatione de Propaganda Fide, aut ab aliis de eiusdem mandato, vinculo excommunicationis latae sententiae esse innodandos, non obstantibus quibuscunque, et privilegio praedicto, si forte a Sede Apostolica Societati Iesu fuerit concessum; de quo agendum erit cum Generali Societatis ut sciatur an Patres Societatis Aethiopiae praedictum privilegium habeant » (APF, *Acta* anno 1637, f. 392, n. 28). Hoc privilegium quod olim Societati Iesu a Gregorio XIII pro missione Iaponica fuit concessum, numquam fuit datum pro missione Aethiopica.

(1) Cf. lib. IV, capp XVI, n. 12; XVII, n 6; XXIV, n. 6; XXV, n 1 et passim eod. libro.

(2) Inter alia media ad Aethiopiae ingressum obtinendum pater fr. Antonius a Petrapagana dedit epistolam die 20 octobris 1647 ad imperatorem Fasiladas, mirum simplicitatis et ingenuitatis exemplum!, quae legi potest in huius operis vol I, *Notizia e Saggi*, etc., pp. 385-386 (APF, *Scritture riferite ne' congressi, Ethiopia, Arabia Socotora*, etc., 1630-1698, f. 218).

(3) « Relatione della causa per la quale furono di Etiopia cacciati li Gesuiti, la quale fu perchè essi in progresso di tempo fecero tanti acquisti colle mercantie, che perciò, persuaso il Re che si sarebbono impadroniti del regno, li fece carcerare e finalmente convenne che pagassero per liberarsi una gran somma di denaro, per il ritrovamento della quale il Patriarca prese pretesto di andar nell'Indie, lasciando due suoi padri carcerati, i quali poi anche essi fugiti lasciarono prigione il vescovo Apollinare, che da due anni in qua sta carcerato. Un'altra causa della sudetta espulsione fu perchè i medesimi padri vollero subito mutar i riti antichi di quei popoli che pur sono permessi ad altre nationi christiane ». (APF, *I Aegypt. et Aethiop.*, vol. 211, f. 261). Haec italice scripta perbrevis relatio nil aliud est quam compendium alterius longioris relationis latine exaratae a p. Emmanuele ab Ascensione quae legitur ad tergum eiusdem paginae numero 185, quaeque acriores etiam in Iesuitas continet accusationes.

(4) « Die 3 maii 1640. Fuit Congregatio... In ea primum relatis causis

sam persecutionis ex odio tantum in Iesuitas lusitanos, qui non lucro animarum, sed *divitiis inhiantes oppida, fortalitia, datia* sibi procuraverint, ortum habuisse, nihili pendens gravissimam Patriarchae epistolam, qua verae insectationis causae tanquam a teste oculato exponebantur, decrevit patrem Iacobum Veemers e Carmelitarum Ordine, hominem aethiopicae linguae peritum, cum Asfa Mariam sacerdote aethiope alioque eius Ordinis socio in Aethiopiam esse mittendum; plura a novis missionariis observanda statuit, quae stupens fortasse lector in documento leget, denique summum Pontificem movit ut litteras in favorem novorum missionariorum daret ad imperatorem Fasiladas, ad Abunam Marcum et ad Icceghê monachorum: in quibus epistolis, aliis missis, illud prae ceteris nota dignum est novos missionarios ex eo maxime commendari quod hi *lucro animarum tantummodo* studeant (1). Adeo fixum Patres Congregationis in animo habebant fabulosum illud commentum de immensis Iesuitarum divitiis in Aethiopia! Hae vero litterae eo ipso tempore ad Imperato-

ob quas Patriarcha latinus et alii praelati ac patres Societatis Iesu lusitani ab Aethiopia fuerunt eiecti, de quibus *in relatione fr. Emmanuelis ab Ascensione goensis Eremitarum S. Augustini et Abyssinorum existentium in Urbe* et in litteris Patriarchae praedicti datis Goae, 11 novembris 1638, ad Sacram Cong.[em] late habetur . . . » (APF, *Acta* anno 1640 et 1641, f. 93).

(2) In cit. documento, *Acta S. C.*, anno 1640 et 1641, f. 93, legimus: « Die 3 maii 1640 Congr. particularis pro expeditione fr. Iacobi Veemers Carmelitani flandri in Aethiopiam cum socio eiusdem Ordinis et Asfa Maria sacerdote aethiope a Patriarcha latino ordinato . . . 2. Relatis difficultatibus quas Patriarcha latinus et Patres S. I. lusitani experti sunt in conversione Aethiopum ad fidem catholicam, et ob quas Aethiopes et praesertim totum vulgus monachorum, a quo principes, nobiles et plebs laycorum dependent, ingens odium conceperunt in Lusitanos, quos Francos vocant, talesque existimant omnes Europaeos; unde factum est ut, mortuo Susneos catholico principe, a Basilide haeretico eius successore fuerint et Patriarcha et patres praedicti ex Aethiopia eiecti, bonisque, *civitatibus, oppidis, datiis et fortalitiis*, quae vivente Susneos obtinuerant, spoliati, Congregatio censuit instructionem esse faciendam pro praedictis missionariis per manus mittendam, qua admoneantur *ne temporalia quaerant*, sed solo victu et vestitu contenti lucro animarum studeant, docentes veritatem catholicam et oportune maxime ex eorum libris, ac benigna oratione, *ac sine*

rem dabantur quo ille ut omnem aditum in Aethiopiam catholicis missionariis incusso mortis metu praecluderet, missis legatis ad Bassam Suacheni et promisso non exigui auri ponderis praemio, eum incitabat ad tres missionarios Ordinis Minorum Suacheni degentes obtruncandos; quod Bassa praestitit anno 1648, ut narrant Almeida, Mendez ceterique post eos historici.

17. Quaerere forte quis posset quorum testimoniis peregrinas illas circa Iesuitarum expulsionem notitias, ne dicam calumnias, pater ab Ascensione apud S. Congregationem comprobarit, cum ipse pater nunquam in Aethiopiam pedem intulerit. Huic quaestioni mihi videtur ipse Patriarcha satisfacere voluisse cum lib. IV, cap IV, n. 9-11 narrat de quodam aethiope monacho qui secum ex Aethiopia aufugerat et patrum expensis Goae in collegio alebatur, quique, cum se despectum putavisset, apud religiosos alterius Ordinis (S. Augustini scilicet) confugit et cuidam patri augustiniano, qui aethiopicam missionem animo expetebat, plura contra Iesuitas effutiit, ac eo suadente falsas imperatoris Fasiladas ad Summum Pontificem et ad Regem Lusitaniae epistolas aethiopico sermone exaratas tradidit, quibus et Iesuitae variis criminibus accusabantur et religiosi sui Ordinis expetebantur. Negotium, propter patris illius vesanam et crudelem erga Aethiopem agendi

aculeis, errores, qui in Aethiopicam Ecclesiam irrepserunt, ostendant et confutent. Ut circa ritus aethiopicos et praesertim liturgias et divina officia protestentur se nolle eorum ritum immutare . . . Congregatio censuit sub beneplacito Sanctissimi expedienda esse tria brevia, alterum ad Basilidem modernum regem Aethiopiae, alterum ad Archiepiscopum [Abunam] nuperrime a Patriarcha Alexandrino Cophtae nationis in Aethiopiam ad eiusdem Basilidis regis requisitionem missum, et tertium ad magnum Archimandritam [Icceghê] seu generalem monachorum aethiopum, qui in magno numero ex Ordine S. Antonii et cuiusdam alterius insignis monachi, qui ut sanctus praecipuus ab Aethiopibus colitur, nomine Teclaimanot, quae brevia esse debebunt tantum hortatoria ad unionem cum S. Romana Ecclesia et commendatitia praedictorum missionariorum ». Tria brevia legi possunt in Arch. Vat., *Epistolae ad Principes* (Urbani VIII), vol. 52, ff. 135-135ᵛ, n 192; 136-136ᵛ, n. 193; 137-137ᵛ, n. 194.

rationem, e voto non successit, attamen litteras pater ille dedit ad S. Congregationem quibus eam causas insectationis erga Iesuitas in Aethiopia docebat iuxta ea quae ab irato aethiope acceperat. Id quod latere Patriarcham non potuit neque subsequens decretum S. Congregationis, quod relationibus potissimum patris fr. Emmanuelis ab Ascensione innitebatur. Quapropter narrationem suam concludit his verbis: « Qui finis fuit huius egregiae legationis et structarum adversus aethiopicam missionem calumniarum. Ut hinc norint eminentissimi Cardinales Propagandae Fidei praepositi quam lente et caute debeant in similium fabricarum examine et auditione procedere ». *Exped. Aeth.*, lib. IV, cap. IV (*Rer. Aeth.*, vol. IX, p. 257). Post hanc igitur informationem patris Emmanuelis ab Ascensione trium illorum brevium ad Fasiladas, ad Abunam, ad Icceghê expeditio decreta est; cumque, pater Veemers, ut infra dicetur, anno 1645 vicarius apostolicus Aethiopiae fuit renuntiatus ei tradita fuerunt ut in Aethiopiam secum deferret.

18. Interea laboribus et febribus confectus Suacheni e vivis excedit pater Antonius a Virgoletta, eique in munere Praefecti missionis sufficitur pater fr. Antonius a Petrapagana (1). Cum vero S. Congregatio de Propaganda Fide reputasset perpaucos iam Iesuitas in Aethiopia degere confirmatum ab ea fuit decretum ut in remotiora missionum loca religiosi duorum saltem Ordinum mitterentur (2). Sed quia sapientis est mutare consilium, cum experientia docuisset differentium Ordinum religiosorum in una eademque missione praesentiam rei ca-

(1) APF, *Acta* 1643, ff. 489, n. 44; 498^v, n. 29.

(2) Decretum supra relatum ex Actis anni 1634-1635 (cf. supra pag. XXI, nota 1ª) S. Congregatio confirmavit die 20 iulii 1637, quando Patriarcha Mendez ab eadem Congregatione postulaverat ut eius executio suspenderetur. « Ad Congregationem diei 20 iulii 1637. 41. Referente eodem Emin. D. Cardinali Albernotio ..., Eminentissimi Patres steterunt in decretis pro missione Reformatorum in Aethiopia, ob tres rationes: Primo, quia, ex confessione eiusdem Patriarchae in eius libello supplici, in Aethiopia non remanserunt nisi sex patres Societatis et Apollinaris episcopus eius coadiutor cum futura successione, et ex eiusdem Patriarchae relationibus ante plures

tholicae provehendae quam maxime officere, S. Congregatio paucis post annis non modo ab eo statuto recedendum censuit, sed decreto lato sub gravibus poenis prohibuit ne quis alterius Ordinis religiosus in missionis uni Ordini assignatae territorium ingrederetur (1). Quod decretum etiam nostro tempore viget et religiose servatur. Itaque pater Veemers e Carmelitarum Ordine, iam inde ab anno 1640 in Aethiopiam ut dixi destinatus, anno 1645 electus est missionis aethiopicae Vicarius apostolicus et apud Mempheos inauguratus (2) eique tres recentius exaratae, Innocentii X nomine, epistolae traditae, non absimiles illis Urbani VIII, quibus idem enixe commendabatur imperatori Fasiladas, Abunae et Icceghê monachorum. Hic vero circa harum litterarum negotium deque insectationis in Aethiopia causis velim lector animadvertat duplicem et inter se pugnantem Congregationis de Propaganda Fide loquendi atque agendi modum.

annos missis, in Aethiopia sint multa millia catholicorum, quibus impossibile est posse sufficere praedictos sex patres et episcopum;

2°, quia regna Aethiopiae sunt tam magna et in tanto numero ut necessarium sit multiplicare missiones ex pluribus religionibus;

3° denique, quia saepius a S. Congregatione decretum fuit expedire, immo necessarium esse, ut in regnis maxime remotissimis a Sede Apostolica fiant ad minus missiones religiosorum duarum religionum, ut, si una deviet in via morum et doctrinae, alia se opponat ut Sacram Congregationem certiorem faciat, aut, si una ob aliquas causas particulares inde eiiciatur, alia remaneat ad catholicorum curam ». [*in marg. manu secretarii*] « De missione Reformatorum Sancti Francisci in Aethiopiam non suspendenda ad instantiam Iesuitarum et Patriarchae Aethiopiae ». APF, *Acta* ann. 1636-1637, f. 332.

(1) « 11 ianuarii 1656 (Congr. Gen.). Nullo modo in posterum licere pro bono religionis catholicae et ad tollendas inter missionarios dissensiones et litigia, in locis, in quibus existunt missionarii apostolici unius ordinis, novam missionem aliorum religiosorum, etiam Societatis Iesu, fundare, vel illam sub quovis praetextu aut auctoritate exercere absque expressa licentia eiusdem S. Congregationis, sub poena privationis officii, privilegii et facultatis ipso facto incurrenda, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus ». (APF, *Collectanea*, f 36, n. 125).

(2) Cf. APF, *Acta* 1645, f. 197, n. 8; f. 212, n. 7; f 218v, n. 2; f. 324v, n. 1.

19. Etenim cum in Aethiopiam patriarcha Mendez missus fuit, ab imperatore Seltan Sagad iam catholico iteratis precibus expetitus, nullae pro eo commendatitiae litterae ad illum datae fuerunt; de qua omissione, ut notat Almeida in sua Historia (1), ipse Imperator regnique primores graviter conquesti sunt. Cum e contra paucis post annis in Aethiopiam S. Congregatio misit patrem Veemers ut vicarium apostolicum, pro eo commendatitias has amplissimas et triplices dari curavit ad Imperatorem, qui non modo episcopum Roma non expetierat, sed et Iesuitas, catholicos et tres patres Capuccinos odio fidei morte damnaverat; ad Abunam et ad Icceghê monachorum, de quorum flagitiis et odio in romanam fidem S. Congregatio a Patriarcha per epistolas (2) et a patre Hieronymo Lobo oretenus edocta fuerat. Sed quod magis mireris, iidem illi qui epistolas huiusmodi ad Fasiladas scribi curabant, eodem tempore tamquam veros Christi martyres habendos esse profitebantur non modo fratres Agathangelum et Cassianum (3), sed et episcopum Almeidam cum Iesuitis (4) iussu Fasiladas obtruncatos!

20. Interim cum pater Veemers eodem anno quo vicarius apostolicus inauguratus fuit, antequam itineri se committeret, e vivis excessisset, ei suffectus est dominus Matthaeus a

(1) Lib. VIII, c. XXI (*Rer. Aeth.*, vol. VI, p. 480).

(2) Cf. cit. epistolam ad S. Cong.nem, lib. IV, cap. IV, et ibid. cap. VIII, n 3. Ex ultimo hoc loco patet Abunam vere proditorem duorum fratrum Capuccinorum extitisse eorumque necis potissimam causam.

(3) Cf. epistolam p. fr. Antonii a Petrapagana in APF, *I Aegypt. Aeth.*, 211, f. 147; et *Lettere volg.* ann. 1671 epistolam S. Cong.is ad secretarium SS. Rituum Cong.nis 24 martii 1671.

(4) « Patriarchae Aethiopiae. Relatae fuerunt S Cong.ni . . . Amplitudinis tuae epistolae... et quamvis mors episcopi Nicaeni et suorum catholicis valde luctuosa existat, quia tamen *martyrum sanguis* christianorum semen antiqua traditione censetur et martyrii praerogativa Deum ac homines laetificare consuevit, sperant cum Sanctitate Sua E.mi Patres futurum... In actis S. C. praedicta describentur, ut, cum fieri poterit, testium depositione firmentur... Romae, 9 martii 1641 ». (APF, *Lettere latine*, etc., vol. IX, f. 132).

Castro Ordinis FF. MM. (1), qui paullo ante Romam reversus erat ex Indiis, quo ut vicarius apostolicus regni Idalcam ante annum 1640 missus fuerat et unde ob controversias cum archiepiscopo Goano et cum aliis aliorum Ordinum religiosis anno 1643 discedere coactus fuerat (2). Illi, dum Neapoli degeret, ut opportunam navigandi occasionem opperiretur (3) missae sunt novae litterae summi pontificis Innocentii X ad imperatorem Fasiladas, quibus ipse episcopus eiusque Ordinis socii enixe commendabantur et spes significabatur fore ut ipse imperator, Helenae et Davidis praedecessorum exempla secutus, propensum ad unionem cum Ecclesia Romana sese exhiberet (4). Mirari, ut mitius loquar, iure

(1) APF, *Acta* 1645, ff. 424ᵛ, n. 22; 430ᵛ, n. 16.

(2) Vide epistolas Regis Lusitaniae ad Proregem Indiarum, 5 martii 1643; Proregis ad Regem, 23 decembris 1644; Regis ad Proregem, 28 febr. 1646; Proregis ad Regem, sine die [1646 ?] in ATTL, *Doc. env. da India*, l. XLVIII, ff. 80ᵛ, 259ᵛ; l. LV, ff. 262-263.

(3) APF, *Lett. volgari*, 1645, vol. XXIII, f. 18, epist. 15 novembris.

(4) En verba ipsa brevis: « Huius sane rei [unionis cum Romana Ecclesia] alacriter peragendae Maiestati Tuae ob oculos posita illustria maiorum tuorum Aethiopiae regum exempla sunt, quibus cum hac Sancta Sede arctissima diu coniunctio ac benevolentia intercessit. Compertum vero speciatim est Aethiopiae regem Zerah oratores ad Eugenium IV summum pontificem praecessorem nostrum in concilio Florentino, qui tum Ferrariae agebatur, legasse ut Aethiopicam Ecclesiam cum Romana coniungeret; eamdemque transmissam legationem scimus ab David Aethiopum pariter rege eiusque avia Helena ad Clementem VII romanum pontificem. . . . Aethiopica itidem liturgia correcta tunc est cum magna principum eorundem voluntate ac laetitia; ut constare hinc facile Maiestati Tuae possit qui tum mutuus fuerit consensus animorum et quod in Romanam Ecclesiam eorundem Regum studium atque observantia. Cui si tuam nunc ipse voluntatem adiunxeris qua cum Romana Aethiopica Ecclesia coalescat, mirificum nobis erit atque universo christiano orbi gaudium, tuique nominis immortalis ac late diffusa commendatio et laus. Equidem Nos et sancta haec apostolica Sedes propensissimo in Maiestatem Tuam studio semper erimus, quicquid usquam Tibi ac tuis regnis commodum a Nobis ac salutare esse poterit benevolentissimo animo praestituri... Datum Romae apud S. Mariam Maiorem.. die XXX octobris MDCXXXXV, pontificatus nostri anno secundo ». (AV, *Brevi ai Principi*, LV, ff. 176-177ᵛ. Refertur quoque in APF, *I Aegypt. Aeth.*, vol. 211, f. 191)

merito quis posset in hoc brevi mentionem nullam fieri laborum quos per octoginta et amplius annos Societas Iesu cum maximo fructu in Aethiopia exantlavit, neque Imperatoris Seltan Sagad ipsiusque Fasiladas qui paulo ante coram patriarcha Mendez publice obedientiam praestiterant romano pontifici Urbano VIII immediato praedecessori, eiusque loco commemorari obedientiam praestitam a Zara Iacob in concilio Florentino, quae, ut historicis notum, commentitia est. Adeo tunc Romae persuasum erat insectationem Fasiladas non in catholicum nomen sed in iesuiticum et lusitanum fuisse excitatam.

21. Ex urbe Neapoli Cairum navigavit Chrysopolitanus ut inde in Aethiopiam se conferret. Cairo sibi adiunctis patribus fr. Iosepho de Atino et Felice a S. Severino Mocam se contulit. Sed cum maximam expertus fuisset difficultatem Mazuam appellendi, vitae suae sollicitus, relictis sociis, Cairum reversus est, ubi manere iussu S. Congregationis de Propaganda Fide anno 1648 coactus est propter apertas ab eo inimicitias cum Patriarcha susceptas (1). Sed et simultates etiam cum suis ibi exercuisse videtur cum patrem Marcum a Luca sacram Congregationem exorasse legamus ne Matthaeus a Castro in episcopum Cairi eligeretur (2).

(1) « Ad Cong. diei 3 martii 1648, n. 8. Referente eodem Emin. Card Capponio memoriale a Iesuitis datum nomine Patriarchae Aethiopiae contra R. P. D. Matthaeum episcopum Chrysopolitanum in eadem Aethiopia vicarium apostolicum, in quo pluribus contra praedictum praelatum instabant ut, officio vicariatus apostolici revocato, ei praeciperetur ne in Aethiopiam se transferret, cum praelatum dicto Patriarchae inimicum in praedictum regnum mittere non conveniat; et simul referente S. D. N. Sacrae Congregationis sententiam circa hoc desiderare, Eminentissimi Patres censuerunt petitioni Iesuitarum esse annuendum et praefato episcopo praecipiendum ut in Cayro maneat donec Sacra Congregatio aliter de eo disponat ». [*in marg.*] « De revocando ab episcopo Chrysopolitano vicariatu apostolico Aethiopiae ad instantiam Iesuitarum » (APF, *Acta* ann. 1648, f 38v. Ibid. ad Cong diei 1 aprilis, f. 59v, n. 13. Cf. APF, *Lett. volgari,* vol. 26, f. 43).

(2) APF, *Scritti originali*, vol. LXIV, f. 174.

22. Cairo relicto in Indiam rursus navigavit et in regnum Mogorense a patribus S. I. excultum se contulit, ubi infensos sibi reddidit non modo archiepiscopum aliosque Ordines religiosos, sed ipsum etiam Lusitanicum gubernium, contra quod rebellionem quoque commovisse est accusatus. Per ea enim tempora Chrysopolitanus epistolam dederat ad Brachmanes, cui titulum apposuit *Speculum Brachmanum*, qua eos ad rebellandum incitabat (1), unde iussu Regis in Lusitaniam mitti debuisset, nisi ipse, pericula sibi imminere pertimescens, Romam iterum petiisset; ubi eum anno 1660 invenimus cum S. Congregatione de Propaganda Fide circa pecuniam sibi, ut aiebat, debitam decertantem (2). Quam tamen S. Congregatio illi denegavit, at veniam fecit Massiliam petendi ad quandam pecuniae summam sibi, ut aiebat, debitam exigendam (3). Cum eo se contulisset et debitorem ad tribunal convenisset, nihil obtinuit, unde apud Summum Pontificem egit ut Mocam mitteretur ad christianos qui portum illum frequentant adiuvandos, vel, si liberet eum Romae degere, facultatem faceret simplici clericali habitu incedendi, secus daret media ad episcopalia indumenta sibi comparanda. Ex respon-

(1) ASI, *Goana, Hist. Aeth.*, 1630-1659, Doc. L; ASI, *Goana, Hist.*, 1627-1659, Doc. LIX; et epistolas Regis Lusitaniae ad Proregem Indiar. 1650 13 apr., 1651 4 febr.; Proregis ad Regem, 1651, 7 dec.; ATTL, *Doc. env. da India*, l. LXI, f. 147; ff. 371-373; f. 148.

(2) « Ad Cong. diei 16 martii 1660. Relationes secretarii... Per conto poi del soccorso che il vescovo dimanda oltre i dieci scudi il mese che li si sono dati dopo ch'è qui, ha avuto in due volte 200 scudi per questo effetto... Si aggiunge a questo la pretensione che egli ha di dover conseguire dalla S. C. 900 scudi per le provisioni di tre anni decretateli quando fu destinato vicario in Etiopia, per i quali... non ha voluto la S. Cong.ne mai dichiararsi » (APF, *Acta* 1660, f. 71).

(3) « 1. Il vescovo di Crisopoli esibisce una lettera, scrittagli da un suo amico da Marseglia circa il giuditio da lui intentato quando ivi fu per la riscossione di 3500 scudi che deve conseguirvi e supplica per la licenza di potervi tornare e chiede soccorso per il viatico...

Rescriptum: Concedatur licentia abeundi ob causam praedictam... et dentur scuta 100... ». APF, *Acta* 1660 cit. Cong. 16 martii. Cf. APF, *Acta* 1660, f. 36, n. 8, Cong. 23 febr.; f. 259, n. 1, Cong. 15 novembris.

sione, quae ad calcem supplicationis legitur, non liquido constat cui ex tribus petitionibus Pontifex annuerit (1). De hoc homine vere missionibus infesto deque eius gestis tum in ora arabica, sive ante sive post eius destinationem in Aethiopiam, tum in Indiis orientalibus et maxime in Mogorensi regno agit Patriarcha in sua Historia, lib. IV, capp. XVIII, n. 4 sqq.; XXIV per tot. (*Rer. Aeth.*, vol. IX, pp. 353-354, 384-388) (2).

23. Quo tempore controversiae Patriarchae cum Chrysopolitano agitabantur, ille, ut supra dixi, omnes nervos intendebat ut aliquo modo catholicis Aethiopiae auxilium ferret eorumque extremam inopiam sublevaret. Ad eos namque in fide confirmandos extremam manum apposuit operi cui titulus *Lux Fidei*, quod aethiopice versum Romam misit ad S. Congregationem de Propaganda Fide ut typis mandaretur. Opus tanti fuit Romae aestimatum ut S. Congregatio Patriarchae gratias egerit et synopsim eiusdem operis pro missionariis confici statuerit (3).

(1) « Suggerisce pertanto tre cose:... la seconda che, se bene l'oratore è vecchio, di poca vista e meno udito, potrebbe tuttavia la sua sola presenza molto giovare e specialmente se si fermasse nella Moka come in residenza del suo vescovato di Chrisopoli e vicariato d'Etiopia, poichè per la confluenza in quel porto di mercatanti indiani, gentili, maomettani, africani et altri potrebbe aprire facilissima via... alla predicazione dell'evangelio quasi per tutto il mondo ». [*a tergo*] « Die 9 novembris 1668. Sanctissimus annuit et mandavit procedi ad ulteriora ». (APF, *Asia, Goa*, etc., vol. 237, f. 188).

(2) Omnia quae de hoc homine scripserat in sua Historia, etsi veritati conformia, tamen noluit Patriarcha ut typis mandarentur. Sane in *Advertencias que se hão de guardar na impressão deste livro,* quas ad calcem huius Introductionis refero, in secunda earum parte, quae spectat ad librum IV seu *Auctarium,* in fine haec verba manu patris Balthasar Tellez exarata leguntur: « Tudo o que pertence a este bispo Canarim se ha de deixar omnino sem se estampar, e assi convem e assim o adiunto ex authoritate ill.[mi] et rev.[mi] Patriarchae mihi commissa in hac parte ». Hoc Mendez prudenter iussit ne Romanae Curiae offensionem incurreret. Ego vero in praesenti editione, ut historicae sinceritati consulerem non esse eam partem omittendam iudicavi, praesertim cum post tria saecula amplius non vigeant rationes, quae Patriarchae silentium suasere.

(3) « (In Cong.[ne] diei 14 octobris 1647). In ea primo facta relatione

24. Ad eundem finem Aethiopiae iuvandae Patriarcha patris Hieronymi Lobo ad Hispaniae Regem et ad Romanum Pontificem legationem pro urgenda expeditione militari ad oram Maris Rubri egregie adiuvit, datis epistolis tum ad Regem tum ad S. Congregationem de Propaganda Fide, etsi, ob temporum difficultates ab aula regia propositas, S. Congregatio negotium non esse urgendum censuerit (1). Praeterea pecuniam undequaque corrogavit: Lusitaniae Rex, gubernator Indiarum ac praepositi Societatis Goani libentissime quidquid poterant contulerunt, at vero a S. Congregatione de Propaganda Fide nihil potuit obtinere, cum conditioni, ab ea appositae, ne privilegia et iura a Summis Pontificibus Societati Iesu concessa laederet, iam ab anno 1639 satisfacere nequivisset (2).

de duobus voluminibus in 12 libros distinctis, quorum inscriptio est: Branhaymanoth, idest Lux Fidei, in epithalamium Aethiopiae... a R. P. D. Alphonso Mendezio Aethiopiae patriarcha compositis et S. Cong.ni cum eleganti epistola dicatis, EE. PP. decreverunt ut infra.

1° Iusserunt Patriarchae gratias agi... eiusque labores commendari...

3° ...quae de erroribus Aethiopum et eorum confutatione in praefatis voluminibus scripsit esse ad partes annotanda ut illa solummodo pro missionariorum Aethiopiae instructione in uno libello ordinate digesta imprimi possint ». APF, *Acta* 1646-1647, f. 526v.

(1) Epistola Regis Lusitaniae ad Proregem Indiarum, 23 ianuarii 1651: « O Patriarcha me escreveu em particularidade dandome conta do miseravel e perigoso estado a que avia vindo aquella christandade, que seria meo para se não acabar de todo inviaremse ao Mar Roxo quatro embarcações com oitenta soldados portugueses que tomem porto na fortaleza de Massua... ». ATTL, *Doc. enviad. da India*, liv. LXI, f. 421. Cui Prorex sub die 21 decembris eius anni 1651 respondet: « Não se alcança o fundamento que teve o Patriarcha de Ethiopia em dizer a V. M.de que com quatro navios que chegacem a Maçua se acobardaria o Rey da mesma Ethiopia, porque se considera distar este reyno polla terra dentro do porto de Maçua... nem o poder de oitenta homens sera bastante a que o Rey e seus vassallos tornem em obediencia da Igreja catholica ». Ibid. *Doc. enviados da India*, liv. LXI, f. 424. Haec duo retuli ex Arch. Lusitanis diplomatica, ut vocant, documenta inter alia multa praecedentium annorum, quia ultima sunt quae ad huiusmodi Patriarchae petitiones referuntur. Cf. etiam APF, *Lett. latine*, 1630-1647, vol. IX, f. 132.

(2) « Ad Congr. diei 17 ianuarii 1639. 11. Referente eodem D. Card. Pam-

25. Epistolarum commercium cum Bernardo Nogueira, quem, iure suo utens, suum vicarium generalem in Aethiopia constituerat, numquam per viginti et amplius annos intermisit; sed perpaucae harum epistolarum ad manus sive Patriarchae sive Nogueirae pervenire potuerunt. Affirmari profecto potest totas eius curas ad mortem usque catholicos Aethiopiae fuisse ut constat praeter tabulas iuridicas ab eo diligenti cura confectas de vita et martyrio patris Apollinaris d'Almeida episcopi Nicaeni et aliorum septem patrum in odium catholicae fidei in Aethiopia interemptorum (1), et praeter Historiam suae *Expeditionis Aethiopicae* ad refellendas praesertim adversariorum calumnias compositam, etiam ex multis ipsius epistolis de eo negotio in Europam missis, quarum ultimam paulo ante obitum scripsit, qua martyria a Bernardo Nogueira et a Sella Christos facta enarrat (2). Et revera extremis vitae suae annis ex omnibus Iesuitis in India degentibus solus Patriarcha Aethiopiam cogitabat, ut constat ex epistola patris Francisci Storer ad p. Generalem Goswinum Nickel, Bandora data 15 martii 1655. « Postquam huc [Goam] perveni, reperi nisi in illustrissimo D. Patriarcha Aethiopiae nunquam eius tentandae cogitationem haberi a quoquam » (3).

26. Medios inter hos labores ad annum pervenit 1656, aetatis suae septuagesimum septimum, et quo liberius operi suo historico ultimam manum apponeret atque a rumoribus urbis

philio instantiam Procuratoris missionis patrum Soc. Iesu in Aethiopia pro aliquo subsidio ad sublevandas necessitates praedictae missionis, EE. Patres censuerunt oratoris petitioni esse annuendum, dummodo Generalis eiusdem Societatis missionem huius S. Cong.nis authoritate instituat cum Praefecto et sociis ab ea probandis et cum litteris patentibus ac facultatibus reformatis in Aethiopiam ab eadem S. Cong.ne expediendis ». APF, *Acta* 1638-1639, f. 223v.

(1) Reperiuntur in tabulario SS. Rituum Congregationis et potissimum praebuere argumentum ad causam istorum martyrum promovendam.

(2) ASI, *Goana, Hist. Aeth.*, 1630-1659, doc. LIV.

(3) APF, *Indie orient.*, dal 1623 al 1674. *Scritt. riferite ne' congressi*, vol. I, f. 74.

semotus spiritualibus exercitationibus vacaret, moderatoribus Goanis annuentibus, in suburbanum collegii S. Pauli, Choram appellatum, concessit ibique ultimos suae vitae menses transegit. Ibi patrem Franciscum Storer ex Germania paullo ante appulsum peramanter excepit eique ad ingressum in Aethiopiam stimulos addidisse pro certo habendum est, etsi morte praeventus felicem huius expeditionis exitum rescire nequiverit, adeoque nulla de hoc patre in eius opere historico mentio invenitur (1).

27. Mense maio, proximae suae mortis, ut videtur, praescius, fratri Luis, qui Goae Patriarchae negotia administrabat, mandavit ut, novis accitis amanuensibus, finem apponeret transcriptioni operis sui et negotia vertentia expediret. Admirans frater causam percontatus est. Patriarcha respondit illam brevi eum agniturum: interim enixe se Deo commendaret. Et revera iunio ineunte morbo tentari coepit et Goam reversus, etsi medici nil grave praesentirent, tamen sacramentis omnibus refici voluit, quibus cum eximia pietate susceptis, post pauca, viribus paullatim deficientibus, inter suorum lacrymas placida morte quievit, eiusdem mensis iunii die 29 anno 1656,

(1) P. Franciscus Storer, personam mercatoris Armeni indutus, non modo Aethiopiam ingressus est, sed brevi gratiam ipsius Fasiladas adeptus in eius aula versatus est tanquam Imperatoris medicus, et inde, facultate accepta, huc illuc discurrens, per plures annos catholicis opitulatus est, donec anno 1662 e vivis excessit. Illi post plures annos suffectus sacerdos indus Melchior a Sylva in Aethiopiam patribus Societatis petentibus, ab archiepiscopo Goano missus, qui maximo animarum quaestu in catholicis excolendis plures annos ibidem commoratus est. Per hos duos viros missio iesuitica usque ad finem saeculi XVII quodammodo prorogata est, dum qui Roma missi fuerant ex ordine MM. RR., animo despondentes, cum nulla ipsis spes adfulgeret Aethiopiam ingrediendi iam inde ab aliquibus annis iussu S. Cong.nis Cairi consederant ut ibi occasionem quandocumque ad Aethiopiam accedendi praestolarentur. Cf. epistolam 21 septembris 1642 ad p. fr. Marcum a Luca Ordinis MM. RR., novum missionis Aegyptiae Praefectum, qua illi iniungitur ut missionarios in Aethiopiam destinatos Cairi in suo hospitio excipiat, ubi omnes in futurum manere debebunt donec in Aethiopiam transmittendi occasionem nanciscantur. APF, *Lettere volgari*, a. 1642-1643, vol. XXXI, f. 15v.

aetatis septuagesimo septimo, exilii ab Aethiopia vigesimo tertio, paulo ante quam ex Lusitania Goam regium decretum perveniret quo ipse in archiepiscopum Goanum et Indiarum primatem eligebatur (1).

28. Vir fuit egregiis corporis dotibus praeditus, statura procera, ita ut super omnes emineret, et valetudine fere ad obitum usque firmissima; graecis, hebraicis et latinis litteris excultus, theologiam et sacrorum librorum interpretes egregie calluit; maturus consilio, in dicendo et scribendo efficax, in negotiis etiam difficillimis expediendis dexteritate simul et constantia inter paucos excellens, ut et scripta et gesta eius testantur. Quas egregias animi corporisque dotes eximiis virtutibus exornavit. Singulari pietate in Deum et B. Virginem ferebatur, liberalitate erga indigentes effusissima quidquid pecuniae modicae sui sustentationi (2) supererat illis erogabat, vitae communis adeo tenax ut, licet ab ea pro sua Patriarchae dignitate solutus, tamen victu et vestitu communi ad mortem usque uti maluerit, immo fertur adeo religiosae pau-

(1) « È morto in Goa il sig. Patriarca di Etiopia già eletto l'anno passato [1656] per arcivescovo di Goa e primate dell'India ». Epistola p. Sebastiani Berni ad p. Aloysium Carnoli, 1 iunii 1657, ASI, *Goana, Hist.*, 1627-1659, doc. LXVIII.

(2) Quod sustentatio eius vere modica fuerit et quod necessaria prope sibi subtraheret ut pauperibus subveniret colligi potest ex modicitate annuae summae pro sua et familiarium sustentatione ipsi a Rege Lusitaniae assignatae, quae *mille xerafinos* non excedebat (ut legitur in petitione ipsius Patriarchae ad Proregem Indiarum anni 1651 in ATTL, *Doc. env. da India*, liv. LXI, f. 426), quae multo inferior erat annuae summae quae Diensis collegii patribus pendebatur ut videre est in epistola Regis ad Proregem missa anno 1636, 28 martii « o Reitor de Dio e os padres me pedirão que lhe fizesse merce de confirmar a ordinaria que tem de *seis larins* por dia para cada hum de seis religiosos ». ATTL, *Doc. env. da India*, liv. XXXIII, f. 119 Quod huiusmodi angustiis urgeretur Patriarcha confirmatur ex epistola Proregis d'Aveira ad Regem 13 decembris 1641: « Este prelado... nesta cidade reside sem adjutorio para sua sustentação (ATTL, *Doc. env. da India*, liv. XLVIII, f. 74v) et ex regia epistola ad Proregem (ibid. ibid., f. 300-301v) 4 apriiis 1644, qua iniungit ut Patriarchae necessitati subveniat: « pois he justo e devido que em pessoa de seus mericimentos se não conheça necessidade ».

pertatis fuisse amantissimus ut attritae vestes ei, dum somnum carperet, essent cum novis commutandae. Iniuriarum patientissimus adversarios quoad potuit beneficiis cumulavit (1). Eximium Patriarchae Mendez virtutum omnium, quae religiosum virum decent, exercitium, quo Goae per viginti et amplius annos domesticis externisque se commendavit, eo magis admiratione dignum apparet, quod tunc temporis (proh dolor!) in provinciis Indiarum S. I. Goana et Coccinensi, tum domestica disciplina, tum studium animarum valde desiderabantur, etsi sodales sicut in aliis Ordinibus religiosis accidisse constat, ad graviora, quae externorum offensionem incurrerent, non devenerint (2).

(1) Cf. Franco, *Imagem da virtude em o noviciado de Coimbra*, to. I, lib. II, cap. 41, qui omnia quae narrat se ex Vita Patriarchae desumpsisse affirmat a patre Andrea Gomez conscripta, homine fide dignissimo, quae in tabulario collegii Eborensis manuscripta servabatur. Addam testimonium patris Sebastiani Berni qui in citata epistola familiari haec de Patriarcha, quem anno superiori inviserat, summa cum simplicitate scribit ad patrem Aloysium Carnoli, Venetias ex Cafraria anno 1657 die 1 iunii: « Vivea in Goa sempre fra' nostri, sempre usò il nostro habito. Quando io colà giunsi, mi volle udir parlare a lungo delle cose d'Italia e il fece sempre con moltissimo gusto e con lode sempre dei padri italiani. Del p. Iacinto de Magistris (*sic*) [lege Franceschi] diceva molte lodi. Era persona di molto sapere e di molta virtù. Plenus dierum mortuus est, molto vecchio, quasi già decrepito e che serviva a tutti. Quando mi partii da Goa per questa Cafreria, stava egli infermo coi piedi gonfii in una villa vicino a Goa. Là fui a chiederli la benedittione e me la diede con molto gusto, dicendomi: Non ci vediamo mai più in questa vita ... ». ASI, *Goana, Hist.*, 1627-1659, doc. LXVIII.

(2) Haec plurium testimonio firmantur; pauca proferam. P. Antonius Rubino ad p. Generalem Vitelleschi, Macao 18 septembris 1640, scribebat: « Già V. P. sa i disordini della provincia di Goa; ogni cosa si può temer che facciano, giachè fanno cose molto peggiori » (*Alcune Lettere del p. Antonio Rubino*, edite nel 1900 dal p. Pietro Tacchi Venturi). Et p. Franciscus Storer paucis post annis in cit. epist. ex Bandora 15 martii 1655: « Admodum Rev Pater, transivi ego per varia collegia, missiones et provincias nostrorum, cum terrestri itinere huc pergerem, et in omnibus tanta edificationis exempla vidi, quanta fortassis ne sperare quidem poteram... Sed vere dico in hac provincia reperi, ut numquam imaginatus fuerim posse in Societatem irrepere, tantam disciplinae religiosae laxitatem et inobservantiam. Aeque in hac re duo dico: primo nullo modo me a patribus Lusitanis offensum, sed vere maximo amore, benevolentia et officiis me solere

29. Verum quia nullus invenitur mortalis, quantavis sanctitate praeditus, qui identidem humanae fragilitati non subiaceat, etiam in nostro Mendez aliquot eius animi dotes eum aliquantulum in transversum egerunt. Tenax propositi, aliquando in obstinationem deflexit, ut cum circa ordinationes tricas habuit cum archiepiscopo Goano, unde hic ad S. Congregationem recurrere coactus fuit, quae ad eum decretum de ea re S. Congregationis Concilii misit (1). Impigre actuosus, quan-

omnes prosequi, ut ingratissimus forem, nisi summo eos amore prosequerer. Dico tamen secundo me non posse non mirari quomodo ista provincia usque adeo a pristinis virtutum exemplis collapsa sit » ; atque huiusmodi iudicium testimonio religiosi Carmelitae magnae inter suos auctoritatis confirmat: « Dixerat mihi quidam pater Carmelita, magnae inter suos authoritatis postquam multa super casu suae religionis in India dixerat (dicebat autem haec dum essem in Persia), nostram Societatem non adeo publicis peccatis ut coeteras religiones fere omnes suum nomen in India obscurare, sed tamen non respondere suae vocationi: non esse Societatem qualis in Europa ». APF, *Indie Orientali e Cina*, dal 1623 al 1674; *Scritture rifer. nei Congressi*, vol. I, f 74 Nec diversa est opinio patris Berni qui in cit epist. in haec verba prorumpit: « O se mi vedessi un'hora con V. P., oh se con alcuni di cotanti miei amici! Credami V. R. che infino la santità mi pare che non la san conoscere speculativamente. È certo che io non mi posso regolare se non conforme fui ammaestrato costì e non voglio in niun modo allontanarmi da tali regole, ma però non lascio di stupirmi. S. Ignatio è certo che fu grande maestro di santità e a lui mi terrò io e a s. Francesco Saverio. Se egli vivesse hora che direbbe de his hominibus? ».

(1) Archiepiscopus Goanus ad S. Congr. de Prop. Fide haec scripserat: « Dubia quaedam quae offert archiepiscopus Goensis...: Patriarcha Aethiopiae, propter fidem a sua Ecclesia expulsus et cui nulla affulget spes redeundi, praetendit ordinare adolescentes quos habet titulo familiarium, absque eo quod archiepiscopus Goensis, in cuius episcopatu residet, eos examinet de scientia, moribus, vita, puritate sanguinis et sufficienti patrimonio.. allegat modo quod sit suorum familiarium ordinarius. Insuper si hos aut similes maculatos ordinaverit, omnes hoc exemplo recurrent ad ipsum ut titulo familiaris possint ordinari. Ordinat autem eos secreto, obtenta alio titulo licentia exercendi pontificalia. Quaeritur utrum dictus Patriarcha possit ordinare absque eo quod fiant solita examina per ministros archiepiscopi ». [In marg. manu Ingoli secretarii]: « Cum Patriarcha sit factus titularis episcopus, non potest ordinare familiares iuxta cap. 2, Sess. 14, Concilii Tridentini *de Reform.* ». APF, *India, China*, etc. ab an. 1640 ad an. 1648, vol. 192, f. 136. Attamen negotii solutio commissa fuit S. Congr. Concilii, quae sic respondit: « Die sabbati 17 aug. 1541. Cum Patriarcha

doque cum Goae degeret, negotiis se immiscuit a quibus satius fuisset ut se abstineret, ut cum una cum patre Antonio Pereira et patre Francisco Barreu, Coccinensis provinciae procuratoribus, egit ne patri Antonio Rubino Iaponicae provinciae visitatori facultas daretur sui muneris explendi (1). Eiusdem Patriarchae in egenos liberalitas eum aliquando impulit ad pecuniam sibi per fas et nefas procurandam, ut cum apud Regem institit quo redditus Gorgorrensi quondam seminario addicti verterentur ad sublevandam paupertatem sacerdotum aethiopum, qui eum in exilio Goam fuerant comitati, dum, ex litteris Gubernatoris Indiarum constat iisdem satis superque fuisse provisum (2).

Aethiopiae propter fidem a sua Ecclesia expulsus, absque spe redeundi et sic effectus mere titularis praetendat nonnullos suos familiares ordinare... ideo quaeritur an eidem Patriarchae liceat... S. Congregatio respondit suprascriptum Patriarcham secundum ea quae proponuntur non posse suos familiares extra suam dioecesim ordinare ». ACC, *Atti*, vol. anni 1638-42, pag. 470.

(1) « I padri, ch'instigarono il secretario del Stato a farmi questo officio di carità dicono che furono il p. Antonio Cardino, che fu di qua, il p. Antonio Pereira, procuratore della provincia di Coccino, assistente in Goa, il p. Francesco Barreu che passa a Europa per procuratore della provincia di Coccino, e il Patriarcha d'Ethiopia. Io non lo posso sapere di certo, per star absente; ma me lo scrissero tre nostri degni di fede che lo devono sapere ». *Lettere del p. Rubino,* p. 21, epistola cit.

(2) « Em nome do Patriarcha de Ethiopia se me fez aqui a petição de que com esta carta se vos emvia a copia, em que, representando sua necessidade e impossibilidade para acodir aos muitos christãos a que a tirania que em Ethiopia se usa com elles faz buscar o remedio nesse estado, pretende (como della vereis) que os duzentos pardaos que se mandavão dar para o seminario de Ethiopia, em que residião Portugueses e Abexins, se repartão pelos que se recolherão a esse estado... ». Ita in epistola Regis ad Proregem 31 ianuarii 1651. ATTL, *Doc. enviados da India,* liv. LXI, f. 424. Cui epistolae Prorex respondet: « Não se sabe que haja nesta cidade nem no Norte mais que dous ou tres Abexins de Ethiopia, a que o arzobispo Primas tem acomodado em igrejas e beneficios por serem ecclesiasticos a instancia do Patriarcha; e outros dous ou tres que deve haver seculares andão servindo nas armadas. E assy que parece não haver lugar de se tirarem os duzentos pardaos que o mesmo Patriarcha aponta ... Goa, 21 de dezembro 1651 ». Ibid. ibid., f. 425.

Sed haec leviora sunt et magis indoli eius, quam pravae voluntati tribuenda, adeoque famam huius tanti viri nequeunt obumbrare, qui profecto doctrina, virtutibus, animarum studio et animi fortitudine in adversis ferendis inter illustriores sui temporis Praesules est adnumerandus.

II.

Operis historici patriarchae Mendez fontes, dotes et menda.

1) *Fontes.*

1. Cum A. noster ultimus inter eos, qui de rebus aethiopicis tractarunt, historiae conscribendae manum apposuerit, adeoque, ut idem fatetur, eorum laboribus adiutus fuerit, si quis in fontes unde notitias hausit inquirere velit, facili negotio rem totam expediet. Quatuor Patriarchae *Expeditionis Aethiopicae* libri vel narrant eventus qui ante ipsius in Aethiopiam ingressum locum habuerunt (lib. I usque ad cap. XIV), vel iter aethiopicum et gesta eius toto missionis suae tempore usque ad exilium (lib. I, cap. XIV ad finem libri, lib. II per totum et lib. III ad cap. XXIII et capp. XXXI et XXXII), vel demum ea quae, eo longius agente, in Aethiopia acciderunt ab anno 1633 ad annum 1652 (lib. III, capp. XXIV-XXX et lib. IV per totum).

2. Quoad primam eventuum enarratorum seriem, fontes e quibus hausit nihil aliud sunt nisi Historiae a patribus Paez et Almeida conscriptae, quas ipse prae manibus habuit. Notandum tamen A. nostrum non omnia iterum enarrasse quae in duobus illis Auctoribus inveniuntur, sed, pluribus omissis, ea tantum et quidem compendiose exposuisse quae ad suum scopum, enucleandi scilicet eventus expeditionis suae,

magis conducebant. Quia tamen homo eruditione multiplici, tum ecclesiastica tum profana inter paucos sui temporis erat ornatus et ingenii acumine praeditus, quaedam hinc inde de suo adiecit; eaque ipsa quae ab aliis mutuavit ita exposuit, ut e suo penu hausta videantur. Quare haec quoque pars eius Historiae legenti non inutilis accidet nec iniucunda. Eventuum, qui in secunda serie continentur fons unicus est ipsa Auctoris experientia, ut legenti facile apparebit, licet saepius, ut ipse fatetur, nihil aliud praestet quam narrationem Almeidae latine reddere, eodem plane modo ac Almeida ipse in aliquibus epistolas Patriarchae tum historicas tum apologeticas suas fecit et paucis mutatis historiae inseruit, ex. gr. litteras annuas Patriarchae annorum 1625, 1626, 1629, epistolas ad imperatorem Fasiladas eiusdemque conciones, etc. Demum quoad eos eventus in tertia serie contentos, quorum ipse testis oculatus esse non potuit, fontes fuerunt relationes, sive oretenus ab iis acceptas, quos iterum iterumque ad tentandum Aethiopiae ingressum mittebat, sive scripto a patre Brunone Bruni, qui in Aethiopia usque ad annum 1640 permanserat, sive postea a sacerdote Bernardo Nogueira, quem ipse suum vicarium in Aethiopia constituerat (1), sive eorum, quos ipse et in Aethiopiam et in Europam miserat ad missionis negotia procuranda. Hos igitur fontes singillatim enucleabo.

A) — *Relationes scripto acceptae.*

1. Epistola b. Agathangeli Ordinis Capuccinorum ad patres S. I. commendatitia Abunae Marcos, Manfolout in Aegypto, 15 octobris 1634, lib. III, cap. XXXI, nn. 9-11; *Rer. Aeth.*, IX, pp. 207-208.

2. Epistola proregis Indiarum ad Hamedigi mahumetanorum Diensium primatem, in favorem Patriarchae Suacheni detenti,

(1) Epistolas omnes huius sancti viri et Christi martyris Patriarcha in Lusitaniam misit, probabiliter una cum opere suo, ut typis mandarentur, addiditque praefationem illis praefigendam Attamen tempore patris Balthasar Tellez adhuc in tabulario Eborensis collegii servabantur, nec scio utrum in posterum praelo commissae fuerint. Cf. Tellez, *Historia*, p. 660.

Goa, 2 februarii 1635, lib. III, cap. XXXI, n. 14; *Rer. Aeth.*, IX, pp. 209-210.

3. Quinque epistolae Regum Lusitanorum ad proreges Indiarum de rerum aethiopicarum remediis et de Patriarchae negotiis, 17 februarii 1635, 7 februarii 1636, 25 martii 1636, 13 aprilis 1639, 4 aprilis 1644, lib. III, cap. XXXIII, nn. 2, 4, 5, 6, 10; *Rer. Aeth.*, IX, pp. 230, 231, 232, 233, 236-237.

4. Diplomatis pars a Rege Lusitaniae dati in favorem Patriarchae ad proregem Indiarum, 6 aprilis 1647, lib. III, cap. XXXI, n. 21; *Rer. Aeth.*, IX, p. 213.

5. Epistola regis Philippi IV ad Patriarcham: Dolet de tristibus Aethiopiae eventibus, certiorem de sua protectione facit, 17 februarii 1635, lib. III, cap. XXXIII, n. 3, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 230-231.

6. Epistola regentis Margaritae ad Patriarcham qua favorem rebus Aethiopiae ipsique spondet, 13 aprilis 1639, lib. III, cap. XXXIII, n. 7; *Rer. Aeth.*, IX, pp. 234-235.

7. Epistola patris Brunonis Bruni ad R. P. Generalem de eventibus Aethiopiae ab anno 1634 ad 1639 ex Amba Salam, 17 iulii 1639; *Expedit. Aeth.*, lib. III, capp. XXV-XXX, lib. IV, capp. I-III, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 171-200 (ab Almeida refertur lib. X, capit. XXV-XXX) (1).

8. Alia eiusdem p. Bruni epistola ex Amba Salam, iulio 1635, ad Patriarcham de caede in Assa patris Gasparis Paez et sociorum. Hanc memorat lib. III, cap. XXVI, n. 8, *Rer. Aeth.*, IX, p 180.

9. Informatio de caede patris Gasparis Paez et sociorum ab episcopo Apollinari d'Almeida exarata 1 decembris 1635, lib. III, cap. XXX, nn. 7, 8, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 200-201.

10. Epistola azagê Tinô ad Patriarcham [1636-1637], lib. IV, cap. VI, nn. 11-18, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 267-271.

11. Epistola Francisci Silveirae gubernatoris Diensis ad Patriarcham anni 1639, de virtutibus p. Francisci Marques, lib. IV, cap. IX, n. 9, *Rer. Aeth.*, IX, p. 287.

12. Epistola patris fr. Antonii a Virgoletta ad patres S. I. Massua, 18 iunii 1640, de martyrio patrum Bruni et Cardeira, lib. IV, cap. XVI, nn. 6-7, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 345-346.

(1) Dolendum sane Relationem integram in nullo Tabulariorum quae scrutatus sum a me fuisse repertam, quia Almeida primum, deinde Mendez ex parte tantum eam ad verbum referunt, cetera compendio exhibent.

13. Epistola eiusdem ad Patriarcham et ad patres S. I. Massua, 1 iulii 1641, de martyrio cuiusdam sacerdotis catholici aethiopis in Adecorrô, lib. IV, cap. XIII, n. 8, *Rer. Aeth.*, IX, p. 326.

14. Epistola patris Antonii d'Almeida ad p. Provincialem, continens notitias ab Holdo acceptas. Moca, 14 septembris 1643, lib. IV, cap. IV, n. 4, *Rer. Aeth.*, IX, p. 353.

15. Epistola archiepiscopi Goani ad Patriarcham, de laudibus p. Emmanuelis d'Almeida, lib. IV, cap. XX, n. 11, *Rer. Aeth.*, IX, p. 368.

16 Epistola Bernardi Nogueira ad Patriarcham, de rebus Aethiopiae usque ad ann. 1646, 7 iunii 1646, lib. IV, cap. XXI, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 368-372.

17. Epistola eiusdem ad eumdem, 11 martii 1647, nuntia de Aethiopia usque ad ann. 1647, lib. IV, cap. XXIII, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 379-384.

18. Epistola eiusdem ad eumdem [1650], nuntia usque ad ann. 1650, lib. IV, cap. XXII, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 370-377.

19. Breve Innocentii X ad Matthaeum de Castro, 5 octobris 1645, lib. IV, cap. XXIV, n. 5, *Rer. Aeth.*, IX, p. 387.

20. Relatio patrum provinciae Goanae in Mogor residentibus de gestis in eo regno annis 1651-1652 ab episcopo Chrysopolitano Matthaeo de Castro, lib. IV, cap. XXX, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 419-425.

21. Epistola Georgii aethiopis ad Patriarcham, Moca, augusto 1651, « Nuntia ex Aethiopia », lib. IV, c. XXXI, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 425-431.

22. Epistola Bernardi Nogueirae, 8 maii 1652, de rebus Aethiopiae annorum 1650 ad 1652, de statu sacerdotum, Lusitanorum et Sellae Christôs, anno 1652, lib. IV, capp. XXXII, XXXIII, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 432-449.

B) — Relationes oretenus a Patriarcha acceptae.

1. a p. Damiano Callaça quem Goa, 1640, miserat in Mare Rubrum ad explorandum Aethiopiae statum, lib. IV, cap. XVII, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 347-350.

2. a p. Hieronymo Lobo qui, ab Patriarcha missus, Romam, Ulyssiponem, Matritum petierat, circa exitum suae legationis, lib. III, cap. XXV, per tot., *Rer. Aeth.*, IX, pp. 165-169.

3. a cappellano suo Antonio d'Andrade e Lusitanis Aethiopiae, quem annis 1641-1643 ad idem scopum in Aethiopiam ac dein Romam misit, lib. IV, cap. XVIII, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 350-354.

4. a p. Antonio d'Almeida Mocam anno 1643 misso ad eundem finem, lib. IV, cap. XVIII, n. 4, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 353-354.

5. a patre Antonio Botelho ex rectore Diensi, qui pariter idem iter et negocium susceperat anno 1646, lib. IV, cap. XIX, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 355-360.

6. a patre Torquato Parisiani, de gestis episcopi Chrysopolitani, de quibus lib. IV, cap. XXIV, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 384-388.

7. ab eodem de caede patris fr. Antonii a Petra Pagana et sociorum Ordinis MM. RR., lib. IV, cap. XXV, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 389-391.

8. ab eodem de primae suae expeditionis Suachenum versus exitu, anno 1648, lib. IV, cap. XXVI, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 393-396.

9. ab eodem de sua secunda expeditione, 1650, et cum Chrysopolitano dissidiis, lib. IV, cap. XXVIII, *Rer. Aeth.*, IX, pp. 401-407.

2) *Operis dotes et menda.*

1. Ex hucusque dictis autumari quis posset opus Patriarchae parum vel nihil conferre ad historiam Aethiopiae cognoscendam, maior enim pars eventuum, qui in suo opere referuntur ab aliis scriptoribus iam in lucem editis enucleata invenitur. Attamen praeterquam quod ex huius gravissimi et doctissimi viri testimonio non parum auctoritatis aliorum narrationi accedit, in eius quatuor Historiae libris non exigua notitiarum messis studiosus rerum aethiopicarum colligere potest, quas in aliis scriptoribus frustra quaereret. Ut aliquid innuam, ea quae auctor narrat de carminibus satyricis a Ras Sella Christôs in derisionem patruelis Fasiladas, antequam ad imperium eveheretur, conscriptis (1), quaeque passim in suis castris a militibus canebantur, rationem reddunt exitialis illius odii quod inter istos duos viros exarsit. Pariter ex Historia Almeidae persuadere sibi quis posset matrimonium indiscriminatim clericis omnibus Aethiopiae eodem plane modo fuisse concessum ac ceteris orientalis ritus sacerdotibus. At vero ex

(1) Lib. II, cap. XIV, n. 5 (*Rer. Aeth.*, VIII, p. 259).

ipso Patriarcha scimus permissum id fuisse tantummodo sacerdotibus iam matrimonio iunctis et ad fidem romanam conversis, solutis vero, qui in posterum sacerdotio inaugurarentur, caelibatus legem impositam fuisse. Alia addere possem quibus lectores admonentur in iis quoque quae ab aliis historicis enarrata sunt aliquid novi, cum eadem Patriarcha profert reperiri posse. Eventus autem qui in Aethiopia, Romae et in Indiis locum habuerunt ab anno 1642 ad obitum fere ipsius Patriarchae a nullo alio ex his qui eum praecesserunt enarrati inveniuntur. Et licet p. Tellez suam Historiam vel potius synopsim Historiae ad obitum usque Patriarchae producat, tamen plura omisit, alia in compendium redegit, quae nonnisi in Historia genuina ipsius Patriarchae invenire est.

2. Et haec quoad res in Historia nostra contentas. Quoad cetera laudandus quidem ordo et partium dispositio, brevitas et efficacia in dicendo, at improbandus omnino stylus, qui genuinum latine dicendi modum non sapit. Ad haec genio sui temporis plus aequo indulgens iis similitudinibus, metaphoris et tropis a longe petitis sermonem exornavit, quae nostro hoc tempore risum movent: veluti cum Praepositum Generalem Societatis *Tiphym* et confessarium *fullonem* appellat (1). Vocabula certe latina sunt, at saepe numero vel obsoleta, vel minus a latinis scriptoribus usitata. Saepe implexus et dum brevitati studet obscurus, et quod magis mireris brevitati aliquando coniuncta prolixitas, ut potissimum videre est in concionibus, in epistolis et in disputationibus, quas cum haereticis habuit et in ea praesertim qua errores cuiusdam Iudaei refutavit (2). Illud addam quod passim A. fratribus MM. Reformatis nomen Capuccinorum attribuat, cum sint, ut omnes sciunt, duo Ordines distincti, licet ambo regulam s. Francisci sequantur.

(1) Cf. epistolam dedicatoriam ad Praepositum Generalem, quam in fronte sui operis apposuit.

(2) Suspicor disputationem istam ab ipsomet Patriarcha habitam olim

* * *

In edendo hoc Patriarchae opere (1) adamussim secutus sum exemplar ms., quod unicum modo extat in ASI, quodque ab ipso patriarcha Mendez, opera Balth. Tellez usus, Romam transmitti curavit, ut ibidem typis mandaretur. Indicem quoque rerum notabilium ab ipso concinnatum, cum satis lectorum commoditati respondeat typis mandavi prouti extat in ms.; de meo tantum adieci intra parenthesim notationem voluminum et paginarum quae praesenti editioni respondeat. Non pauca transcriptionis menda in ms. invenire est. Quaedam errori amanuensis evidenter tribuenda emendavi, pauca, quae ipsi Patriarchae exciderant adiecto intra parenthesim [*sic*] adnotavi. Caeterum, quantum fieri potuit, servavi quae ipse Auctor in suis « Advertencias . . . . » in editione sui operis servanda commendavit, etiam in frequenti usu characteris italici, quando aliorum verba referuntur; quas Notas ut lector inspiciat quanta diligentia A. sui operis editionem curaverit, hic ad calcem adiicienda esse existimavi.

3ª Via. **Advertencias que se devem de guardar na impressão deste livro** (2).

No principio do anno de 1652 na conserva das naos, em que foi dom Phelippe Mascarenhas, mandada[s] a Roma duas vias do livro da minha viagem, a primeira, muito bem escrita e emendada,

in Lusitania fuisse cum alio Iudaeo et scripto consignatam secum inter cetera sua scripta in Aethiopiam attulisse, tum quia nihil in ea invenitur quod ad Iudaeos aethiopicos (Falaxâs) referri potest, tum quia semel et iterum nomen Iudaei Salomon, quocum disputabat, in aliud nomen immutatur. Haec disputatio longissima legitur lib. II, capp. XII et XIII, *Rer. Aeth.*, VIII, pp. 231-255.

(1) De aliis eius, sive typis editis, sive quae quondam mss. servabantur in Tabulariis S. I., cf. Sommervogel, *Bibliothèque*, to. V, pp. 884-887.

(2) Haec in ms. praeposita leguntur primis tribus libris.

no galeão S. João entregue ao padre Barthezar Citadeli, a 2ª, de letra somenos, no galeão S. Francisco; a primeira se perdeo no dito galeão S. João com tudo o que nelle hia; a 2ª chegou a Lixboa e foi entregue ao padre Procurador da India e ficava ainda em Lixboa quando estas ultimas naos de la partirão. E seria grande ventura se estas o achassem ainda em Lixboa. Porque naquelle anno de 652 em outubro chegarão enformações muito largas e destintas das couzas d'Ethiopia, por rezão das quaes foi necessario riscaremse algumas couzas e acrecentaremse outras; e ia o anno passado mandei hum papel das couzas que se havião de riscar e das que se havião de acrecentar, apontando os lugares, em que huma e outra couza se havia de fazer. Mas, como aquillo era por alto e como in abstracto, seria difficultozo encaxar cada couza em seu lugar. Por tanto, chegando nova certa da pertidição [*sic*] daquelle galeão, ainda que o tempo daly pera a volta das naos era pouco, me resolvi a fazer tresladar outra 3ª via, em que tudo fosse junto, por tam bem arecear, que assy como se perdeo a primeira via entre Goa e Lixboa, assy se poderia perder a 2ª entre Lixboa e Lyorne.

E porque pode ser que a segunda via sera mandada ia a Roma e que lá se começasse a imprimir, he necessario que em esta 3ª chegando a Lixboa, se informem do estado em que aquella está, e se mande logo esta primeira parte da 3ª via, que contem os tres primeiros livros, em que ouve pouca mudança, e por elle se imprimão as couzas que aqui vão appontadas e nesta vão mudadas. E a 2ª parte, onde ha muita mudança e acrecentamentos, e sofre
f. 1, v. mais tardança, se podera mandar depois e sem *elle nenhum modo se imprima o livro 4º. O que se ha de acrecentar nos tres primeiros livros vay aqui appontado; o que pertence ao 4º vay no principio do corpo em que o dito livro vay encadernado.

Nesta primeira parte o corpo primeiramente se risque a Admonição ao leitor, que está depois da Didicatoria e começa: « Si « ex Apostoli vel consilio vel praecepto, etc. ». Depois continue a Protestação e depois o Indice dos livros e capitulos como estão nesta 3ª via. Depois começará o primeiro livro na forma em que está em ambas as vias.

No 2º livro no cap. 4º, n. 15, pag. 2, regra 3, onde dis: « Aculeus exstimulabat », se ponhão dentro do texto as palavras que estão na margem debaixo deste sinal †: « In tanta doloris immu« nitate caudae antiqui serpentis verbera non defuere. Quadam enim

« die decumbentem maligni spiritus calcibus et pugnis valenter con-« tuderunt, nec raro postea spectris et terriculis infestarunt; ge-« mitus et lacrymae a moriente in etc. ».

No 3° livro no cap. 33, no fim do num. 8° se mettão as regras que começão na septima regra da segunda pagena e della saltão na margem, e dizem assim: « Illum serenissimus Rex noster, post « exactum a prima administratione triennium, iterum anno 1649 « Indiae proregem renuntiavit, sed propter serotinae navigationis « intempestivitatem, in aestuoso et arenoso exterioris Aethiopiae lit-« tore sepultus, a praetereuntibus et ipsius benignitatem et clarita-« tem memoria recolentibus, ploratur, quam fallaces sint hominum « rationes et inanes contentiones inde ostendens ».

As emendas e acrecentamentos, que pertecem ao 4° livro se porão no principio do 2° corpo desta 3ª via.

Advirtase que tudo o que nesta obra vay escrito a margem sem sinal algum, se ha de escrever e imprimir com letra menor, e o que tem sinal dentro no texto e fora na margem se ha de imprimir dentro do texto com a letra ordinaria delle, e que tudo o que vay dentro do texto com riscas por baixo se ha de escrever letra grypha pera distinção da ordinaria (1).

Nesta 3ª via vão muitas couzas emendadas e riscadas do que hia nas outras duas vias e alguns capitulos inteiros acrecentados. Por onde a impressão se deve de fazer por esta 3ª via. Mas porque isto pode ser penoso aos componadores, por esta letra desta via ser muito miuda, bem podem ir compondo pella letra da 2ª via (se lá for chegada) e recorrer a esta 3ª só naquelles lugares, em que ouve mudança ou acrecentamento, que aqui irão appontados.

No dito livro 4°, cap. 7°, no n. 8, na penultima regra, se ham de meter as palavras que estão na margem de ilharga, e dizem onde está este sinal †: « et quodam valide librato oculum episcopo extuderunt. Lusca remansit Aethiopia cum Patriarcham, suum dextrum lumen (inquit pater Brunus a Sancta Cruce in epistola in hoc suspendio) in Indiam emisit, poenitus coeca, cum intra se ipsam lumen alterum, episcopum saxo exoculatum amisit ».

No mesmo cap. 13° entre o n. 16 e 17, que estão na 2ª via, se ham de meter os numeros que vão nesta 3ª via, do numero 16 por

(1) Quae sequuntur A. praeposuit initio libri IV.

diante; primeiramente o n. 17, « Ioannes Gabriel etc. » e os numeros 18, 19, 20 e 21, que era o n. 17 de primeiro, e depois se ha de por o mais que se acrecenta no dito numero.

No capitulo 14, n. 2 da 2ª via antiga se riscarão humas palavras, e acrecentarão outras, que se hão de imprimir por esta 3ª via. E da mesma maneira no mesmo capitulo 14 no fim do n. 6, em que ha alguma differença do antigo; e no fim do n. 7°, se acrecentarão outras palavras, que tambem se ham de imprimir, como vão nesta
f.270,v° 3ª via *nesta forma, porque parte dellas esta dentro do texto, e parte a amargem. Mas huma e outra couza se ha de escrever nesta forma metendose tudo dentro no texto: « Illius votis plene Deus annuit. Missus enim in insulam Dek, et haereticis monachis in custodiam et depravationem traditus, ab iisdem lapidibus appetitus fuit, quod catholice, reverenter et attente Beatissimae Virginis Rosarium recitaret ». No fim do mesmo numero 7 se riscarão algunas palavras, que tambem se ham de imprimir como vão nesta 3ª via.

No mesmo lib. 4° no cap. 15, no fim do numero 10 se riscarão algumas palavras, e se acrecentarão outras, que se ham de imprimir como vão nesta 3ª via.

No mesmo capitulo, depois de acabar o dito n. 10, se ha de ajuntar o n. 11, que vay acrecentado nesta 3ª via.

Todo o capitulo 22 do dito livro 4° da 2ª via se ha de riscar, e em lugar delle se ha de escrever e imprimir o capitulo 22, que vay na 3ª via. No titulo do capitulo 27 mesmo livro 4° está janeiro de 1649, risquese 1649 e ponhase em seu lugar 1650; da mesma maneira no fim do n. 6 de mesmo capitulo. Risquese tambem todo o n. 7 do mesmo capitulo 27, que começa « otiosus non est », porque todo se mudou daly pera o capitulo 33 do mesmo livro, e lá he o numero 9 e derradeiro de toda esta obra.

Risquese todo o capitulo 31 da 2ª via e em seu lugar se ponha o capitulo 31 da 3ª via, e apos delle os capitulos 32 e 33 da mesma 3ª via. Ja o anno passado escrevi, e agora o torno advertir, que se deve de considerar se he bem fallarse nesta obra no bispo Canarim dom Matheus de Castro, grande encontrado da Companhia, de quem se falla nos capitulos 24, 28, 29 e 30 deste 4° livro, e ainda se poderão ajuntar muitos outros pellos grandes excessos, que depois disto tem cometido e vay cometendo. So está en contrario o poder a Congregação de Propaganda Fide tomar isto por

afronta sua, por ella o ter elegido por bispo e por missionario apostolico.

(1) Tudo o que pertence a este bispo Canarim se ha de deixar omnino sem se estampar, e assim convem, e assim o adiunto ex authoritate illustrissimi et reverendissimi Patriarchae mihi comissa in hac parte.

Sanfins, 13 de setembro 655.

BALT. TELLEZ.

(1) Sequentia patris Balthasar Tellez manu addita sunt.

INDEX ALPHABETICUS

VERBORUM RERUMQUE NOTABILIUM

QUAE IN INTRODUCTIONE CONTINENTUR

B

C

D


N

O

P

R

S



Expeditionis Æthiopicæ

Liber primus.

Cap. primum.

De nomine, & situ Æthiopiæ.

Æthiopia ab extremo Arabiæ ad Occidentem limite excedentis, et mox in oppositam Africæ oram, Erythræo mari interfuso pertingendum in Indici Oceani, et promontorij Bonæ spei angustias: ac deinceps in Guineam, Angolam et Hesperidum insulas flectentis [illegible] Late in mediterranea se porrigentis nomen antonomasticè, concordi gentium, et Geographorum suffragatione, illi supra Ægyptum regioni attributum est, quæ a plerisque Abassia à multis cum auctuario media, ab alijs alta nuncupatur. Forsan Abassia ab Abxa primaria regni Adelensis ad Orientem finitimi civitate, per quam primus olim in ipsam ab India confluentibus patebat ingressus, ut quemadmodum regnum ipsum Adelense dictum est Zeilanum à Zeila portu, Indiæ [illegible] maxime propinquo, et ideo notissimo, ita et regio hæc Abassia ab urbe vicina, nec parum tunc gloriosa, cum Æthiopici Imperatores non solum proximo continenti, verum Arabiæ freto divulsæ imperitabant, media, et alta, quod inter Superiorem Æthiopiam, Orientali [illegible], et inferiorem Mediterraneo definitam interclusa, scansili [illegible] gradu per diversa montium tabulata ad supremam veluti arcem [illegible], [illegible], adeatur, et inde proclivis fluminum [illegible] maria: Oceanum, Erythræum et Mediterraneum sit [illegible]. [illegible] undique in eam tendentibus clivosæ et inaccessæ [illegible] montes instar premuralium obijciuntur, quorum summitas in [illegible] planitiem tanquam solarium nunc viginti, nunc [illegible], nunc sexaginta, nunc plurium, nunc pauciorum milliarium longitudinis: et modo in tria, modo in sex, modo in decem latitudinis expatiatur, abruptis plerumque lateribus, et lapsu adeo præcipiti ut qui ibi enascuntur rivi minores quidem aquarum mole, sed decidentes similes Niliacis efficiant cataractas. Ex adversa deinceps

fronte

Æthiopiæ nomen peculiariter Abassiæ [illegible].

Abassiæ nomen ab urbe Abxa.

Castellatim tota [illegible] regio assurgit.

EXEMPLAR APOGRAPHI " EXPEDITIONIS AETHIOPICAE "

f. 2. # EXPEDITIONIS AETHIOPICAE

PATRIARCHAE

ALPHONSI MENDESII

E SOCIETATE IESU LUSITANI

LIBRI TRES

ET

AUCTARII LIBER QUARTUS

AD REVERENDUM ADMODUM IN CHRISTO

PATREM NOSTRUM

FRANCISCUM PICCOLOMINAEUM

SOCIETATIS IESU PRAEPOSITUM GENERALEM

f. 3. REVERENDO ADMODUM IN CHRISTO

PATRI NOSTRO

FRANCISCO PICCOLOMINAEO

SOCIETATIS IESU

PRAEPOSITO GENERALI.

AMPLIORIS molis volumine, quo universi Abassinorum et omnium Orientalium haereticorum errores confutantur, ianuario anni millesimi sexcentesimi quadragesimi sexti a me ad praelum in Europam dimisso, statim huius meae expeditionis Aethiopicae operam condixi; et vix prima illi stamina subtenderam et ducto in transversum radio cancellaveram, cum, appetente februario, Goae tempestas non minus atrox et furibunda in collegium nostrae Societatis, quod incolebam, et in sanctum Franciscum Xaverium, illius fundatorem, tamquam iniustum occupatorem redituum, ex destructis idolorum fanis, ob indigenarum ad Christi fidem conversionem, vacantium et ipsi ab immortalis memoriae Ioanne IV Lusitaniae rege in illius dotem attributorum, quam nuper in Aethiopia ab immanissimo et callidissimo imperatore Basilide (ipsi dicunt Faciladâs) contra

romanam fidem et Ecclesiam excitata, meos conatus, dum adhuc ordirer, succidit, calamum graphio commutans, et mentem a cubiculo in forum, et a liciis ad litium implicationes convertens. Quae enim virgo, quantumcumque pudicitiae et arcani cultrix, si paternam domum flammis correptam videat, se foras per fenestram non proruat et morti obiectet ad aquam e puteo hauriendam et incendium restinguendum? ut Valenti imperatori, (1) Dei Ecclesiam funditus ariano igne consumenti et suum ex eremi cella digressum et Antiochiam accessum ad illum opprimendum incusanti, respondit monachorum sui temporis celeberrimus et solitudinis servantissimus Aphrates. *Episcopum* vero, et si ex Paulo (2) *dedeceat esse litigiosum*, non tamen vitiligatorum insectatorem; cum ipsius munus sit, eodem approbante, *potentem esse in doctrina sana, et eos qui contradicunt*, tam in fidei quam in morum et iustitiae negotiis, *arguere* (3); cum et Christus Dominus pharisaeos, cum sibi intricatas aliquas quaestiones ad ipsum impediendum obiicierent, aliis obscurioribus ex eodem genere distineret.

Quae turbamenta, in quatuor annos prorogata, in pacatissimis et optatissimis Vestrae Paternitatis comitiis finem aspexerunt. Tunc enim sere*nissimus rex noster Ioannes IV, tertii f. 3,v.
ut haeres sic aemulator, quae ille largitus fuerat roboravit et uberiora adiecit. Regis igitur munificentia et tua felicitas, mutuo nexu implicatae, nobis, non iustitiam (est enim illius nomen ominosum), sed halcyonia perpetua a foro invexerunt et, stylo acerbiori de manu extorto, meum mihi calamum pacificum restituerunt, quo opus interruptum redorditus et redauspicatus, sub tuis auspiciis, illud, Deo aspirante, inter senectutis et exilii incommoda ad finem provexi. Nec erat cur alium ipsi patronum quaererem, quam illum quem Deus Societati, cuius ipse minimus sum condylus, parentem et propugnatorem praevidit, praedixit et ad omnium religiosorum

(1) Theodoret. in *Histor. Eccles.*, lib. 4, c. 23, 24, 25. — (2) I *Tim.*, 1, n. 3. — (3) *Tit.*, 1, n. 9.

munerum amussim dedolavit. Te a Deo praevisum et praenuntiatum Societatis nostrae Generalem non inficiabitur, qui scierit (at quis nesciat, cum nos in Aethiopia, qui sunt ultimi *terrae fines*, a quibus, Matthaeo teste, *Regina Sabâ venit audire sapientiam Salomonis* (1), et in populo, *post quem*, ut ait Isaias, *non est alius* (2), centies audierimus) te a summo pontifice Urbano VIII, perspicacissimo et aequissimo ingeniorum et talentorum aestimatore, inter omnes Societatis alumnos illius Generalem designatum. Quod non ut hominis, sed, cum esset *Pontifex anni illius* (3) et plurium antecedentium et consequentium, ut Dei oraculum suspiciendum. Cum enim humani generis sator Adamus eductam ex sua costa Evam est intuitus, dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea est. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem etc.* (4).

Sed Christus Dominus, eadem verba apud Matthaeum repetens, altius ab illis Geneseos exorsus: *Non legistis,* inquit, *quia qui fecit hominem ab initio, masculum et foeminam fecit eos?* (5); et subdit consequenter: *Et dixit: Propter hoc relinquet homo patrem et matrem* (6). En qui fecit hominem, idem dixit: *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem.* Sed hominem fecit Deus, ergo et illud dixit Deus. Dixit autem Adami ore, quia, cum futurus esset humanae stirpis propagator, par erat ut ipse nosceret et proderet quis ritus futurus esset illius propagandae. Ideo Adami loquentis dictum dictum fuit Dei inspirantis. Ergo multo magis vox Urbani, qui caput erat Ecclesiae toto orbe diffusae, vox fuit Dei et caeleste oraculum, cum esset de eo instrumento fidei propagandae, quod dici potest instrumentum instrumentorum, ut dexteram vocat Aristoteles, quod omnia instrumenta moderetur. Idemque nomen promeretur generalis Societatis Iesu Praepositus, qui ubique terrarum tot con-
f. 4. versionis instru*menta movet, quot habet subditos propagationis fidei curatores.

(1) *Matth.*, 12, n. 42. — (2) *Isai.*, 18, n. 7. — (3) *Ioan.*, 11, n. 51. — (4) *Genes.*, 2, n. 23. — (5) *Matth.*, 19, n. 4, 5. — (6) *Genes.*, 1, n. 27.

Hoc vero instrumentum instrumentorum quam accurate Deus formavit, caelavit et perpolivit? Non quidem in ovium pastione, in qua haebreus [*sic*] Philo tradit Moysen et alios e priscis patriarchis a Deo exasciatos, ut hominum postea essent pastores, sed in praecipuis Societatis muniis, quae omnia percurristi et nobilitasti; duorum philosophiae cursuum praelector, theologiae antecursor, romani collegii, ex praestantissimis omnium nationum ingeniis conflati, et ideo totius orbis rector, ut de magno Athanasio, cum alexandrino populo praefectus fuit, refert Nazianzenus (1), toti mundo praefectum, provinciae Romanae, Neapolitanae, Mediolanensis et Venetae supremus praeses, et Sicularum visitator, tandem Societati a secretis, vel potius ab omnibus: in te enim omnia illius negotia aetate iam confectus reverendissimus pater Mutius Vitelleschius invergebat, ambiens et triumphans, quod iam, se vivente, sui muneris praerogativis et nomenclatura fruereris, et Societatis Typhis in praesens habereris. *Nauticam legem laudo, inquit idem Nazianzenus* (2), *quae gubernatori futuro primum remos tradit, deinde ad proram collocat; sicque, prioribus muneribus ipsi commissis, tandem ad gubernacula constituit. Eadem rei militaris est ratio: miles primum, deinde centurio, tum imperator.* Quae in te, ex imperatoria et pontificia duorum Piorum, II et III, summorum antistitum familia natum (quamquam non tua sed aliena, et ideo tibi ingrata, commemoro) quadrat similitudo. *Hic optimus ordo est* (pergit theologus) *iisque qui subsunt, maxime conducibilis. Quam praeclare nobiscum ageretur, si idem nostrarum rerum status esset?*

Praeclarissime igitur nobiscum actum, divinissime theologe, et optimum nacti sumus rerum ordinem: si quidem statum illum, quem tu animo delineabas et velut in platonica republica pingebas, in Societate non pictum, sed vivum, non adunbratum, sed expressum intuemur. Generalem habemus

(1) *Orat.*, 21. — (2) *Orat.*, 20.

Picolominaeum, tentatum et probatum per omnia, ut omnibus possit condolere et opitulari; quod subditis inter prima est conducibile; in quem ex pleno cadit illud martyris Cypriani de suo compare Cornelio romano elogium (1): *Non iste ad episcopatum subito pervenit, sed per omnia ecclesiastica officia promotus et in divinis administrationibus Dominum saepe promeritus, ad sacerdotii sublime fastigium omnibus religionis gradibus ascendit. Tum deinde episcopatum ipsum non postulavit, nec voluit, nec ut caeteri, quos superbiae suae tumor invasit, sed placidus et quietus, non ut quidam, vim fecit ut episcopus*
f. 4,v. **fieret sed magis vim passus est, ut episcopatum coactus acciperet. Factus est autem episcopus de Dei et Christi eius iudicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quae tunc aderat, suffragio, et de sacerdotum antiquorum et bonorum virorum collegio.*

Quis non videat, Cyprianum, mutato episcopi et sacerdotii nomine in Generalem et generalatum, de Picolominaeo locutum, qui ad sublime Societatis fastigium omnibus religiosae disciplinae officiis et gradibus ascendit: ab antiquorum sacerdotum, et optimorum Societatis pene omnium virorum collegio centuriatim electus, et eumdem futurum omnium absentium sensum, seu turmatim, seu tributim, seu viritim consulerentur? Et cum nullum fretum, nullus Euripus tot habeat agitationes fluctuum, quot habet aestus ratio comitiorum, tua sic pacata fuisse, ut, ex octogenis suffragatoribus, uno amplius in prima recensione undesexaginta tuleris, non puncta, sed gemmas et uniones? Certabant enim omnes orbis nationes ut te haberent communem (quod solum tuis titulis deerat) defensorem: et quia defensore nihil magis eget quam quod convulsum est et dilaceratum, Aethiopia, quam Vates dicit *terram convulsam et dilaceratam et expectantem* (2), te respicit, expectat et totum sibi vendicat defensorem, et

(1) *Epist.*, 52. — (2) *Isai.*, 18, n. 2, 7.

protectorem et tibi se cum suo Patriarcha exule, spoliato, et cum hoc libello, tot grassationum, caedium et aerumnarum teste, committit. Si tuis ille oculis et tutela dignus non est, ipsius suppleant indignitatem sex gloriosae tuorum filiorum et ipsius sociorum coronae, in quas incurres, et septima, sed vere decumana, Nicaeni episcopi, Societatis uberibus et lacte enutriti, ex praecelsa arbore, quod maturus illius esset fructus, suspensi, ut, qui totus caelo debebatur, caelo propior et procul a terra, e qua nihil corruptelae suxerat, obiret. Plures alios obvios habebis, quos ego, seu laborandi studium, seu charitatis ardorem, seu animorum coniunctionem considerarem, lectissimum semper habui Societatis fasciculum, ex maxime odoriferis omnium virtutum floribus concinnatum, qui in Indiam persecutionis turbine disiectus, eamdem, ut Nilus aethiopicus Aegyptum, consevit et locupletavit. Ex illo enim disperso unus egressus est Goanae provinciae, alter Goanae et Malabaricae diversis trienniis moderator; et illorum alter utriusque simul visitator et iterum ad idem munus post mortem nominatus; quidam in schedis Provincialis designatus, sed morte impeditus. Et plures essent, nisi charitas, quae in Aethiopia flagrabat, paululum in India tepesceret. Recto*res collegii f. 5.
Goani et aliorum, et Professae domus praepositi non pauci, ita ut universim missio Aethiopica consularis haberetur et magistratuum promptuarium.

Multis me noxis involutum cernerem, nisi, in licentioso et ab hominum oculis reducto solo, tam continentium et praecautorum patrum senatu cingerer, quorum aspectus et praesentia mihi semper pudorem et mei displicentiam et erga ipsos reverentiam ingerebat. Quare, si quid in Aethiopia laude dignum gessi, ab illorum exemplo, virtutibus et monitis processit. Nec habeo quidquam potentius quod meae defensioni obtendam, quam quod semper illorum consortio fuerim munitus et consilia secutus, nec umquam ab eorum placitis et nutibus in illius ecclesiae administratione discesserim. Quod

te, Reverendissime Pater, permovere debet, ut iis, quae tibi haec Expeditio, tamquam mea, offert, si probanda non duxeris, conniveas et illibatis tuorum filiorum laudibus, quae passim occurrent, meisque laboribus ac periculis parentis affectu blandiaris.

Deus vestram Paternitatem in suae Maiestatis et nostrae Societatis gloriam et incrementum multos annos servet incolumem.

Goae, 25 Novembris anni 1651.

Societatis Iesu minimus in Xpõ filius et omnium sociorum frater

ALPHONSUS Patriarcha Aethiopiae.

PROTESTATIO AUCTORIS f. 6.

Cum Sanctissimus D. N. Urbanus papa VIII, die 13 martii anno 1625, in S. Congregatione S. R. et Universalis Inquisitionis, decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5 iulii anno 1634, quo inhibuit imprimi libros. hominum, qui sanctitate seu martyrii fama celebres e vita migraverunt, gesta miracula vel revelationes, seu quaecumque beneficia, tanquam eorum intercessionibus a Deo accepta continentes, sine recognitione atque approbatione ordinarii et quae hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata, idem autem Sanctissimus die 5 iunii 1631, ita explicaverit, ut nimirum non admittantur elogia sancti vel beati absolute et quae cadunt super personam, bene tamen ea, quae cadunt supra mores et opinionem, cum protestatione in principio, quod iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia romana, sed fides tantum sit penes auctorem: huic Decreto eiusque confirmationi et declarationi, observantia et reverentia, qua par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu quidquid in hoc libro refero accipere, aut accipi ab ullo velle, quam quo ea solent, quae humana dumtaxat auctoritate, non autem divina catholicae romanae Ecclesiae aut Sanctae Sedis apostolicae, nituntur, iis tantum modo exceptis, quos eadem Sancta Sedes sanctorum, beatorum aut martyrum catalogo adscripsit.

[*subscriptio autographa*] Ego ALPHONSUS Patr.ca Aethiopiae (1).

(1) Post hanc « Protestationem Auctoris » et sequentem « Admonitionem ad Lectorem », scilicet a fol. 7 ad 10,v, habetur in Cod. Index librorum et capitum totius operis, quem nos, ut morem sequamur hucusque in praecedentibus septem voluminibus observatum, ad calcem VIII huius et IX voluminis ablegamus.

f. 11.

AD LECTOREM (1)

Si ex Apostoli vel consilio vel praecepto bona providenda sunt, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, et christianos semper paratos esse debere ad satisfactionem reddendam de ea quae in ipsis est spe, Ecclesiae princeps edixit, quanto maior illius reddendae obligatio iis incumbit, quibus credita est animarum administratio; maxime in iis locis, quae abstrusiora sunt et longius ab europeae gentis comercio (nec tamen a linguis) divulsa? quae inter postremum locum vendicat Aethiopia supra Aegiptum [*sic*] quam et situs et soli tenuitas in extremo Africae angulo collocavit et natura in eam ingredientium, non aream, vel theatrum extendit, sed sepulchrum excidit. Cum enim in eam ingressi fuerint, ante centum et decem annos, cum invictissimo duce Chrystophoro a Gama quater centeni Lusitani, illius a mahometano iugo vindices et assertores, ibidem ferreis vectibus et repagulis obserati remanserunt, quin hactenus data fuerit potestas evadendi, et nos, cum inde exacti fuerimus ante decem et septem annos, nullum per eos foramen invenire potuimus quo unam illuc epistolam immitteremus et, cum ubique nota sit nostra depulsio et plerumque contra damnatos et relegatos sinistre praesumatur et liberae sunt cavillantium linguae et iudicia, causae vero nostrae depulsionis ignotae,

(1) Praefatio haec in ms. cancellis ubique notata conspicitur, quia iuxta A. mentem typis amplius edenda non erat. Cfr. supra Introductionis criticae notam in fine.

necessitas nos urget ut illas toti mundo dispiciendas proponamus, ne, inaudita causa, iudicemur. Praecipue, cum audierimus, ab aliquibus, quorum pectori innatum est nigrae loliginis atramentum, temere in Europa disseminatum, nihil in Aethiopia amissum, quia a Societatis operariis nihil antea in ea gestum, vel Ecclesiae romanae partum, et Patriarcham et patres ab ea, non persecutione compulsos, sed clementioris coeli et opulentioris soli dulcedine allectos, exiisse, et si qua ibi persecutio saeviit, non in romanae fidei, sed in Iesuitarum odium exarsisse. Quod me impulit ad meam hanc Expeditionem exarandam et mundo divulgandam, ut quae privatim gesta sunt, publice innotescant, et quanta fuerit illius ecclesiae ruina, ex veritatis trutina, non ex obtrectantium maledicentia pernoscatur.

Minus quidem suspecta videri posset haec ratio seu narratio, si alium scriptorem sortiretur, non illum, in quem multarum rerum perperam gestarum culpa conferri potest. Sumus enim plerumque in rebus propriis suffeni, et nobis in ipsis erroribus abblandimur. Sed nulla certior historia quam illius quem ea quae narrantur, sive prospera sive adversa, ubique praesentem *repererunt; nec minus f. 11,v. creditur Iulio Caesari in iis quae ipse de se in suis Commentariis scribit, quam iis quae Titus Livius et Plutarchus de ipso in suis monumentis promulgarunt. Nec magni Athanasii veritas labascit, imo commendatur ex iis quae ipse de se memorat in suis Apologiis, et in Epistola ad solitariam vitam agentes, nec fides illi inferior adhibetur, quam historiae ecclesiasticae contextoribus, qui plura ex illis sunt mutuati. Nec Gregorii Nazianzeni fides elevatur, quod ipse totam vitam suam exhametro carmine, et in oratione de laudibus contubernalis sui Basilii descripserit. Recens quoque habemus exemplum illustrissimi et reverendissimi Alexii Menesii archiepiscopi Goani et Indiae primatis, qui lustrationem suam Malabaricam lusitanice vulgavit, cum Sancti Thomae christianos, a Nestorianorum faece repurgatos, romanae Ecclesiae copulavit. Nemo enim melius res novit, quam illi, quos continuae laborum stillae, vel frequens fluctuum incursatio extrivit. Ne tamen in rebus gravissimis nostro tantum dicto stetur, pontificias et duorum Imperatorum epistolas huic Expeditioni atteximus, ut, si quis in nostra fide haesitaverit, illarum lectione, auctoritate solidetur.

Et ut a priori calumnia diluenda incipiamus, nullo in agro excolendo et runcando attentiores et cunctatiores fuere Societatis operarii quam in aethiopico, quem ut vere romani concilio suo et pa-

tientia per annos septuaginta et unum possiderunt et veritatis vomere prosciderunt. Tot enim fluxere ab anno Christi millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, quo primum in Aethiopia penetrarunt, usque ad millesimum sexcentesimum vigesimum sextum, quo publica romanae Sedi obedientia est persoluta. Eam vero tanti fecit sanctissimus ipsius praeses Urbanus VIII, ut in literis ad imperatorem Seltan Seguedum ita scripserit: *Nili fluminis impetus laetificat hoc tempore civitatem Dei et ex sitientibus Aethiopiae campis exportantur ad regiam beati Petri fructus digni conviviis angelorum. Plantasti plane coelos in regnis istis.* Et in alia ad Patriarcham epistola: *Negotiatio Aethiopiae, quae tandiu in viam gentium aberravit, facta est hoc tempore thesaurus Ecclesiae et gaudium coeli. Manda, Deus, virtuti tuae, confirma hoc, Deus, quod operatus es in populis Aethiopum.* Ergo, supremi Ecclesiae iudicis testimonio et praeconio, aliquid actum et partum fuit in populis Aethiopum, aliquid dulcedinis ex Nili aquis
f. 12. haustum. Si vero, iuxta *Apocalipsim, *aquae populi sunt et gentes et linguae,* magna iudicata est illa conversio, de qua Summus Pontifex ait: *Nili fluminis impetus laetificat hoc tempore civitatem Dei.* Ibi enim tantum est aquarum impetus, ubi illarum visae [*sic*] (*a*), et multitudo, ut in Canticis canticorum: *Puteus aquarum viventium quae fluunt impetu de Libano.* Si negotiatio Aethiopiae facta est hoc tempore thesaurus Ecclesiae et gaudium coeli, magnae in illam et istud illatae sunt gazae, cum thesaurus sine ingenti divitiarum congerie non consistat, et coelum non mediocri gentium accessione ditescat. Cur Dei virtutem et confirmationem Christi Vicarius advocat, si nihil actum est, quod perficiatur, nihil partum quod confirmetur? Inferius vero ad huius missionis operarios conversus, addit: *Quod vero attinet ad fraternitatem tuam et sacerdotes Societatis Iesu, venerabilis frater, triumphatis in benedictione apostolici senatus et plausu Europae, nec vobis constanter perseverantibus ea perfecti decoris diademata in coelo deerunt, quae pollicetur Omnipotens propagatoribus regni coelestis. Benedicimus sacris laboribus vestris* (1). Nos igitur propagatores esse regni coelestis sentit Sedes apostolica, et aliquid a nobis laboratum, et nostros labores sua dignos fuisse benedictione. Quid igitur eorum, qui rerum ignari et arido sunt stomacho, maledicta curemus? *Maledicent illi, et tu benedices,* ait regius Psaltes (2). In quem locum divus Am-

(*a*) Profecto legendum « vitae ».

(1) Lib. 2, cap. 20, n. 3. — (2) *Psalm.* 108, n. 28.

brosius: *Ambienda hominum maledictio, quae acquirit dominicam benedictionem* (1).

Maior huius dominicae et apostolicae benedictionis pars cadit in missionarios Societatis Iesu, qui segetem ad priorem illam redditae obedientiae messem, et vineam ad illam vindemiam praepararunt. *Illi enim laboraverunt et nos in labores eorum introivimus* (2). Sed post nostrum accessum indecores et veternosi nequaquam stertuimus, sed tunc ab illis et a nobis instantius insudatum (qui praecipuus est edendae huius Expeditionis scopus). Et relictis aliis annis, duo tantum priores post redditam obedientiam perpendantur et planum evadet in illis tam numerosas copias in Ecclesiam invectas, ut, si aliae non essent, ob eas tantum dici potuisset: *Castrorum acies ordinata et Aethiopiae negotiatio* maxime quaestuosa; nam anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, his omissis, quos Societatis Iesu patres in suis residentiis, quae praecipue *erant convensionis officinae, Deo f. 12,v. pepererunt, a clericis, e monachis a nobis recens sacrorum ordinum charactere insignitis, inter eos qui avitas haereses abiecerunt et eos qui salutari lavacro, vel sub conditione vel absolute, sunt abluti, recensita fuere ducenta viginti quinque millia et septemdecim (3); anno millesimo sexcentesimo vigesimo octavo ultra centena eorumdem millia, praeter decem miriades Goiamensium Agaorum, qui, inanium Deorum superstitione et barbaris moribus ablegatis, baptismum susceperunt (4), et ex iisdem Abba Iacobus semi lusitanus, sui postea sanguinis laurea coronatus, octodecim millia propriis manibus lustravit, et in regno Tigraeo quinque hominum millibus, suo labore et doctrina romanae Ecclesiae conciliatis, Eucharistiam impartivit (5); eodem anno a nobis in visitatione Ogarensi ultra quadraginta millia sacro chrismate sunt peruncta (6): quibus si accedant reliqui, qui postea in aliis visitationibus Oinadeguae, Enfragii et Dambeae divinum idem signaculum acceperunt, longe centena millia excedunt. Nec ulla dies pauciores septingentis insignivit, multae octies et novies centenos, aliquae millenos et amplius et una mille centum triginta sex. Pater socius et nostri capellani, qui ipsius erant adiutores, interea dum nos grandiores inungebamus, quingentos octoginta infantes, quibus baptismus nondum fuerat collatus, in omnibus caeremoniis, quas romanae Ecclesiae [*sic*] praescribit, in Ogarensi lustratione abluerunt; in Oinadeguensi et Enphraziana sexcenti viginti nu-

(1) *Epist. 25 ad eccles. Vercell.* — (2) *Ioan.* 4, n. 38. — (3) Lib. 2, cap. 2, n. 9. — (4) Lib. 2, cap. 11, n. 1. — (5) Lib. 2, cap. 9, n. 10. — (6) Lib. 2, cap. 7, n. 4, 5.

merati: Dambaeenses pauciores non fuere sed ob festinationem in calculum non venerunt (1).

Quidam ex patribus Societatis in missione ad Dek, Nili insulam, infantes mille quater centenos proluit, adultos millenos tercentenos quadragenos confessione expiavit et sacra synaxi refecit (2). Alius in alia missione infantes sexcentos octoginta, adultos mille septimgentos et octo, alibi infantes millenos quingentos octogenos, adultos termillenos quater centenos sexagenos Christo adiunxit (3). Alius in alia infantes plusbis millenis (4). Quiddam [*sic*] sua residencia egressus ultra triginta ecclesias a catholicis parochis a nobis auctoratis excultas, et duo monachorum caenobia, romanae iam disciplinae et observantiae assueta, perlustravit (5). Alius in suo territorio centum ecclesias similibus parochis creditas, et plura monasteria religiose viventia pervisit, in quibus numerosa puerorum multitudo in eandem formam educabatur.

f. 13. *Quis, hos calculos supputans, non dicat: Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat? Imperator ipse Faciladas, immanissimus patrum persecutor, haereticis monachis, ipsum crebro obtumdentibus ut firmiores aliquos catholicos ad alexandrinam communionem sui brachii potentia adigeret, respondit: Non possum cum tot obnitentibus luctari: vos cum illis laborate ut patres diu noctuque agebant, et ideo tot animarum myriades sibi adiunxerunt (6).

Dicunt tamen obtrectatores: Quid quid de eo fuerit, lumen illud fuit stipulae et ocyssime tota illa expectatio evanuit. Nemo unquam culpae vertit agricultori, si, post segetem curiose terrae traditam et spicis turgentem, tota seges nubulae et aeruginis incubitu vitietur. Nec calamitas illa fuit solius Aethiopiae, sed plurium Ecclesiarum ab Apostolis et ab ipso Christo Domino erectarum. Ierosolymitanam, et plena evangeli doctrina et miraculis ab ipso et Iacobo ipsius fratre institutam, maior quam caeteras vastitas incessit, et usque in consumationem et finem iuxta Danielis vaticinium, perseverabit desolatio (7). Quid actum de ecclesiis, quas in Asia dilectus Domini Ioannes fundavit et administravit, quas ipse in Apocalypsi propter eximium fidei splendorem septem candelabra et stellas appellavit? Turcicae tyrannidis et perfidiae tenebris et caligine obruuntur. Quid de Thracia, Phrygia et Achaia, quas Andreas, Apostolorum tam aetate

(1) Lib. 2, cap. 21, n. 6. — (2) Lib. 2, cap. 25, nn. 3, 5. — (3) Ibid. n. 7. — (4) Lib. 2, cap. 11, n. 6. — (5) Lib. 2, cap. 5, n. 8. — (6) Lib. 2, cap. 1, n. 4. — (7) *Dan.* 9, n. 27.

quam vocationis tempore antiquissimus, excoluit? Iisdem damnis et aerumnis involvuntur. Quid de Armenia, quam Bartolomaeus suae pellis exuviis nobilitavit? Schismatis et haeresum tumultibus laniatur. Quid de Aegypto et Nubia, Aethiopiae contermina, quas divus Mattheus sui evangelii lumine illustravit? Rudera tantum et cadavera ingentium ecclesiarum a ducentis annis eversarum, et christianorum nominum umbrae in hominibus apparent. Ut ad propinquiora veniamus, ut magna pars Germaniae, Galliae, Belgii et tota Dania et Svecia ab antiqua et apostolica fide deficerent, satis fuere tartarea illa Lutherii et Calvini classica vitae libertatem permittentia. Ut Anglia infinitarum et sibi contrariarum haeresum flammis conflagraret, scintilla libidinis Henrici VIII efficit. Florentem in Iaponia christianam fidem levis suspicionis aura oppressit, fore ut sub ipsius palleo Hispanorum arma sugrederentur. Quae ergo alias orbis regiones divisa labefactarunt ea conglobatim in Aethiopiam *agmine facto irruerunt. f. 13,v.
Nullibi in ea intermissae, domesticorum bellorum, obtentu fidei, occidiones, externorum timores veris maiores, avaritia, invidia, carnis licentia, confinium Turcarum et Arabum exemplis nutrita, praeceps malae consuetudinis in polygamiam et circumcisionem, ex inveterata Aegypti contagione, flumen, vix ulli adverso pectore tranandum, quin cymbae rectori vitio tribui possit, si nunc illam medio alvio fortiter impellat, nunc caute oram legat, ipsa tamen fluctuum importunitate ad latentes syrtes allidatur, ut neque medico vel chirurgo, si, cum ipsi medicamenta scite applicent, aegrotus sua intemperantia efferatur. Scimus enim coelestes medicos dixisse: *Curavimus Babilonem et non est sanata* (1). *Curatio nobis commissa est*, inquit divus Bernardus, *non sanatio* (2); quia « non est in medico semper relevetur ut aeger », cum Hippocratis et « Galeni docta plus valet arte malum ».

Nec tanta fuit labes fidei aethiopicae, ut non in ea multi, tam ex clarissimis quam ex popularibus, post nostram depulsionem constantissime perseveraverint. In Dambaea multo plures nunc esse catholicos quam prius scribit praesbiter Bernardus Nogueira, noster quondam auditor, et nunc dignissimus vicarius generalis (3), nec sibi otium esse ad cibum sumendum prae eorum multitudine, qui ad exomologesim faciendam ad ipsius aures convolarent, et veteris Imperatoris familiares caeteris esse exemplo et incitamento. Additque idem de Goiama circumferri, amplius nunc ibi catholicos quam Rax

(1) *Ierem.* 51, n. 9. — (2) *Lib. de Considerat.* — (3) Lib. 4, cap. 1, n. 5.

Selae Chrystos temporibus efflorescere. Cui dicto concinit illustris senator Tecla Selasé Tenó (1), Imperatori seniori a secretis et annalibus, coelesti vero a palmis et coronis fusi sanguinis pretio comparatis, sic dicens in epistola ad Patriarcham: *Multi Damotum et Goiamensium constanter perseverant in fide quam a Vestris Dominationibus et patribus didicerunt;* et testis omni exceptione maior Ras Sela Christos (2), in epistola ad omnes principes et episcopos catholicos ab exilio directa, conquestus quod sibi et aliis catholicis tam graviter in Aethiopia conflictatis aliqua ratione non succurratur, concludit: *Olim, cum nulla esset ecclesia nec nomen christianorum, accurrerunt*
f. 14. *et terram istam e Mahometanorum potestate redemerunt; *cum vero nostris temporibus infiniti sint fideles, nemo est qui nobis suppetias ferat et nostri reminiscatur.* Tantum veritati eorum verba, qui dicunt a patribus Societatis in Aethiopia nihil gestum, quantum infinitas, a tanto viro commendata, et nihil opponuntur.

Si vero unus David a suo populo *pro decem millibus computabatur* (3), satis esset ad illam catholicorum infinitatem, vel saltem multitudinem comprobandam unius Ras Selae Christôs ad romanam fidem a Societatis Iesu patribus vocatio, institutio, in ea firmitudo, fortunarum et principatuum pro ea despectio, in undeviginti annorum exsilio constantia et gaudium, quo illi in loco relegationis suae cantabiles sunt eiusdem fidei iustificationes (4). In eo enim ad aemulationem centum et quinquaginta Psalmorum Davidis, totidem cantiones, in illius Patriarchae, episcopi et patrum commendationem, elegantissimis numeris, in quibus primus est, composuit, quas nobis, cum maxime expeteremus, viarum difficultas invidit. Palmarii quoque fuere illi triumphi quos triginta sex indigenae, post nostram emissionem procul ab nostris oculis, egere, proprio sanguine purpurati (5), cum nulli verborum et hortationum stimuli accessissent, sed illa tantum doctrina, quam a nobis olim expresserunt, semen fuit centesimi illius fructus, quo coeli horrea ruperunt.

Illud aeque falsum patres ab Aethiopia, non persecutione compulsos sed alterius coeli mitioris et soli opimioris desiderio invitatos, prodiisse (6). Nam ex hoc libello liquet, haereticos in eorum exturbationem nervos omnes intendisse, cum scirent gentiles suos catholicos infractos semper staturos, dum eorum praesentia et munitionibus fulcirentur (7) et ut a Goiama in Dambaeam et inde in exilium

(1) Lib. 4, cap. 6, n. 16. — (2) Lib. 4, cap. 27, n. 2. — (3) 2 *Reg.* 18, n. 3. — (4) Lib. 4, cap. .. . — (5) Lib. 4, cap. 13. — (6) Lib. 4, cap. 3, n. 5. - (7) Lib. 3, cap. 3. n. 5.

secederent, plurium senatorum vocatu pertractos (1), et, quasi nescirent Ecclesiam Dei custodiendam non esse more castrorum, omnibus quae habebant armis spoliatos (2), et ita inermes tribus viae custodibus commissos, quorum quilibet quam multis militibus cingebatur (3); ipsos vero, ne Aethiopiam desererent, plures latebras quaesiisse et in Burensem provinciam valde montosam et saxosam profugisse et ex ipsis episcopum Nicaenum et ipsius socium hyemem inter Mahometanos transegisse (4) et in profundam vallem deiectos, aquam de torrente, sicut *alterum Eliam hausisse, nec tamen annonam a corvo ut illum accepisse (5), sed exigua hordei placenta vitam tollerasse, f. 14.v. et inde post spatium trimestre semineces ac pene exanimes extractos, et episcopi socium per annum in tugurii gurgustio latuisse, quin per totum diem coelum daretur intueri nec cibum nisi per noctem sumpsisse (6). Quem vero? Nigerrimi frumenti quadram semiustulatam. Tres alii eorum aemulatores, quibus dignus non erat mundus, in Assensi spelunca laetissimam vitam duxerunt (7) et mortem constantissimi subierunt (8). Duo per octo annos rupem Salamam undique inaccessam coluerunt, fame, siti et nuditate singulis diebus confecti et tandem in publicis nundinis suspensi (9). Qui umquam milites fidelius suam stationem servarunt, aut propriis corporibus texerunt? Quae illos alterius coeli clementia aut opulentia prolectavit et a priori proposito deduxit? Unum inter omnes certamen erat, quis eorum, aliis in Indiam discedentibus, in Aethiopia periculis expositus esset remansurus. Vel in ipso congressu, ubi Turcis fuimus commissi, duo ipsorum et sexcentorum militum hastatorum et cetratorum, qui nobis custodes additi fuerant, manus, oculos et cuspides in medio tumultu evaserunt (10), quorum alter ante annum in Tigraeo regno hastilibus in fidei odium est transfixus, alius post quatuor in Dambaea suspendium subivit et lapidibus caesus fuit et obtectus (11).

Haec de patribus: quid de Patriarcha? Mortem quidem ipse non est promeritus, Deo debitam ipsi coronam in episcopum Nicaenum, suum coadiutorem et futurum successorem, transmovente. Sed ipsum eamdem ambiendi et vitam in Aethiopia ponendi studium et instantia non defecit. Num quid, cum monitus est ut Aethiopia recederet, illico abiit, excessit, erupit? Videatur eius epistola ad imperatorem

(1) Lib. 3, cap. 3, n. 7. — (2) Lib. 3, cap. 10, n. 1. — (3) Lib. 3, cap. 16, n. 9, et cap. 17, n. 2 et 7, et cap. 18, n. 1, et cap. 19 per tot. — (4) Lib. 3, cap. 25, n, 7. — (5) 3 *Reg.* cap. .... — (6) Lib. 3, cap. 25, n. 9. — (7) Lib. 3, cap. 29, n. 2. — (8) Lib. 4, cap. 10, n ... — (9) Lib. 4, cap. 12, n. ... — (10) Lib. 3, cap. 27, n. 8 et cap. 29, n. 5. — (11) Lib. 4, cap. 12, n. ...

Faciladas, in cuius initio aperte denuntiat, se nec discedere posse, nec saltem ut discedat vultu annuere (1). Plurimas deinde in hanc sententiam agerat [*sic*] rationes. Cum postea Fremonae a regio senatore et Tigraeis dynastis ad egressum ex domo urgeretur, constanter obstitit (2) illosque vehementi oratione, signatim vero illa in fine contestatione deterruit (3). *Vos tandem coram Deo omnium iudice obtestor me nec velle nec posse ab hac Ecclesia loco nec divortio segregari, nec istud tantum nolle sed et debere cum eadem et in eadem ad extremum usque spiritum permanere, et si propter ipsam vitae iacturam facere opus esset. (Quid unam memoro? Si plures haberem plures effunde-*
f. 15. *rem) Si vero animus vobis est experiundi quam *sim in hac voluntate obfirmatus, en manus habetis ad manicas, pedes ad compedes, fauces ad ferrea focalia et gladios, pectus ad omnia tormenta praeparatum. Cum enim me ad hoc Christi charitas urgeat, nulla corporis cruciamenta me ab hac Ecclesia, licet ortu et colore Aethiopissa, sponsa mihi in Christo et propter Christum dilectissima, divellent, nisi pedibus vel obtorto collo raptatum, et dehonestatum abducatis.* Ad quae verba ultima utrumque poplitem in terra defiximus et quot quot aderant, stupore correpti, longo temporis spatio obmutuerunt, et illius decreti executio usque ad novum Imperatoris responsum est prorogata (4). Quod cum nostris votis adversarium futurum sciremus (5), nocturnam fugam Fraemona adornavimus et capessivimus et Adicotam, quae rupes est invia in provincia Burrensi et aquilarum nidus, advolavimus (6) e qua nos ciborum et aquae penuria propulsavit, et alii uberiori commisit (7). Cum vero nos ex illa insommis Imperatoris solicitudo et cuiusdam, quem fidum patronum omnium amicorum iudicio futurum censebamus, proditio depulisset et addito senatore in Turcas instimularet (8), ante quam viae nos dederemus, eundem proditorem et senatorem exilii coactores interrogavi, num illud Imperatoris mandatum aliquem regressum haberet, cumque ipsi respondissent nullum nisi ad suum iugulum ab Imperatore amputandum, si quidquam dormitarent, multa adiieci, ut illos ab executione urgenda avocarem; quorum audiendorum impatiens senator dicentis verba abrupit, et itineris exordium militibus et mulionibus edixit. Quid tunc faciendum Patriarchae? In saxo, quod insidebat, haerendum et dicendum se inde non progressurum? Nec sanctorum patrum Ignatii, Athanasii,

(1) Lib. 3, cap. 4, n. 1. — (2) Lib. 3, cap. 16, n. 1. — (3) Ibid., n. 8. — (4) Lib. 3, cap. 17, n. 2. — (5) Ibid., n. 7. — (6) Ibid., cap. 19, n. 5. — (7) Ibid., n. 6, 7. — (8) Ibid., n. 10.

Chrysostomi et aliorum, cum ad exilium mitterentur, exempla suadebant, nam satellites et stipatores sequebantur, nec patribus, iam antea ea de re consultis, ut ita fieret probatum, cum Rex iam decrevisset, ut, si Patriarcha mulam conscendere detrectaret, lecto impositus a succollantibus Mazuam gestaretur. Id vero sibi fore valde perniciosum patres ominabantur. Dicebant enim, si Patriarcha Mazuam grabato decumbens importaretur, Turcas dicturos, ipsum et patres sibi vinctos et mancipiorum iure traditos, ac proinde servitutem sibi servituros et ingenti pecunia servorum instar redimendos.

Adeo vero Aethiopiae et ipsius Imperatori exploratum fuit Patriarcham et patres suae depulsioni restitare ut, alludens ad illam ultimam Patriarchae contestationem Fraemonae factam, dicat in ultima ad ipsum et patres epistola (1): *En Amâ Gueorguis, Tacâ Chrystos et Mel*châ Christos multa a vobis dicta nobis scripto retulerunt* f. 15,v. *et plures quas obiecistis excusationes, cum vobis ab iis nostro nomine et iussu diceretur: « In terram vestram, a qua egressi fuistis, redite », nuntiarunt;* et in fine: *Quid sibi illud vult quod V. Dominatio dicit: « Voto obstringor Aethiopiam non deserendi? ». Non illam V. Dominatio, sed illa V. Dominationem dimisit, nec V. Dominatio illam fuget,* [sic] *sed illa V. Dominationem sicut a praelii facie meticulosus. V. Dominationi nos coram Deo testes sumus V. Dominationem plurimum Aethiopiam dilexisse, sed illam non ita fuisse cum V. Dominatione laetatam et illi ingentes amaritudines intulisse;* et iterum: *Haec nostrae est epistolae resolutio: Omnes cum salute et pacis via in suas patrias discedant;* et prope finem: *Nil iam prodest, post hanc rem constitutam et dissectam, flexus et ambages pervestigare: scitote nihil vobis hoc concilium nec ullas morandi causationes profuturas. Hoc enim aeternum vestri exitii et pugnae baratrum existeret. Cur obluctamini et obfirmate dicitis vos monituros?* [sic] *Numquid aliquam offensionem vobis intulimus, aut vestras fortunas huc invectas aut hic partas expilavimus? Nec res haec nec verba commoda sunt; sed abeant, nec ullo modo quidquam opponant. Haec verbi nostri clausula et vectis, hoc est nostrae epistolae repagulum.* Lector nunc iudicet an Patriarcha et patres Aethiopiam ultio [*sic*] reliquerent, [*sic*] num gladiorum cuspide et hastilium mucronibus exagitati.

Nunc ergo habitatores Hierusalem et viri Juda (dicebat Isaias, ego vero dico) nunc ergo, veri Romani et Lusitani, *iudicate inter me et vineam meam* (2); vestrum enim iudicium, post causae momenta

(1) Lib. 3, cap. 21, n. 1. — (2) *Isai.* 5, n. 3.

proposita, non pertimesco. *Quid amplius debui facere vineae meae et non feci?* (1) Quid ne ab illa extruderer tentandum omisi? Quas latebras et rupes inaccessas non quaesivi? Numquid doctrinae sepem ipsi non circumduxi? Singulis diebus dominicis et festivis ipsam praedicationis vallo muniebam. Numquid, cum malarum consuetudinum frondibus silvesceret, luxuriantes palmites falce non repressi? Expendantur ad utrumque Imperatorem epistolae et conciones, et videbitur, non quidem hebetem, sed acutiorem et ardentiorem meae falcis aciem fuisse, quam patitur regia magistas [*sic*], ad magni Theodosii, cum obiurgatus est a sancto Ambrosio, religionem nondum provecta. Numquid propter somnolentiam mihi dici poterat: *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* (2) Nocte et die pervigil fui in ea custodienda, et a magnis lupis et a parvulis vulpibus defendenda, nec,
f. 16. dum pax *viguit, tempus ullum elabi passus sum, quo ab illa lustranda et excutienda sim feriatus. Quid ergo? An *quod expectavi ut faceret uvas et fecit labruscas* (3), vel spinas, quibus patres, cultores suos, episcopum Nicaenum et me coronavit? Solatio nobis est, quod easdem dilecto tulerit vinea, quae facta est ei in loco pingui, in cornu filio olei eidemque fudit *fel draconum et venenum aspidum insanabile* (4). Ut ibi nulla illius culpa fuit, sed espectata patientia, sic neque ulla nostrum in aceto et absynthio, quod nostra torcularia expresserunt.

Odiosos indigenis nos fuisse (quae erat ultima obtrectatio) negare non possumus, non tamen omnibus, sed iis tantum, de quibus Christus Dominus: *Beati estis cum vos oderint homines et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversus vos,* iis nempe qui homines sunt nec coelestia, sed terrena sapiunt: catholici enim et aeternae vitae curatores suos oculos eruissent et nobis dedissent. Si oculi lachrimis fluentes amoris sunt indices, cum per eos cordis fibrae colliquescant, quot lachrymarum flumina in nostro exitu effusa (5). Nebessenses, Collelenses, Danotes [*sic*], Agai, Gorgorrenses patres, a suis residenciis egressos, ad extremos suorum agrorum et provinciarum fines cum lachrymis et intimo doloris sensu sunt prosecuti (6). Depsae, in oppido Patriarchae, ad extremam concionem et contestationem (7) et postea, in regno Tigraeo, in ultimo excessu, catholicorum, ex proregis castris accurentium, qui clamores quae comploratione? (8) Quae nunc, vel ipsorum haereticorum desideria, quae commendationes?

(1) *Isai.* 5, n. 4. — (2) *Isai.* 21, n. 11. — (3) *Isai.* 5, n. 4. — (4) *Deuter.* 32, n. 33. — (5) Lib. 2, cap. 34, n. 6, 7. — (6) Lib. 3, cap. 7, n. 6. — (7) Lib. 3, cap. 8, n 1. — (8) Lib. 3, cap. 19, n. 8, 15.

Inspiciatur p. Bernardi Nogueirae epistola lib. 4, cap. 23, n. 7, cuius verba sine pudore proponere non possumus, vel Claudius, Imperatoris frater, qui ipsum aliquando a catholicae fidei restituendae animo abduxit, et tres sacerdotes in illius odium trucidavit (1), cum de manifestis Abunae Marci, qui Patriarchae successor ex Aegypto vocatus fuit, stupris et nepotaribus inter curiales coram Imperatore ageretur, in eo consessu dixit: Patriarcham mala numquam fabula fuisse laesum, nec similem ei praelatum in Aethiopia umquam visum vel in posterum videndum, nisi idem in eam redeat, aut alius ab eo, a quo ipse missus est, mittatur (2). Quod dictum graviter Imperatorem pupugit ob culpam in altero dimittendo et in altero invitando admissam, et in Clau*dium graviter commotus est Abuna, f. 16,v.
et Imperatorem in eumdem irritavit et unde sumptum initium eiusdem in eum rebellionis et internecionis. Si maiorem dilectionem nemo habet, Christi Domini testimonio, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, quae maior umquam extitit dilectio quam illa qua dominus Zamarianus tembenensis ex patrum amore fortunas, praefecturam, cognatos et filios suumque caput in extremum periculum, vel potius perniciem proiecit?

De insano illo dicto: « Aethiopicam persecutionem non ex fidei romanae, sed ex Iesuitarum odio concitatam » non est cur modo eloquar, cum tot atletae, qui Iesuitae non erant, et sanguinem suum generose et prodige effuderunt, tot oribus veritatem buccinentur quot vulnera receperunt, et contraria temeritas satis confutata sit cum suo auctore lib. 4, cap. 29, n. 11. Haec sunt quae te, benevole lector, monitum velim, certus, si ea primis digitis attingas, statim mendacia a te damnanda et veritatem animo inserendam. Vale.

(1) Lib. 4, c. 1, n. 3. — (2) Lib. 4, c. 18. n. 7.

EXPEDITIONIS AETHIOPICAE

LIBER PRIMUS

f. 18.

CAPUT I.

De nomine et situ Aethiopiae.

Aethiopiae, ab extremo Arabiae ad occidentem limbo exordientis et mox in oppositam Africae oram, Erythraeo mari interfuso, postmodum in Indici oceani et promontorii Bonae Spei anfractus, ac deinceps in Guineam, Angolam et Hesperidum insulas flectentis et late in mediterranea se porrigentis, nomen antonomastice, concordi gentium et geographorum suffragatione, illi supra Aegyptum regioni attributum est, quae a plerisque Abassia, a multis cum auctuario media, ab aliis alta nuncupatur. Forsan Abassia ab Abxa, primaria regni Adelensis ad orientem finitimi civitate, per quam primus olim in ipsam ab India confluentibus patebat ingressus, ut, quemadmodum regnum ipsum Adelense dictum est Zeilanum a Zeila portu Indiae quam maxime propinquo et ideo notissimo, ita et regio haec Abassia ab urbe vicina, nec parum tunc gloriosa, cum aethiopici Imperatores non solum proximo continenti, verum Arabiae, freto divulsae, imperitabant; media et alta, quod inter superiorem Aethiopiam, Orientali pelago, et inferiorem Mediterraneo definitam, interclusa,

Aethiopiae nomen peculiariter Abassiae affixum.

Abassiae nomen ab urbe Abxa.

Castellatim tota haec regio assurgit.

scansili undequaque gradu per diversa montium tabulata ad supremam veluti arcem Dambeam, Nili cunas, adeatur, et inde proclivis fluviorum in tria praedicta maria, Oceanum, Erythraeum, et Mediterraneum sit defluxus. Nam undique in eam tendentibus clivoso et inaccesso pene aditu montes instar promuralium obiiciuntur; quorum summitas in aequabilem planitiem tanquam solarium, nunc viginti, nunc quadraginta, nunc sexaginta, nunc plurium, nunc pauciorum milliarium longitudinis, et modo in tria, modo in sex, modo in decem latitudinis expatiatur, abruptis plerumque lateribus, et lapsu adeo praecipiti ut qui ibi enascuntur rivi, minores quidem aquarum mole sed deiectu similes niliacis efficiant cataractas. Ex adversa deinceps *fronte nunc continenti iugo nunc inclementiori itinere gra- f. 18,v. datim in aliud atque aliud tabulatum ad summum usque fastigium perreptatur. Cum vero montes ab ultima Aegypti planitie ad Nili fontem ultra sexcenta milliaria in hanc speciem castellatim attollantur ingens in Nubia et Aethiopia cernitur cataduparum horribili devexitate pendentium et continua aspergine rorantium ac vicinorum aures obtundentium multitudo.

Cataractae plurimae ob situs acclivitatem.

Aequatoris gradus in ea sinistre geographi collocarunt.

2. In hąc supra Aegyptum Aethiopia (sive mediam sive altam sive Abassiam dixeris) Aequatoris gradibus adaequanda infeliciter operam antiqui geographi collocarunt, illam a gradu vigesimo secundo septemtrionali ad decimum septimum australem protrahentes, cum tamen tota sita sit ad septemtrionem, inter Cancri tropicum et Aequatorem, et ab octavo gradu in mediterraneis consurgens decimum septimum in mari Rubro non excedat. Non minus eorum radius vacillavit cum aliqua Aethiopiae regna a natali loco in peregrinum ultra Aequatorem ad Austrum dimoverunt, et alia in proprio constituta in plura conciderunt, Tigraeum, quod primum est omnium ad fretum Arabicum, nunc Tigre, nunc Tigrai, nunc Tigre Mahon, nunc Sire, nunc Barnagassum nominantes, cum Tigre et Tigrai sola incolarum et advenarum pronuntiatio distinguat, Tigre Mahon ille sit tractus, quem in annonam Tigraeo proregi, ea lingua Mahon dicto, Imperator assignat, Sire et Barnagassus duae sint eiusdem regni provinciae. Nili ortum pariter cum aliis iidem ignorarunt, eum ex duobus lacubus Zaÿre et Zaflan, longe trans Aequatorem ad Austrum positis, extrahentes, et cum Astabora sive Tacasaeo, ad undecimum septemtrionis gradum commiscentes et iterum ad duodecimum in duo brachia usque ad decimum septimum dividentes, ut illorum dilatatione et complexu fabulosa Meroe, Nili insularum maxima, consurgat.

Unum regnum in plura iidem diviserunt.

3. Antiquae igitur Abassini imperii metae quatuor lineis inter Aequatorem et Articum verticem includuntur; prima quae, a decimo sexto supra Mazuam ad Orientem et Erythraei maris fauces, gradu incipiens, et Dancalinum regnum mahometanum, Doarô et Balli. nunc Gallarum, contingens, ad octavum australem per milliaria quatercentena et vicena ducatur; altera, quae a Balli orientali eiusdem octavi gradus australis limite, in septimum cum semisse in Occidentem, ubi Naraea sita est, in octoginta super quatercentum milliaria feratur; tertia quae ab australi Naraeae latere, in septimo gradu con-
f. 19. surgens in occasum ad *Agaos Dambaeenses, decimo quarto gradui subditos, tercentum et triginta milliarium excursu contendat; ultima, quae obliquo tramite ab Africo, ex eorumdem Agaorum regione, a decimo quarto ad decimum sextum gradum in Orientem, unde prior egressa est linea, quatercentenis et quinquaginta milliaribus emensis, describatur. Quibus lineis in quadrum utcumque protentis, mille nongenta et octoginta milliaria (quae fuit antiqua huius imperii magnitudo) continentur.

Antiqui Abassiae fines.

4. Inter has metas sex supra triginta fuere illius regna: Tigré, Angót, Amará, Doaró, Fategar, Oggé, Balli, Hadea, Alamalé, Oxeló, Gans, Beteramorá, Gurague, Buzaná, Sufgamó, Bahargamó, Cambat, Boxá, Gumar, Naraea, Conch, Damót, Gojam, Bagamedei, Dambea, Dobá, Motá, Ausá, Holeca, Xaoá, Ifate, Guedém, Ganh, Marrabét, Mauz, Bizamo. Provinciae, regnis aliquantulo contractiores, decem et septem: Gadanchó, Orijá, Margai, Xercá, Gamaró, Abexgai, Talaseon, Ogará, Cemén, Salent, Borá, Abargalé, Saloá, Seguedé, Holcait, Mazagá.

Regna et provinciae numerantur.

5. Horum regnorum et provinciarum haec est ad poli septemtrionalis altitudinem, et terrarum ab Oriente ad Occidentem positio. Inter septimum et octavnm gradum constituta sunt Gomaró, Bargamó, Sugamó [*sic*], Buzamá, Cambat et pars Naraeae; inter octavum et nonum Ballí, Fategar, Ogge, Alamalé, Hadeá, Gurague, Naraea; inter nonum et decimum Mugár, Ganz, Damút; inter decimum et undecimum Doaró, Ifate, Marrabet, utraque Xaoá, Gafate, Bizamó et australis pars Gojamae; inter undecimum et duodecimum Guedem, pars Angotis, Amará, Holecá et Gojamá; inter duodecimum et decimum tertium pars aquilonaris Angotis, Bagamádir, Lastae montes, Salaóa et Agaoá; inter decimum tertium et decimum quartum magna pars regni Tigraei, Abargalé, Salent, Semen, Lamalmon et Olcait; inter decimum quartum et decimum quintum reliquum Tigraei regni,

Horum ad polum coaptatio.

versus Mazuam, et ad occidentem Seguedé et Mazaga; inter decimum quintum et decimum sextum parva quaedam Derbaitarum, Baguelae et Mazagae ad septentrionem analecta. Septentrionale latus mare Erythraeum munit; orientale regna Dancalinum et Adelense, australe patrius Gallarum nidus, Alaba et Guingiro; occidentale ad Zephyrum torti crinis Aethiopes, ad septentrionem Balloi et Funchi, regni Dequin et Nubiae cultores. Regnorum recensitorum sola nunc Tigre, Dambea, Bagamedir, Gojamá, Amará, pars Xáoae et Naraea, provinciarum Mazaga, *Salent, Ogará, Abárgale, Seguadé, f. 19,v. Holcait, Semen, Saloá, Holecá et Dobá aethyopico Imperatori obsecundant; caetera et cum eis maiorem antiquae ditionis et opulentiae partem ab eo tempore, quo Claudius imperator romanae fidei pervicaci contentione restitare coepit, Gallae amputarunt.

Abassiae confinia recensentur.

6. Illorum igitur, qui nunc Imperatorum mandatis obsequuntur, haec est dimensio: Regnum Tigraeum, nobile quondam huius imperii caput et nunc in primis eximia portio, quadraginta quatuor numerans praefecturas bellicis tympanis dignitatem suam ostentantes, longitudinem a Mazua, sive Adefaló, exigua Turcarum arce paulo inferius ad Ortum locata, auspicatur, eamque in tercenta milliaria ad Austrum et Africum in desertum Aldoba ultra Tacasaeum ad Semenis montes producit; latitudinem a Bur ad eamdem solitudinem in totidem milliaria; ab Oriente, Dancalinum regnum sectae Arabicae emancipatum; ad Euronotum, Angotem, Gallarum nunc domicilium, et provinciam Dobá mahometanorum; ad Austrum regnum Bagamedrinum; ad Africum, Ogaram ultra Lamalmonem; ad Occidentem, Holcait, Seguadé et Mazagam osculatur. In ipsius umbilico, centum et triginta quinque a Mazua milliaribus, in edito colle eminet Fremona, sumpto a divo Frumentio primo Aethiopiae episcopo, quem ipsi Fremonatum dicunt, nomine, et patriarchae Andreae Ovieti, Lusitanorum et antiquissima patrum Societatis Iesu residentia illustris, et ad duodecim in Zephyrum milliaria Acçum, quondam Auxuma, reginae Saba et aethiopicorum Regum, sanguinem ab ipsa trahentium, olim curia, non modice in ecclesiasticis annalibus celebrata et tunc illis coronandis sic oppignerata ut alibi nefas sit inaugurari.

Regni Tigraei dimensio.

In ipsius centro nobile oppidum Fremona.

7. Hic multa antiquae magnificentiae, non quidem in muris vel turribus (ignotus enim illis fuit ad nostra usque tempora calcis usus), sed in templo ac domibus ex saxis luto colligatis, cadavera visuntur. Templi longitudo in ducentos et viginti, latitudo, quinque ambula-

Auxuma Aethiopiae olim curia.

tionibus discreta, in centum palmos distendebatur. Illius vestibulum, sectis lapidibus munitum, muro cingitur, ex quo per octo vel novem gradus quadratura dedolatos, in subiectam templo aream, decem vel duodecim cubitis amplam, conscenditur. Aliud exterius vestibulum patet, in quo quatuor fulcra saxea, decem vel duodecim palmorum, eriguntur, ubi, cum Imperator primum insederit, in media tandem sede coronandus conquiescit.

In templi tergo ad Orientem, a decem palmorum basi viginti tolluntur obelisci, duabus faciebus latiores et bipalmaribus in qua- **A templi tergo stant 20 obelisci: 8 iacent.**
f. 20. drum pulvinis excavati, *lateribus angustiores et in pyramidalem formam exacuti. Minores ultra trigesimum vel quadragesimum palmum non ascendunt; caeteri maioris sunt sed inaequalis longitudinis: maximus in palmos quatuor supra centum cuspidatur. Septem vel octo iacent in frusta divulsi, a Turcis, ab Isacco sub rege Malac Seguedo advocatis, labefactati, qui ex membrorum dispersorum mole ducentos palmos ostenduntur superasse. In Austrum ad bellici tormenti iactum lapis tenditur quatuor palmorum latitudinis, septem vel octo longitudinis, litteris partim graecis, partim latinis, sed adeo fugacibus prae vetustate, exaratus ut praeter Basileus et alia pauca verba, nihil sensus ex iis possit educi.

8. Maiorem Angotis partem Gallae devorarunt, praeter exiguam **Regnum Bagamedrinum.**
fimbriam, quae Dobá in Tigraeum regnum reiecta Bagamedrinum ab Agais ultra Lastam inhabitatum cingit. Regnum ipsum Bagamedrinum ab Angote orientali consurgens, Tigraeo et Doba ad Aquilonem omissis, inter Abargale ad Septemtrionem et Amaram ad Austrum constitutam, in Nilum ad Occidentem per milliaria centum et octoginta longitudinis, sexaginta non amplius latitudinis, procurrit. Amplissimum istud omnium regnorum Aethiopiae quondam fuisse dicitur, antequam ab ipso ingens instita praescinderetur provinciarum, Abargale, Semenis, Ogarae, Seguadé et Holcait, quae vel seorsim mansere, vel regno Tigraeo sunt adiectae.

9. Amarae eadem fere est quae regni Bagamedrini positura et **Amará regnum.**
posthabito ad Subsolanum Ifate, ad Aquilonem Angote, ad Septemtrionem Bagamedir, ad Austrum Xáoa, in Gojamam ac Nilum, utrumque regnum ad Occasum dividentem, deiectus. Holecá Nilo et Goiama ad Occasum, Amará ad Zephyrum et septemtrionem, Xáoa **Holecá et Xáoa.**
ad Aquilonem, Subsolanum, Euronotum et Austrum vallatur. Xáoa aquilonare habet regnum Amare, orientale Ifate, australia Fategar et Ogge, ad Africum Damut, ad Occidentem Bizamo, ad Zephyrum,

Naraeae regnum. Nilo interposito, Gojamam. Naraeam extremam natura in australi et occidentali huius imperii angulo, non tamen hominum avaritia, ob ingentem auri ubertatem locavit, quae Gallis et barbaris undique septa, Imperatori et suis praefectis, qui Reges quondam fuere, nunc eorum sanguine et haereditate generosi obsequium fideliter impendit.

10. Nunc ab orientali et australi evagatione ad septemtrionem redeundum. **Ogará.** Tigraeo regno provinciam Ogaran limitem ad Africum prae*fiximus, quae longa est ad nonaginta milliaria, lata ad viginti, f. 20,v. ab Holcait et Seguadé Zephiro perflatur, a Tigraeo regno Septemtrione, a Semenis montibus Aquilone, ab Abargale Subsolano, a Dancazio, quod principium est Dambaeae, Austro, ab aliis Dambaeae sectionibus Africo et Occasu. **Dambaeae.** Dambaea ab Aquilone in Africum ad Dangal Ber per bina et octogena milliaria porrigitur, in tricena vel, si addatur spatium quod ipsius mare occupat, in sexagena vel septuagena distenditur. Illius centrum est Gorgorra mari confinis, quae decimo tertio gradu cum semisse ab Aequatore in septemtrionem elevatur. **Enfrás, ubi Patriarchae domus.** Dambaeae ad Subsolanum obiicitur Enfrás, ubi tribus a mari ad Aquilonem milliaribus in oppido Debsan domus erat Patriarchae; et Dará ad Euronotum, quae licet nunc divulsae sint a regno Bagamedrino, illud quondam ea parte finiebant.

Goiama Aethiopiae ocellus, antiqua Meroe. 11. Inter ultimum maris Dambaeae in Austrum sinum et anguineum Nili, ventos omnes percurrentis et in suum pene caput redeuntis, cursum, in scuti oblongi speciem (quod de Meroe dicitur) iacet Goiama, huius imperii ocellus, non quidem insula sed peninsula brevi isthmo disiuncta, quam veram esse Meroem arbitramur. Antiqui tamen (1), cum fama tantum nossent, insulam putabant, animi quoque in eo falsi, quod eam ponerent infra Astaborae et Astapi, hoc est Tacasaei et Nili confluentem, inter duo brachia, in quae illorum aquae sub duodecimo Aequatoris gradu separarentur, et iterum in decimo septimo confunderentur. In duodecimo enim gradu **Nilus et Tacasaeus infra non supra Goiama confunduntur.** Nilus a Tacasaeo centum et octoginta milliaribus sepostus universam Goiamam alluit, nec cum eo nisi multo inferius in regno Dequin Nubianorum, in decimo septimo vel decimo octavo gradu permiscetur; ubi si Meroe sita esset, habere non posset eam ab Egypto distantiam quam geographi assignant, Syenam in Aethiopiae confinibus ab Alexandria quinque stadiorum millibus et Meroem supra

(1) Strabo, lib. 17; Herodot., lib. 1 et 17.

a Syene totidem (quae omnino decem sunt millia) divellentes. Continet autem unum milliare octo stadia et leuca viginti quatuor. Sunt ergo ab Alexandria ad Meroem mille duecenta viginti septem milliaria, leucae septem super quatercentenas, quod est Goiamae ab eadem intervallum; nec tantum esse posset, si Meroe in decimo octavo gradu locaretur. Nec mirum est aliquam priscis circa Meroes situm caliginem incubuisse, cum eos tanta circa Nili, Meroes seu Goiamae adeo vicini, natales occupaverit.

f. 21.

CAPUT II.

De Nili fontibus, petris et natura Aethiopiae.

1. Nobis ergo saepius retulere Lusitani, per multos annos Naninae in Goiama incolae, et inter eos Ioannes Gabriel illorum dux et senio et auctoritate venerandus, et aliqui Societatis Iesu patres, quos illuc et vicinia et fontem, antiquis ad paraemiam occultum, indagandi curiositas accivit, in territorio Sacalae, provinciae Agaoae ad Occidentem et duodecimum ab Aequatore gradum, in eminenti iugo, quod a tergo in muri speciem rupes in nimiam profunditatem abruptae muniunt, planitiem ad lapidis iactum quocumque protentam visi, solo flaccido, iunci, caricum ac fruticum radicibus cancellatim intexto, et ad modicam vestigii impressionem subsidente, et ex illius centro duas scatebras, alteram uberiorem, alteram tenuiorem emicare: in quarum alteram immissa viginti quatuor palmorum hasta in nullum obicem, in altera ad herbarum seu fruticum fibras impingitur. Aquam vero mox, ubi in auras processit, fungosum illud spongiosumque solum resorbet et occultat, et post mille et quingentos passus, subterraneum illius cursum indicante vernantium herbarum viriditate, sive Astapum (id illi nascenti nomen significans, teste Plinio (1), aquam ex tenebris profluentem) sive Nilum, vulgo dictum Abaui idest aquarum patrem, saltu primum, mox vado, nunc mitiori, nunc altiori, meabilem mittit.

Nili fontes in Goiama.

Astapus olim dictus in suo ortu, nunc Abaui.

(1) Plin, lib. 5, cap. 9.

2. Qui Gemae primum. uberioris ipso Nilo fluminis, mox Keltu et Bransu (*a*) et plurium rivorum auctu paulatim intumescens et caenoso uliginosorum agrorum occursu faedatus, pellucidam hactenus, in turbidam (sicut illam Vates (1) nominavit) aquam immutans, ad Depecan, quae prima illius est cataracta, ibique patrum Societatis Iesu fuit residentia, in saxum in umbellae speciem praetentum incurrens, in imam voraginem ad oculorum deliquium, spumeus ac sonorus et vicinorum auribus infestus, incitatur, et decursus a capite quatridui itinere, nonaginta milliaribus a Nilide hospitatur. Sic enim dici liceat paludem, Coloem ab antiquis geographis appellatam, Patriarchae domui ad tria milliaria propinquam, Goiamae, Dambaeae et Bagamediri regna alluentem, quae ob amplitudinem dicitur Mare Dambaeae, sive Barsena, hoc est Mare Sená, quae nobilis est insula ex qua Nilus a palude expeditus in Orientem viae se iterum committit; et quindecim milliaribus transactis, post secu*ndum cataractem ad Alata (iuxta quam, pontem ab aevo indignatus, a fabro caementario, quem nobiscum ab India importavimus, sub imperatore Seltan Seguedo, illius patiens (2), sub unicum arcum missus fuit), in Vulturnum, Austrum, Occidentemque reflexus, Goiama a Dambaeae, Bagamediri, Amarae, Holecae, Xáoae, Gafatum, Bizami et Gongarum regnis dissecta et in peninsulam redacta, sua prope cunabula revisit. Unde ad Septemtrionem conversus mare Rubrum infra Suaquenum ad illam, quam vocant Rifam, a quinquagesimo milliario salutat, ubi ex his, quae Tullius in Somnio Scipionis catadupa dicit, inter occursantes scopulos deiectus, ultimo eoque immani lapsu et immenso fragore, non tam fluere quam ruere videtur, imo praecipitari. Inde in Aegyptum properans, regioni illi, a coelo propter ipsum minime pendulae, ubertatem invehit et hilaritatem. Eius incrementi sub leone causa est hyems, iulio et augusto in Aethiopia maxime desaeviens, quae in partibus Rubrum mare tangentibus in nostros menses hyemales differtur. Crocodilis et hyppopotamis Nilus, ipsius ripae gossipio et papyraceis arbusculis in hastarum similitudinem excrescentibus abundant, ex quibus cymbae nexiles et aquis perviae conpinguntur, quae ut vitentur, arcuatus eiusdem molis papyraceae fascis alveo imponitur, qui, ultra bicubitum super cymbae labra assurgens, vectores et merces a palustri aqua, sed non a pluvia, nec a ventis, aut fluctuum aspergine reddit immunes.

Dambeae palus seu mare, primum Nili hospitium.

f. 21,v.

Pontis patiens recens est factus.

(*a*) Kelty et Branty.

(1) *Ierem.*, 2, n. 18. — (2) Infr., lib. 3, cap. 7, n. 9.

3. Plurima in Nilum flumina influunt, quorum amplissima sunt Baxiló regna Bagamediri et Amarae, et Quecém Amaram ipsam et Holecam dispescens; Maleg et Anquer in unum alveum conspirantia et regna Damut et Naraeae a Bizamó, Gafatibus et Gongis desecantia. Post longinqua intervalla in regno Dequin Nubianorum cum Nilo coit Tacasaeus, quem antiqui Astaboram dixere, in finibus Angotis et Bagamediri ad montis radices ex triplici scaturigine subnascens et in Occidentem pergens in eremo Oldebá in clementiorem aream devectus, facilem a Tigraeo regno in Dambaeam tendentibus transitum praebet, ultra lacertos et hippopotamos, torpedine, tangentium brachia in subitum stuporem vertente, inhorrescens. Marebus sex a Debaroá milliaribus ad Occidentem erumpens, post planum lapidem triginta sex cubitorum elapsum in imum barathrum devolvitur, a quo aestivo tempore omnis ipsius liquor absorbetur. Sed ex illa ruina in Orientem hyeme consurgens et alterius fluvii accessione ditatus, Debaroa ad Occidentem relicta, vergit in Austrum et, pro-
f. 22. vincia Saraôe ab Assa, Harve et *Torat dissecta, Alleluiae caenobium praeterlabitur et in barbarorum Aethiopum regionem ingressus, sub arenoso solo tumulatur, quem Lusitani illuc bellorum necessitate compulsi, aqua simul et piscibus ex arena haustis, poculentum et esculentum invenere. Haoaxes, Nilo aequalis, Xaoam ad Septemtrionem, Oggem ad Austrum et Fategar ad Orientem interfluens, Adelis regnum ad Aquilonem persequitur, collecto in se Machi flumine, quod palus Zoây fundit; et a Zeilanis colonis in plures canales corrivatus, antequam Indicum mare videat, exarescit, quamquam aliqui eo mergi arbitrentur.

Flumina se in Nilum exonerantia.

Alia Aethiopiae flumina.

4. Fragosa prae cunctis, quarum notionem hausimus, haec est regio, adeo ut Alpes Pyrenaeosque transgressis haec iuga accliviora videantur, natura vel ipsius auctore, si usquam alibi, in diversis montium, instar columnarum universi machinae sustinendae subiectorum, formis educendis ludente. Hic videas templi quadrati, illic rotundi, illic basilicae, turrium, pyramidum, caveae, gladii et aliarum rerum mirabilium species, nunc ex ipsis montibus, nunc ex plana area ita ordinatim surgentes ut in iis saxeae turres, per aequa intervalla dispositae tamquam exploratoriae speculae, visantur, et totum hoc imperium rupibus illis sit consitum, quas ipsi Ambas dicunt, in arcium, nunc maiorum nunc minorum, similitudinem et in ducentum, sexcentum et mille passuum altitudinem abrupte productarum et circinatarum, ad quas unus tantum datur arctiore itinere ingressus.

Nimis fragosa haec est regio.

Rupes inaccessae, quas Ambas dicunt, frequentissimae.

Cacumina in tantam planitiem porriguntur ut abunde frumenti et aquae alendis habitatoribus et defensoribus in multos annos suppeditent: quorum fiducia tot gliscunt in Aethiopia in regiam maiestatem perduelliones.

Lamalmon mons.

5. Notissimus est a Tigraeo regno in Dambaeam transeuntibus Lamalmon, in quem a Septemtrione inter montes depressiores duo ducunt fluvii, Zarimá et alius se in ipsum exonerans, calle adeo angusto, ut sexies et decies eodem die sint transvadandi, infesto jumentis onerariis, quae nullo ferro calceantur, ob aquam ungulas mollientem et saxa pungentia, transcursu. Fluminibus superatis, in altissimum montem, Dagusa dictum, et Lamalmonis veluti caementum, ab aurora ad meridiem scandendum incurritur, cuius dorsum adversum est insuperabile, sed latera paululum reclivia mollescunt, quae cochleari ascensu perreptantibus montis supercilium ex altera parte impendet, ex altera valles profundissimae, multorum iumentorum ossibus et salis, quod a Tigraeo regno convectant, sarcinis albae, dehiscunt. Cum enim iter sit perangustum et infestae euntium, et redeuntium turmae sibi occurrent, facile *iumenta se comprimunt et f. 22,v.

Ultima ante Lamalmon superatum quies.

alia ab aliis eliduntur. Fessos et ulterius ea die procedendi impotentes, area tribus in gyrum milliaribus longa, excipit; et postera in angustum dorsum, instar pontis undique praeruptum et hiatibus tartarum pene tangentibus horrendum, emittit; quo transacto, in saxeum obicem altitudinis ducentarum et quinquaginta vel trecentarum ulnarum, in altissimi propugnaculi speciem e rupe prominentis, et difficillimum totius viae spectrum impingitur, cui natura benigna humanae commoditatis curatrix quamdam veluti scalam in utramque partem flexuosam providit: verum adeo praecipitem ut absque ingenti lassitudine vinci non possit, iumentis a sarcina expeditis; aliter enim superare nequirent saxa in graduum formam altitudinis duum vel trium cubitorum obiecta. Alia hic planities in sellae brachiis truncae speciem, cuius tergum est ipse Lamalmon scrupeus et inaccessus, ad sclopi iactum lata, mille et quingentos passus longa, viatoribus exiguo illo itinere confectis per totam diem blanditur, vastissimo in montes Semen ad Orientem et alios in Aquilonem et Septemtrionem arcum referentes et in regnum Tigraeum prospectu. Unde omnes fere illius montes cum in se praecelsi sint et ardui velut exigua quaedam mapalia et pastorum umbracula despiciuntur.

Ante omnes provincias montosa est Amará.

6. Montosa tamen perpetua rupium catenatione est Amará in quibus potissimae sunt petrae: illa quae tyranni Madrecalis fuit asy-

lum, Gozá et alia, quae nunc sublimior nunc humilior, ferro videtur in vivo lapide excisa, urbem muris, minis, propugnaculis, turribus et antemuralibus repraesentans, et Ulyssiponem magnitudine adaequans; tribus tantum portis sed angustis, et pene abruptis pervia. Guixen, quo veluti carcere Regum quondam filii ad imperium postea vocandi condebantur; Legot ingentis multitudinis capax, fontium et fluviorum dives, frumenti, mellis, pastionis, gregum, armentorum et lignorum ferax. Ambasel amplitudine minor, sed munitione superior, quinque tabulatis tanquam altaribus, quadrato lapide gradatim ab imo ad summum surgentibus et sibi invicem promuralia exhibentibus, firmatur. Reliquos montes magnitudine transcendit Thabat Mariam aereis rupibus in gyrum vallatus, quas duodecim portae non gemmeae ut coelestis Ierusalem (1), sed saxeae, clivis illic modicum subsidentibus, pertunderunt. Lati interius fines duobus fluviis ubertim irrigantur. Septem Ecclesiis nobilitatur, quorum, quae divo Ioanni dicata est, antiquorum Imperatorum conditorium fuit, et nunc adeo quinque eorum mausolaeis et praetiosa suppellectile, ut tapetibus et aulaeis ab invictissimo rege Emmanuele (quantum conie-
f. 23. ctare licet) ad imperatorem Davidem missis illustratur. Inde *allata est ad Patriarcham ara portatieis elegantissima Lusitanae domus stemmate insignis, et alia eiusdem pietatis monumenta ibidem asservari memorantur.

Legot. **Ambasel.** **Thabat Mariam.**

7. Auri nullae sunt in Aethiopia secturae sed plurima granaria, fluvii nempe, ex quibus in Naraea et aliis ad Africum et Occidentem regionibus lectissima illius grana extrahuntur; nec parva illius esset copia nisi, cum nulli alii sint nummi praeter salis laterculos, in Nubiam, Aegyptum et Erythraeum mare ad trutinam appensum exportaretur. In Tembenensi agro non multos ante annos auri, in Salent argenti lectissimi vena emicuit, e quo vidimus in domo regia pollubrum, aqualem, urceolos, patinam et alia vasa in altaris ministerium elaborata. Sed utraque vena vel effodientium inscitia, vel imperantium mandato, brevi fuit obturata, ne Turcae aut alii hostes auri vel argenti cupiditate ad occupandam Aethiopiam incitentur. Plumbi parum ex iisdem fodinis eruebatur, plus sulphuris ex aliis, nec nitrum desideraretur si solertia adesset. Ferri affatim regna omnia conferunt, sed colligentibus temperaturae ignaris chalybs prae illo vilescit. Summo in pretio sal est, in Angotis et Bagamediri confinibus sponte in fossitiis, et inexhaustis naturae horreis excrescens;

Auri multa sunt granaria, nullae secturae. **Alia metalla.** **Sal fossile nummorum vicem subit.**

(1) *Apocal.*, 21, 12; *Tob.*, 13, 21.

unde securi lapides palmares et tribus in quadrum digitis lati caeduntur, quorum prope matricem auri drachma, quae nummum argenteum hispanicum maiorem continet, octoginta vel centum veneunt: in regno Tigraeo quinquaginta vel sexaginta; in Dambaea viginti quinque et triginta; pauciores in Goiama; in Naraea sex vel decem ad summum. Baiulorum et iumentorum infortuniis plurimi in itineribus franguntur et cum ad condiendum fractura deteriores non reddantur, in frusta tamen secti, viliores evadunt.

Frumenta et legumina.

8. Bifera et trifera haec est regio quamvis in ea excolenda et aratro altius imprimendo non multum insudet agricolatio. Tritico, hordeo, fabis et sinapi celsiora et frigidiora; milio ad quindecim vel etiam viginti species, gossipio, cicere, lente, vicia, piso, nasturtio, faseolis, sesamo et plerisque nostrorum leguminum inferiora et calidiora tument: linum et lupinum macerare nesciunt, serunt tamen, ut sint aliis segetibus sepimento; lini etiam semine in pultes contuso fluitantem stomachum restringunt. Laudatissimum ipsorum frumentum est quod Tef dicunt, sinapis grano tenuius, sed longius: leguminum, ad ius nigrum, quod vocant Abaxe, in quod intinctae, Tefi placentae potissimae sunt ipsorum cupediae. Nug oleum ad lucernas et picturam, Suf croceum colorem pannis et pultes mensis ministrat. Uxixes et Daniches napis sunt similes; praealti caulis brassicas, et saccari arundines horti ferunt, sed illius excoquendi inertia laborant. Zinziber insulae gignunt. Mala citrea, medica, limonia, per*sica f. 23.v.
et ficus indicae non infrequentes; nostrae ab exiguo tempore usitatae. Uvarum quod satis est ad missarum libamina et quadragesimae mensas; tum enim maturescunt. Arborem escariam terra, si late irrigetur, indicae ficui simillimam, Ensete dictam, caudicis adeo crassi procreat ut vix a duobus hominibus manus extendentibus aliquando comprehendatur, quae in quadras consecta vel in farinam redacta et humo condita, in multos annos perdurat, famemque, in placentas vel pultes digesta, expellit, idque inter Naraeenses vulgatissimum est alimentum; illius propagines et folia in funium et tegetum texturam carminantur: trunco resecto, quingenti vel septingenti palmites erumpunt. Aethiopici frumenti triplex est vorago: propinatio, quae non minorem illius in Salâ (quae ipsorum est sicera) decocti copiam quam victus absumit, locustae, quae serratis dentibus integras frequenter segetes prosecant, et assiduae militum, nulli sationi parcentium, irruptiones.

(Margin notes: **Tef laudatissimum ipsorum frumentum.** — **Ensete arbor escaria.**)

Arborum utilium parva est copia.

9. Arbores non ita laete in hoc solo proveniunt. Cedrorum sativarum prope templa ingens est numerus, silvestrium diversis in

partibus, sicut et olearum, silva. Mendaces hae sunt ubique, nam, cum se mites foliis praeferant, vere sunt oleastri, verminoso semper fructu, nec ad mensam vel ad trapetum umquam accedentes. Arundinum et mascularum et faeminarum, sed invicem seiunctarum, vis ingens: masculis inest soliditas et non raro brachialis et apta contundendis serpentibus crassitudo, unde, quod tales Aegypto innasci debeant, agnovi solerter dictum a divo Athanasio (1) arundinem Christi manibus impositam, utpote conterendo serpentum capiti salutarem; faeminae intus vanae sunt, coxendici super genua aequales. Rhamni pinetis similes densis aculeis loca omnia infestant.

Animantium ingens ubertas.

10. Animantium cicurum et efferatorum magna est multitudo: canum, felium, sed omnes pene sunt silvicolae, nec pauci algaleam (quod comune est odoramentum) sudantes; suum, caprarum, ovium. bubalorum et boum, quae primae sunt divitiae, et Gallis et Gafatibus, lacte et carne cruda vescentibus et coriis se obtegentibus, tota vitae subsidia. Onerariis multi ad sarcinas utuntur, lautiores ad mensas saginatis, quos Gueches appellant, vasto cornuum, ad vinum excipiendum et tuto per viarum difficultates custodiendum, paratu. Mularum **Equi et mulae.** earumque praestantum, extra bellorum aleam et festivam in castris, ubi equitant, ostentationem, vulgaris est usus. Generosos equos, sed minores Tigraea prata, generosissimos et elegantissimos Nubia mittit· Cum elephantis multae provinciae sed amplius maritimae abundent' **Elephanti.**
f. 24. nullum adhuc videre condocefactum. Vulpibus, *lupis, pantheris, apris, simiis, cervis, capreis, leporibus et cuniculis, ob summum venationis neglectum, montes et campi sunt oppleti. Leonem a cauda ad summum collum octocubitalem infesto missili nuper in regno Tigraeo invicti animi iuvenis confecit. Rhinocerontum cornua saepe fuimus conspicati. Duae inter caeteras belluae, confines inter domesticas et immanes, sed facile magistri manum agnoscentes, novitate commendantur. Prima est onager, mulae per omnia compar praeter **Onager seu zevra.** Midae auriculas, quae ipsi asini notam et nomen addiderunt. In eo picturando non minus natura quam in pavone laboravit; sed, ut huic pedes impolitos, sic aures illi longiores reliquit, ut utriusque fastus alicuius dedecoris pensitatione subsideret. Per lumbos nigricans agitur instita e qua ad utrumque latus in imum ventrem fasciolae, modo nigrae, modo candidae, modo cinericiae, modo subrubrae, mira aequalitate et pari longitudine ducuntur. Nec alia corporis membra similes maculae deficiunt singulorum mensurae congruentes. Quae

(1) *De Passione Dom.*

collum decorant, contractiores sunt iis quae per ilia funduntur, quae manus et pedes, colli taeniis, quae vultum et caudam, pedum ac manuum vittis. Ipsae adeo aures, et labra competentibus lineis et coloribus variantur, ut videatur natura totam solertiam asino, quasi esset aureus, comendo impendisse, ne pavus aut ii, qui vestes phrygias vel attalicas sibi inducunt, in arrogantiam earum cultu efferantur. Ex pellibus, quas in Lusitania conspeximus, hoc idem est animal quod Angolani zevram dicunt.

Giratacachin, sive struthio camelus.

11. Aliud animal, cui nomen Giratacachin, idest exilis caudae, cuncta terrae animantia et in iis elephantum, quo tamen est minus carnosum, magnitudine trascendit. Manus habet duodenum palmorum, pedes tantulo breviores, collum tondendis herbis, quarum pastu vivit accommodum. Infra alvum eques inoffensa galea decurrit. Hic esse videtur struthio camelus; camelum enim et struthionem figura refert. Ex illius cauda teretes ac praenitentes setae leguntur, quae brachiis in armillas convolutae ornamento sunt, et esse dicuntur medicamento.

CAPUT III.

Origo et antiqua gentis aethiopicae religio.

1 Aethiopicam gentem ex Indicae suis in laribus redundantia, et in *externos effluvio dimanasse et inde Aethiopiam, Inferiorem Indiam vocatam, falso aliqui opinantur; cum pedestri itinere in Aethiopiam rectus non detur ex India digressus, nec credibile sit exundantem multitudinem tantum navium, quanti egebat, numerum expectasse aut invenisse. Inferioris Indiae nomen situs indidit, quod ab Europaeis India reputetur vastissimus terrarum tractus, qui ab Aegypto ad utramque Erythraei maris oram et ultra Indum ad extremum Orientem protrahitur, sed haec India Superior est, illa Aegypto finitima, Inferior, a Cham (quod minime inficiantur indigenae) aut ab illius nepotibus proseminata. Gens coloris est oleacei, cum tumentes baccae nondum plenam olivitatem attigerunt. Capilli enodes et natura minime vibrati, sed in plerisque paulo rigidiores, quos amant non ferreo calamistro, sed ligneo vel eburneo obelo in coronam, in tiaram et plures alias formas, nec raro cornua, contorquere et butyro illinere, ad subnascentes bestiolas enecandas. Caput vero ita comptum pulvino non committunt, ne labor eludatur, sed dolatam ex ligno semilunam, et modico fulcro nixam cervici supponunt. Recto sunt corpore nec obesitate umquam deformes, vivacibus et grandioribus oculis, nostrosque ob exiguitatem tamquam formicinos derident. Eximiis oris et totius corporis lineamentis. Faeminas can-

f. 24,v.

Gens aethiopica ex India non provenit.

Inferior India dicitur Aethiopia respectu Superioris.

Color et lineamenta.

Ingenium plerisque acer et limatum.

didior plerumque color, et aliquas ex nobilioribus lacteus etiam commendat. Ingenium cunctis peracre, limatum et nulli in tanta urbium parcitate rusticanum. Imberbes adolescentuli herorum suorum mandata sic referunt, et in tribunalibus perorant, ac si Romae vel Athenis essent eruditi. Nullum me intuitum recolo quem bardum vel morionem iudicarem. Litteraria rudimenta paucii n parentum tectis, plurimi in coenobiis addiscunt nec illis praeter divinos codices alia praesto sunt instrumenta, quibus ita exteruntur, ut pauci ex primoribus nostros vel non aequent vel non transcendant.

Reginae Saba vulgata inter eos historia.

2. Post longam temporum vertiginem masculam in Aethiopia faeminam regnasse gentilitii annales et traditio omnium linguis roborata contestatur, quam ipsi Maquedam, alii Nicaulam dicunt. Eam vero ipsammet fuisse, quae ad Salomonem cum muneribus, vigesimo ipsius regni anno et mundi 2979, ascenderit, ipsiusque sapientiam periclitata et admirata, filium ex eodem conceptum rediens in itinere pepererit et Menilehec, idest alterum ipsum, dixerit, quod parentem indiscreta similitudine referret; eumque postquam ab ephebis excessisset, ad eumdem remiserit; ille vero donis auctum et oleo sacro Regem aethiopicum in templo inauguratum *et Davidem in f. 25.
avi memoriam nominatum et mosaicae legis doctoribus atque hebreae aulae ministeriis et magistratibus instructum matri redonaverit; quorum princeps Azarias, Sadoc sacerdotis filius, raptam ex sanctuario Testamenti arcam quadrigae imposuerit et cum David in Aethiopiam transvexerit, unamque ex legis tabulis portatilem nunc esse aram templi Auximitani, quod semper habitum est ecclesiarum, sicut et Auxuma imperii metropolis.

Veritati multa plerumque nugamenta intersita.

3. Nugamentis (quale est illud de arca et altera legis tabula) auctoritatem conciliare nostri non est animi neque instituti. Sed sicut in romana historia veris falsa sunt intersita, ut de Martis cum Rhea vestali collocutione et lupa gemellis ubera praebente; cum tamen apud omnes sit indubitatum, Romam a Romulo conditam, eumque tanti fuisse imperii molitorem, ita credo caetera resecanda, sed (ut mihi sit interim cum viro doctissimo et amicissimo velitatio) (1) tenendum, Reginam illam Saba dictam aethiopicam fuisse et nullatenens arabicam (nisi quis velit ipsius [*sic*], quod ipse non omnino respuit, eamdem Aethiopiae atque Arabiae, in qua ipsius pastorum mapalia monstrantur, iura dedisse) et a Salomone gravidatam;

Regina Saba aethiopica, non arabica.

(1) Pineda, *De rebus Salom.*, lib. 5, cap. 14, sect. 5; ibid., sect. 4, n. 19.

neque id mysterii sanctitatem amplius elevare, quam (eodem annuente) Davidis cum Salomonis matre coniugium, imo et adulterium, in typum Ecclesiae ad Christum profugientis quin ex eiusdem Salomonis cum filia Pharaonis nuptias, ob eamdem similitudinem, Patrum excusatione cohonestatas (1).

Decem, quae Pineda percurrit, in Aethiopia reperiuntur.

4. Iam quod ipse asserat decem esse huius legationis parerga: Saba nomen, famae volatum, comitatum, camelos, aromata, aurum, gemmas, Austri regnum, a terrae finibus aduentum, et regium in foemina dominatum, quae illam non aethiopicam sed arabicam demonstrent, ea percurrenti constabit quam sit infestum veritati (2). In primis Saba nomen, si Arabiae, non minus commune est Aethiopiae, sicut et ipsum Aethiopiae vocabulum ultra et citra Erythraeum pelagus discurrit. De Saba enim aethiopica Aegypto contermina dixit Vates: *Dedi propitiationem tuam Aegyptum et Aethiopiam et Saba pro te* (3). Et iterum: *Labor Aegypti et negotiatio Aethiopiae et Sabaim viri sublimes ad te transibunt* (4). Si vero maris Rubri navigationibus delata est in Arabiam Salomonis fama, cur non in Aethiopiam, quam non secius idem fretum a septemtrionali latere tingit, quam Arabiam ab australi et unius diei intervallum disiungit? Salutantium et obsequentium comitatus nullibi ambitiosius, quam in Aethiopia
f. 25,v. affectatur. *Camelorum in locis tepentibus tantus numerus ut in regno Doarô per totum vesperum contemplati fuerimus infinitum eorum ad salis fodinas actorum commeatum. Thuris maior copia in Arabia, sed aliquod in Aethiopia Arabiae felici adversa, sicut et myrrha probatissima et profusus sudor felium odoratorum. Thus autem a vicinis mutuari vel emere, nisi tributis collectum habuisset, Reginae non erat in proclivi. Aurum nullibi magis quam in Aethiopia et Sofala ipsi vicina crebrescit. Gemmarum princeps gloria aethiopicis ut carbunculis, nilio, hyacinthis, chrysolitis, helotropio, hamniti, haematiti, obsidiano, syderiti, a Plinio laudatis, et topazio ab eodem (5), et a Iobo arabico (6) nec ob viciniae aemulationem invidente. Austri regina verius est illa, quae Aethiopiae penitus in meridianum (7) (quem in Actis Apostolorum Candacis reginae Aethiopum eunuchus quaerebat) Ierosolymis obiectae dominaretur, quam quae Arabiae, cuius licet inferior et tenuior pars Idumaea Austrum respiciat, potior ac

(1) P i n e d a, lib. 1, cap. 4, n. 10; lib. 7. cap. 4, n. 1. — (2) P i n e d a, lib. 5, cap. 14, sect. 5, n. 25 et sect. 6 per tot. — (3) *Isai.*, 43, n. 3. — (4) *Isai.*, 45, n. 14. — (5) P l i n., lib. 37, cap. 7; ibid., cap. 8; ibid., cap. 10; ibid., cap. 8. — (6) *Iob.*, 28, n. 19. — (7) *Act.*, 8, n. 21.

illustrior Saba et Homeritis (unde ipsa ab eodem auctore ad Salomonem et Magi ad Christum profecti putantur) (1) Oriente, Taciti (2) et aliorum testimonio, terminatur. Nec Evangelista, qui prius scripserat Magos ab (3) Oriente sive Homeritide Ierosolymam venisse (quod non negamus), tam subito vecors, aut sui obliviosus esse posset ut non multo post heroinam ex eadem egressam, Austri Reginam appellaret (4).

Terrae fines aptius in Aethiopia quam in Arabia.

Terrae autem fines aptius aethiopici quam arabici censentur. Etsi enim Arabiam aliquando terram longinquam Scriptura nominet (5) eaque orientalem Oceanum brevi mucrone contingat, illi Persis et India e proximo obiicitur. Orae tamen aethiopicae in maris Athlantici vastitatem immani circumflexu porrectae, nullus tractus ab ulla gente cultus respondet, sed ipsa terras, maria coelumque disterminat. Unde Isaias gentem trans flumina Aethiopiae commorantem, dixit *populum post quem non est alius* (6). Faeminas vero, non quidem perpetim, sed saepius in Aethiopia quam in Arabia imperasse nobis est Actuum Apostolicorum testimonio (7), et speciatim in Meroe (quam supra docuimus esse Goiamam) Strabonis et Plinii auctoritate confirmatum (8) et in Reginas ibi Candacis nomem vulgari. Causa ergo excidit qui eam sibi mulctam irrogavit (9) si illa decem, non in unicam Arabiam, et minime in Aethiopiam, quadrarent.

Reginae Saba cum Salomone affinitatem et traditio et alia adminicula commendant.

5. Huius inter reginam Saba et Salomonem affinitatis et aethiopicorum Regum ab iisdem profluentium traditio et opinio ita constanter omnium illic animis est infixa ut non minus excors aut insanus *videretur qui obsisteret, quam qui Romae negaret, aeternam f. 26. illam urbem a Romulo conditam, vel ab Aenea Caesarum sanguinem effluxisse. In cuius rei fidem, qui regii sunt ex mare (quod solum ad imperii successionem spectatur) semini[s], Israelis nomine clarescunt; nec in eis gradus proximior, sed tantum masculorum a masculis descensus, etiam nothus et adulterinus curatur. De caetero ius est in armis. Avitum regni stemma praefert Leo surrectis in altum manibus, addito elogio: *Vicit Leo de tribu Iuda.* Prope Auxumam visitur oppidum, cui nomen Adega David, id est domus David, et alterum Azebo (quod Austro nomen est inter Arabes) in Austri Reginae memoriam ab heroicis temporibus erectum. Quin et cantores,

(1) Pineda, lib. 5, cap. 14, sect. 5, n. 20; ibid., n. 25. — (2) Tacit., lib. 5, *Histor.* — (3) *Matth.*, 2, n. 1. — (4) *Matth.*, 12, n. 42. — (5) *Ierem.*, 6, n. 20; *Iob*, 3, n. 8. — (6) *Isai.*, 18, n. 2, 7. — (7) *Act.*, 8, 27. — (8) Plin., lib. 6, c. 29; Strabo, lib. 17 geogr. — (9) Pineda, d. sect., 5, n. 25.

quos dicunt Debteras, se ex scribarum et tabernaculi excubitorum genere, et Umbares ex iudicum israeliticorum progenie gloriantur. Ipsa adeo nomina et illorum significatus hebraismum produnt. Est enim Umbar sedes quam soli iudices, reo et accusatore stantibus, occupant; nec tantum cathedram, sed et cathedrae sessorem ostendit sicut in Psalmo. *Quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum David* (1). Tabernaculum vero Debtera nuncupatur, et cantores in templis, quae tenebrosa sunt instar antiqui tabernaculi, non solum vocibus non inepte modulatis concinunt, sed et manibus valenter plaudunt ac solo calcibus insultant, tympanis superiore tantum parte corio intectis et sistris in strigilum speciem conformatis ac dextera tantum concitatis atque baculis instructi. Quibus forsan principes quondam innixi et divinas laudes ad eorum motum geminantes, uberem putei scaturiginem a Domino impetrarunt, de quo in Numeris: *Concinebant: Puteus, quem foderunt principes et paraverunt duces multitudinis in datore legis et in baculis suis* (2).

Iudices dicuntur Umbares, idest sedes.

6. Plura sunt alia in Abassinis iudaicae originis et superstitionis monumenta. Superstitionem pandunt circumcisio, sabbati, dierum purgationis, menstruorum, nocturnae pollutionis, velorum in templis et delectus ciborum observatio; originem tot alii mores ab Hebraeis ad eosdem transcripti, ut omnia pene, quae cernimus in divinis litteris exarata, in Abassinis ad vivum expressa intueamur. Et ut a bellicis exordiamur, ut haebraeo Regi primus aderat militiae praefectus, quo munere functi sunt in domo Saul Abner, et in Davidis curia Ioab, ita et aethiopico is quem appellant Belatinoche Goita,
f. 26,v. idest puerorum dominum; *pueros autem vocant adolescentulos praeliares ut in Regum libris: *Surgant pueri et ludant coram nobis* (3). Ut illic ita et hic dextrum et sinistrum cornu, et tres in cuiusque bellatoris manu lanceae, quibus Ioab Absalonis cor transfixit (4); ut ibi fortiores, in victoriae testimonium, Philistinorum praeputia abscindebant, ita hic totam illorum, quos superant, virilitatem (5); ut ibi armillae Regum, ita hic ornamenta sunt et Regum et regalium equorum (6); ut illic in praelio, ita et hic mulorum usus (7); ut ibi tempus erat quo solerent Reges ad bella procedere (8), ita et hic, cum sub finem septembris primum ver appetit, Imperator in aciem procedit; ut illic ante regias fores, vel ad Regem aliqua pertranseuntem a laesis

Alia iudaicae originis argumenta.

Militia aethiopica hebraeae est imitamentum.

(1) *Psalm.* 121, 5. — (2) *Num.*, 21, 18. — (3) 2 *Reg.*, 2, n. 14. — (4) 2 *Reg.*, 18, n. 24. — (5) 1 *Reg.*, 18, n. 25, 27. — (6) 2 *Reg.*, 1, n. 10. — (7) 2 *Reg.*, 18, n. 9. — (8) 2 *Reg.*, 11, n. 1; 1 *Paralip.*, 20, n. 1.

ad implorandam alicuius iniuriae reparationem clamabatur: *Salva me, Domine mi rex* (1), ita et hic in palatii vestibulo, aut in via ad eumdem ab unoquoque summa contentione et suo idiomate clamatur. Amarae, qui genuini sunt Abassini, dicunt: Habeto; Tigraei: Adarie; Gongae: Donzo; Mahometani: Cide; Lusitani; Senhor; quae nomina singulorum lingua dominum innuunt et cuius quisque nationis, vel provinciae sit, suo clamore indicatur.

Iudices ab Imperatore poscuntur.

7. Iudices plerumque a clamantibus exposcuntur; qualis ille erat, de quo filius cordium sollicitator dicebat: *Non est qui te audiat constitutus a Rege* (2). Illi tamen quibus ingens aliquod damnum est illatum, clamori parcunt, et stuppam arundinis summitati praeligant, eamque, Imperatore conspicante, igni devorandam tradunt: quod significat eodem modo suas facultates absumptas in fumos abiisse. Nominatus ab Imperatore iudex causam, non solus, sed auditis ad unumquemque articulum senioribus, decidit (3). Ad quod concilium accusator reum pertrahit, et negantem vel affirmantem, ad sponsorem offerendum vel sustinenda vincula compellit. Nullus apud eos est carcer vinciendis noxiis destinatus; sed ii accusatoribus, vel eis quos accusatores eligunt, nunc una, nunc duplici catena manus alligati traduntur. Si damnum vel delictum insolens fuit, utrique manui catena iniicitur, a quibus ad geminos custodes simul vinctos ad dexteram et sinistram protenditur. Si vero unicus sit custos, catenam ipse laevae inserit, et reum dextera impeditum compescit. Hic enim semper dexteram praeligatam effert, vel, si duo sint custodes, inter eosdem medius utrinque catenatus incedit. Unde colligi potest, quo pacto divus Petrus in *carcere dormiret inter duos milites *vinctus catenis duabus* (4) quarum altera dexteram, altera sinistram oneraret. f. 27.

Nullus est carcer, sed una vel duae catenae.

Soli actori testes producere licet.

8. Potiores in iuditio partes sunt actoris, cui soli testes producendi facultas conceditur, reo tantum recusationes obiiciendi. Quem morem semper reprobavimus, et tam actorem, quam reum in causis ecclesiasticis ad legitimas probationes admisimus, sed in saecularibus eos a sua consuetudine avellere non potuimus. Scribendi in tribunalibus nullus est usus, sed omnia solo verborum certamine et examine inter partes et iudices peraguntur. E quibus Umbares in castrorum, sicut olim in civitatum portis, ad dexteram et sinistram bipartiti suas sedes collocare solent (5); ad quos a provincialibus et

(1) 4 *Reg.*, 6, n. 26. — (2) 2 *Reg.*, 15, 3. — (3) *Deut.*, 19, n. 12 et 22, n. 15 et 33, n. 5. — (4) *Act.*, 12, n. 6. — (5) *Deut.*, 21, n. 19 et 25, n. 7.

vicanis iudicibus, ab iis vero ad Azages, idest supremos senatores, partim etiam ad dexteram, partim ad laevam considentes; et ab his ad Imperatorem datur provocatio. Caedi propter patratam caedem, adiudicatus caesi consanguineis, qui in Scriptura dicuntur *proximi sanguinis* (1), ad eiusdem edictum excarnificandus traditur, vel (quod non est rarum) oblato pretio liberatur (2). Pretium in gravioribus criminibus Arbá, idest quadragena, vocatur, in quibus quadraginta auri unciae, totidem mancipia, totidem telae gossipinae, boves, oves, caprae et vomeres solvuntur. Inter ea crimina adulterium censetur, in cuius ultionem neminem scimus umquam a marito cum maecha trucidatum; multos vero, citra naturalem belluarum in rivales excandescentiam, adeo patientes, ut regii sanguinis foeminam cum quovis congraecantem vir non ausit interturbare.

Homicidae, caesi consanguinei excarnificandi traduntur.

9. In nuptiis cum mortuorum fratrum uxoribus conciliandis et universim discindendis multo est effraenatior [*sic*] quam in hebraeo populo pruritus. In eo enim solae illae foeminae fratribus iungebantur quae nullos ex prioribus liberos suscepissent (3); Abassinis totum est illicium, eas fratribus, quamquam faecundis, innupsisse. Hebraeos solemnis libelli repudii a thoris dissociandis conscriptio morabatur (4); Abassinos sola verborum renuntiatio disiungit; ad quam, cum primo nuptiae contrahuntur, sponsores ab utroque coniuge offeruntur, ut et canina impudentia primi congressus coniugalis sint testes (quo forsam mistice allusit Isaias, cum dixit: *Adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem et Zachariam filium Barachiae, et accessi ad pro-*
27,v. *phetissam, et concepit et peperit filium*) (5) *et quando finitae locationis (sic illorum matrimonia dici liceat) tempus libido aut simultas advexerit, in aliam domum cum suis facultatibus illaesis (quae tota illorum est cura) divertant.

In matrimoniis dissolvendis summa impunitas.

10. Ut olim luctus mortui septem erant dies, et aliquando triginta, aliquando septuaginta (6), sic mortui ad minimum in Aethiopia septem diebus solemnius, aliquando triginta nec raro ad sex menses a viris atratis et foeminis sordidatis, capite ulterius candida instita circumligato, planguntur, praeficis, pelliceo amiculo coopertis, antelucano tempore ad primum galli cantum lugubre carmen praecinentibus et consanguineis atque amicis ad solis ortum prosequentibus. Et ut maior commiseratio suscitetur, equus, vestes et arma defuncti in medium proferuntur et ad singula tot et tam luctuosae naeniae a

Ritus funerales.

(1) 2 *Reg.*, 14, n. 11. — (2) *Deuter.*, 19, n. 12. — (3) *Deuter.*, 25, n. 5. — (4) *Deuter.*, 24, n. 1. — (5) *Isai.*, 8. n. 2 et 3. — (6) *Eccles.*, 22. n. 13.

mulieribus ad planctum doctis excogitatae promuntur, ut nemo sibi possit a lacrymis temperare. Nobis tamen inter funestas illas eiulationes risui fuit, in funere Marci filii imperatoris Seltan Seguedi, crebra clericorum et monachorum, totum psalterium et preces alias recitantium, vocis Alleluya interpositio, cum canerent: Mortuus est Marcus, Alleluya, Alleluya, lugete et plangite, Alleluya, Alleluya. Eas vero preces die tertio, septimo, trigesimo et quadragesimo, et anno transacto, funditant, oblatis templo donariis, stipe in egenos effusa, coesis bobus, vino et sicera et quadris in clericos et monachos erogatis. Ad primum necis alicuius ex charioribus auditum, se in terram adeo incondite praecipitant, ut vel statim exanimentur vel immaninter pede, brachio, aut capite luxentur. Gafates iactu in terram abstinent, sed, ut Baalis quondam sacerdotes, brachia et caput graviter incidunt (1); et omnes universim in coniugum, parentum, filiorum, propinquorum et amicorum funeribus vultum unguibus faede discerpunt et cruore ubertim conspergunt.

Mores coniugales.

11. In conviviis hebraeo quoque more ad humiles, rotundasque mensas supra tegetes sedent vel recumbunt, quas nec mantilibus, nec mappis vestiunt, sed quadris et placentis inferciunt, iisque crudam vel assam, exploso catinorum onere, imponunt et manus abstergunt. Si inferendum sit iusculum ex gallina vel ariete, aut pultes solutiores ex variis leguminibus (quae summae sunt huius gentis deliciae), conchis ex nigra argilla, operculo mitioribus paleis contexto inumbratis, committuntur; quae ad hoc aevi tota fuere cuiusque abaci non solum plebei, sed et regii, instrumenta, cum imperator Seltan Seguedus, duodecim ex argento paropsides et totidem dives quidam

Cruda bubula et felle condita delectantur.

prorex con*flari iusserunt. Bubula cruda plurimo sale et pipere condita in primis oblectantur. Iam si illi aliquibus lancinationibus consectae fel adiciatur, id vero gratissimum est salsamentum. Cui proximum id herbarum semicoctarum farcimen, quod ex tenuiori caesi bovis intestino extrahitur et instar sinapis famem carnem in eo intingentibus exacuit. Unde, cum Lusitanus quondam, ultra convivas, plures umbras suscepisset nec satiandae omnium appetentiae illud unius vaccae intritum satis esse conspexisset, famulis edixit, ut crassiora etiam purgamenta in mensam importarent, quae illi non segnius, quam illud delicatius obligurierunt. Sed postea fucum sibi factum intelligentes, Lusitanum coram imperatore Malac Seguedo impo- f. 28.

(1) 3 *Reg.*, 18, n. 26.

sturae flagitarunt. Ille hospitum moltitudinem et suam inscientiam, quod esset alienigena, imo et scientiam obtendens, quod edulium sic attemperaverit ut nec ipsi indigenae persenserint, accusationem in iocum et damnationem a se in condimentum convertit, non tamen obtinuit ut ipsum ab imperio aut ab imperiali mensa exularet.

Simplex is cibus multo constat impendio.

12. Simplices hi cibi non parvi sunt impendii, cum nullae apud eos sint molae aquariae vel asinariae, sed tantum, ut inter Hebraeos, ancillares et portatiles (1); nec quisquam virorum adigi possit illas ut trudat. In diem foemina tantum farinae molit, quantum quadraginta vel quinquaginta placentis conficiendis sufficiat, nam servatae in diem crastinam putescunt. Plus etiam farinae potus quam victus absumit, uterque vero ingentem ancillarum gregem deposcit.

Vini conficiendi modus.

13. Vinum ipsorum ex melle instar mulsi conficitur quinque vel sex aquae partibus in unicam mellis coniectis (crediderim hydromel esse plinianum) addito tosti hordei sub dio macerati pugno et ligni cuiusdam, Sâdo dicti, frustulis quae, omnem a melle dulcedinem exugentes, fervorem intra quinque vel sex dies inducunt; quo sedato, grate potio illa acescit et, diversum ab uvarum succo saporem referens, illum non modicum salubritate excedit. Parum vini inter fercula hauritur, sed, ut apud antiquos multi solebant cupa potare magistra, sic, ubi mensis data quies, praegrandes vini amphorae in medio statuuntur, ad quas amici et vicini convolant nec nisi epotis discedunt. Multi ad Imperatoris aulam proceres et cuiusque dynastae domum milites confluunt, quos omnes faecundi calices disertos et ad spondendum se morituros ante ipsum, et pro ipso audaces reddunt. Sed quae in vino veritas? Plerique aut illic sopiti concidunt,
f. 28,v. aut ita turbati discedunt, ut fre*quenter a domus ostio aberrent: portentum, non vini efficacitas (est enim nostro longe imbecillius), sed nimietas adducit, ut eos non iam homines, sed amphoras redire arbitreris.

Eius in potu largitas.

(1) *Isai.*, 47, n. 1 et 2.

CAPUT IV.

De nomine Presbyteri Ioannis, et de civili et militari administratione.

Imperator Azegue vel Azé dicitur.

1. Iudaeorum ritibus praetermissis, publicam et militarem gentis administrationem delibemus. Unus illi praeest Imperator, Azegue vel per syncopen Azé dictus, quamquam aliquando Negus, idest Rex vocetur. Presbyteri Ioannis nomen, nostris vernaculum, illic omnino peregrinum, falsa existimatione translatum fuit ad Imperatorem aethiopicum ab Iberiae asiaticae principe georgiano, Presbyteri nomenclatura nobilitato, quod diaconi ordinibus inauguratus, cum auctoratis Deo ministris in presbyterio consideret. Cuius cum celebre nomen esset inter nostrates, ex Marci Pauli veneti et aliorum relatione, lusitanos Reges ad ipsius conquisitionem et commercium illexit, qui missis terra marique exploratoribus in mandatis dedere, ut Presbyterum Ioannem late in Oriente dominantem suo nomine convenirent et amicitiae atque armorum communionem pollicerentur. Cum vero unus ex ipsis Alphonsus a Paiva in Aethiopiam irrupisset et christianum ibidem Imperatorem comperisset, Presbyterum Ioannem esse ratus, omnia plane descripsit et in Lusitaniam regrediens ultimum diem Memphi clausit. Cuius cum scripta ibidem reperisset Petrus Covillanius, ipsius socius, qui diverso itinere contenderat, Ioannem II Lusitaniae regem ex praeiudicata opinione admonuit, Presbyterum Ioannem ab Alphonso repertum; se quoque ad

Presbyter Ioannes a nobis non ab indigenis vocatur.

eumdem festinare. Inde nomen illud inter Europaeos haesit aethiopico Imperatori.

Praeter Imperatorem nullus est Rex in Aethiopia.

2. Praeter illum nullus est in tota ipsius ditione Regis titulo decoratus, ut enim Dancalinus et Gingiraensis ipsi ob viciniam et potentiam morem gerant, nullum vectigal solvunt. Aliquarum tamen provinciarum praefecti ex nullo alio, quam ex antiquorum dominorum sanguine leguntur, ut Naraeensis, Cantiba, Dambaeensis, in regno Tigraeo Barnagazius, Saraoensis, Syrensis et Tembenensis. Omnes tamen Imperator ut tesseras, vel *pilas habet, ut, prout libeat, huc et illuc etiam ante semestrem praefecturam immutet. Eadem est in trasmovendo sublimiori fundorum dominio vicissitudo; nam utile agricolarum (quod Reste sive haereditatem vocant) firmius est, nec in unam, vel triplicem vitam, sed in perpetuum prorogatur; nec ab Imperatore numquam, nisi ob capitale flagitium, dimovetur. Praefecturae non solum mutabiles sunt, sed venalitiae, et amplius licitantibus adiudicantur. Tantum vero quisque licetur quantum emunctis et exenteratis omnium provincialium marsupiis, se corrasurum sperat. Quod non est difficile, cum omnia sint in dominantium potestate, qui verius piraticam quam praefecturam exercent; nec id tantum demetunt, quod satis sit ad praesentis temporis demensum, sed in futurum praecavent, cum ad castrenses iudices sunt ituri et veniam ab ipso Imperatore omnium rapinarum oblato pretio quaesituri, a quo non raro impetrant, ne quisquam se repetundarum vel alterius damni illati valeat postulare. Quem morem incusantibus respondet eum semper in suo imperio usitatum et, si nunc immutetur, fenestram magnis seditionibus pandendam.

f. 29.

Praefecti magis piraticam quam praefecturam exercent.

Beteudet principatus in Ras immutatus.

3. Sub Imperatore duo quondam fuere magistratus, dexterior et sinisterior dicti Beteudet, idest dilecti, penes quos, dum Imperatores ceu blattae in tenebris desidebant, omnium negotiorum summa erat; sed ubi se in publicum dedere, expilatos se ab iis dignitate regia contemplati, ipsos penitus exuerunt, et alium, cui Ras, seu caput, est nomen, creaverunt; quod ipse secundum Imperatorem caput sit omnium principum et conciliariorum, et praecipuus rerum civilium et bellicarum administer; quamquam bella potissimum ipsi sint credita et in iis iure suo generalis munere fungatur. Infra ipsum duo sunt munia, aliud excellentius, aliud inferius, quae dicuntur Bellatinoche Goita, idest regiorum puerorum domini. E quibus primus omnibus proregibus, ducibus, terrarum praefectis, Azagibus, Umbaribus aliisque iudicibus praesidet; secundus domesticae Impera-

Duo Bellatinoche Goitae.

toris familiae, quae plerumque ex mancipiis diversarum gentium, Agais, Gongis, Aethiopibus et Nubianis constat, quos ipse, fideles supra indigenas in publicis muneribus expertus, non citra ipsorum invidiam praeponit.

Militari et equestri gloria praefulgent.

4. Abassini generatim militari et equestri gloria praefulgent; firmis et vegetis sunt corporibus, laboribus durati et recocti, famis ac sitis ultra fidem patientes. In bello adolescunt, in bello consenescunt, ut merito eorum vita dici possit *militia super terram* (1). Fundi enim ab Imperatore assignati totum sunt ipsorum stipendium, quod tamdiu perstat, quamdiu ipsi bello exercentur; ubi depontani fiunt, ipsi quoque ad alios possessores, tamquam a ponte deiiciuntur. Unde fit ut ad Imperatorem in bellum prodeuntem absque ullis sum-
f. 29,v. ptibus ingens exerci*tus quadraginta fere millium conglobetur. E quibus quatuor vel qninque millia in equitatu censentur, caeteri in peditatu. Equorum mille et quingenti valde sunt generosi; plures cantherinae vilitatis. Inter equites ad septingentos vel octingentos loricati sunt et galeati; reliqui hastati et clypeati. Clypei ex bubali silvestris corio texuntur; hasta duplex est vel triplex: nunc brevior in missilis speciem, quae pugnae principio coniecta clypeos loricasque transfigit; nunc longior et latius cuspidata, quae dextra nunquam dimittitur, sinistra scuti circumvectu impedita. Ferreae fistulae ad mille et quingentas numerantur; sed plerumque in praeliis sclopetarii quatercentenos aut quingentos non excedunt; ii vero adeo rudes sunt illius artis, ut ad primam fulgurationem torpescant. Tanta enim est apud eos sulphurei pulveris et plumbeorum globulorum penuria, ut vix per totum annum semel aut bis in scopum colliment, et raro fistulas ad oculos attollant, sed bicornibus lignis ad displodendum fulciant, inutili ad subitarios Gallarum incursus cunctatione. Gladiorum nullus in bello, sed creber in pace, argenteis capulis ad elegantiam, usus. Egregia sunt tela, parvae ex ponderoso ligno vel rhinocerontis cornu clavae, quas Bolotâs dicunt, et pugiones, quos et illas nunc in hostes iaciunt, nunc, cum ventum est ad brachia, configunt.

Munimenta et tela.

Ministrorum maior in castris quam militum multitudo.

5. Servulorum et foeminarum ad molituram placentarum, vini et sicerae confectionem tanto maior est quam militum copia, ut, ubi hi decies milleni numerantur, inermis illius plebeculae census triplo sit auctior; adeo ut quadragena illa millia ad centena vicena his

(1) *Iob*, 9, n. 1.

appendicibns excrescant. Nec illa *Aethiopiae tentoria,* quae Propheta *se pro iniquitate vidisse* testatur (1), his in castris desiderantur. Eorum enim metator, omnia agmina praecedens, vexillum loco commodo suspendit in regiorum tabernaculorum (quae quinque sunt vel sex, eaque amplissima et pulcherrima) defigendorum indicaturam. Quo conspecto, facile quis cognoscit ubi sua sint constituenda, suus enim cuique status est locus et duobus templis portatilibus, quae semper castra comitantur. In processu, cum hostes absunt, nullus fere ordo observatur, cum instant, principia non multum discedunt, et agmina attente clauduntur. Qui sunt a tergo, alas extendunt, et impedimenta tuentur. Imperator, suis cinctus apparitoribus, medius coronatusque incedit; eum sua semper classica, non ingratum sonantia, et tria vel quatuor tympanorum paria, mulabus imposita, antecedunt. Consequuntur quatuor vel quinque equi desultores argenteis vel inauratis ephippiis feroces; ac binae mulae, quibus Imperator vicissim obequitat. In equum semper intra tentorium insilit; si vero desiliendum sit in itinere, viciniores pictas sindones, quibus pro palliis utuntur, circumducunt, lectum *inferunt, sericas lodiculas et pulvinos applicant et tapetia substernunt. f. 30.

Procedendi et castrametandi modus.

Castris aethiopicis fames familiaris.

6. In castris esuriales plerumque feriae celebrantur, pauci enim quidquam cibariorum secum comportant; et quibus aliquid est annonae, eo exhausto, vivitur ex dato ab obviis vel rapto a finitimis, quos sic atterunt, ut immaniores non essent Gallae, si illac grassarentur. Ubi exercitus moram facit, necessitate compulsus Imperator vel prorex aut quivis alius dux, immunitatem praebet talis territorii vel oppidi expilandi; qua obtenta, milites, cuncta proterviae, quasi ignis essent, addicunt. Flagellatae huiuscemodi annonae causa est viarum difficultas, quibus vel impossibile est, vel summe arduum, frumenta convehi; eademque Abassinos absterret a Gallis insectandis, cum enim nihil sementis terrae commendent, nihil exculentum in ipsorum agris, bobus alio abactis, assequuntur. E contra Gallae in ipsorum regione cibos, armenta et mancipia lucrantur.

Famis huius causae.

7. Pacis vero tempore christiana pietas et hospitalitas in socordiam diritatemque migravit. Cum enim omnes sub noctem adventantibus coenam suppeditare teneantur, nec ulla sint advenis recipiendis diversoria, id sui tenaces et otiosos invitat, ne commeatum curent, et alienis dapibus atque uxoribus, cum viri absunt, intendant.

(1) *Hab.*, 3, n. 7.

thesaurorum abassini Imperatoris magna quondam fuit, sed a ventosis atque fumos venditantibus profecta existimatio. Abundat enim melle, butyro, bobus, equis ac terrae proventibus, sed auri in singulos annos ex redditibus et portoriis centies millenas oqueas minime converrit. Continet autem oquea decem drachmas nummis maioribus argenteis hispaniensibus aequales.

Exigui Imperatoris Aethiopiae thesauri.

CAPUT V.

Christianae religionis in Aethiopia origo.

Divus Matthaeus in Aethiopia non praedicavit, sed in Nubia.

1. Indicatae iudaici cultus inter Abassinos origini, consequens est, ut christianae praedicationis exordia subiiciamus; non equidem a divo Matthaeo sumpta, qui non in superiori hac Aethiopia, sed in inferiore, quae proprie dicitur Nubia et in qua nunc adeo christiana in masculis et foeminas nomina et in montibus templorum vestigia cernuntur, studiosissime insudavit; sed a reginae Candacis, in Meroe sive Goiama residentis, eunucho, a Philippo diacono salutaribus baptisimi aquis in via initiato. Hoc enim praeter antiquam gentis illius traditionem et nullam culturae sancti huius apostoli in aethiopicis fastis vel mentibus memoriam, ante ducentos annos, Alphonsi Tostati Abulensis episcopi aetate (1), Nubiani legati Romae

Sed eunuchus reginae Candacis.

f. 30,v. prodiderunt. Quo ex tempore ma*hometana pestis regnum illud totum invasit et omnia fere apostolicae praedicationis semina corrupit.

Eunuchus ille proselytus erat.

2. Eum vero eunuchum Hebraeis fuisse ritibus excultum sicut et caeteros ipsius gentiles Apostolicorum Actuum liber ostendit, dum eum tradit venisse Ierosolymam, ut adoraret et Isaiae lectione delectatum (2). Cum tamen ipse nec sacerdos esset, nec episcopus et in curru per transennam a diacono eruditus, evangelicae observantiae, magis famam quam doctrinam, illiusque perennitatem in suam pa-

(1) *Proleg. in Matth.*, 9, 13. — (2) *Act.*, 8, n. 27 et 32.

triam invexit; nec illius quidquam ulterius per trecentos annos ad magni Athanasii Alexandriae antistitis sacerdotium quam Christi et Crucis nomen et caliginosa quaedam illorum commemoratio colebatur. Illius vero illuminandae et prorogandae ea causa fuit quam primus omnium e tenebris asseruit Ruffinus (1) et ipsius auctoritatem postea secuti Socrates (2), Sozomenos (3), Theodoretus (4) et eminentissimus cardinalis Baronius tertio suorum Annalium Ecclesiasticorum tomo ad annum Christi tercentesimum vigesimum septimum (5); quamquam nemo illorum Aethiopiam vel Abassiam proprio nomine expresserit, sed illam omnes inferioris Indiae nomine occultaverint. Abassinos tamen libros diligenter excutientes, eosdem non hospitalem, sed omnino domesticam et indiscretam cum nostris tesseram colere animadvertimus; et quod isti in inferiore India locant, illos in Aethiopia, parvo verborum discrimine, designare. Historiam igitur ex utrisque texemus, et ubi aliquid occurrerit dissidentiae subnotabimus.

Meropius tyrius phylosophus.

3. Tyrius quidam philosophus (mercatorem tradunt libri aethiopici nec falso; Tyrii enim principes, ex Isaia (6) et Ezechiele (7), et sapientiae et mercimoniis vacabant) cui Meropio nomen, exterarum regionum visendarum desiderio pellectus, in interiorem Indiam penetravit, ductis secum duobus puerulis (servulos dicunt Abassini), quos ipse, utpote sibi sanguine propinquos, honestis artibus imbuebat. Eorum senior Frumentius, iunior Aedesius vocabatur (Fremonatum et Sydrachum Aethiopes appellant).

Meropii nepos Fremonatos seu s. Frumentius.

Perlustratis superioris Indiae partibus, earum laetus notione in patriam Meropius vela convertit et aquae ac cibariorum penuria constrictus, in portum quemdam inferioris Indiae est appulsus. Cuius incolis barbarie efferatis, cum illo navis aliqua defertur, moris est a finitimis exquirere, num firma sint suorum Regum foedera cum Romanis. Sic apud eos dicebantur non solum qui Occidentali sed etiam quotquot essent Orientali imperio subiecti. Et vano aliquo rumore perculsi navem philosophi invadunt ipsumque cum vectoribus trucidant. Morbo periisse ipsi, forsan tantae suae *gentis in immerentis diritatis pudore correpti, affirmant. f. 31.

Meropium ex India redeuntem barbari trucidant.

4. Pueruli sub arbore meditantes et lectiones suas parantes barbarorum miseratione servati ad Regem ducuntur; e quibus ille Aedesium pincernam constituit, Frumentio solertiori et perspicaciori sua

Frumentius captivus aethiopici Regis rationibus praeficitur.

(1) Lib. 1, cap. 9. — (2) Lib. 1, cap. 15. — (3) Lib. 2, cap. 23. — (4) Lib. 1, cap. 23. — (5) Baron., an. 327, tom. 3. — (6) *Isai.*, 23, n. 8. — (7) *Ezech.*, 27, n. 8.

scrinia rationesque committit. Ex quo apud Regem magno sunt habiti in honore et amore. Sed cum illius fatum advenisset, regni haeredem sub matris tutela reliquit, et duobus adolescentibus quo vellent eundi liberam fecit potestatem. Illa, quae nihil toto in regno fidelius nec pretiosius haberet, eosdem suppliciter orat, ne se deserant, quoad filius per aetatem regni habenas tractare possit. Praecipuum vero illi erat in Frumentii prudentia momentum, nam Aedesius puram sobrietatem simplicitus colebat. Eos ut exoravit, cum regni gubernacula Frumentius prae manibus haberet, Deo ipsius mentem instimulante, sollicitus [*sic*] rimari coepit, num inter romanos negotiatores ad regiam confluentes, aliqui essent christiani. Cum vero aliquos reperisset, ipsis auctoritatem maximam commodare, porro ut pergerent et conventicula per loca singula facerent, in quibus romano ritu convenirent monere. Ipse instantius eadem praestare; coeteros cohortari; favore et beneficiis invitare; quidquid opportunum esset praebere; loca aedificiis et alia necessaria exhibere et omni modo satagere ut christianorum nomen altas illic radices ageret et laetis proventibus exuberaret.

Rege mortuo, regnum administrat.

Rem christianam curat.

5. Sed cum regius puer adolevisset, et quam duo iuvenes ipsius nomine gerebant, regni procurationem eidem tradidissent nec ipsum et matrem morandi causas nectentes audirent, tandem in patriam sunt regressi. Aedesius quidem Tyrum tetendit, sed Frumentius sua magis quam divina curare indignum perpendens, Alexandriam perrexit, in qua magnum Athanasium offendit in Marci cathedra recens considentem, cui omnia ordinatim manifestans ecclesiarum iam constructarum numerum, et construendarum facilitatem et gentis in christianum nomen proclivitatem exponit; et ut episcopum aliquem mittat, qui plures Christo filios pariat, deprecatur. Tum vero Athanasius, perpensa Frumentii synceritate, et senili in florido adhuc aevo maturitate, ipsum sacerdotali concilio sic est affatus: Ecquem alium inveniemus quem aeque Dei spiritus ac te induerit, ut quae optas possit implere? Episcopali ergo charactere et munere ipsi tradito, eumdem fausta ominatus in Indiam remittit, quam cum tenuisset, tanta ei a Deo impensa est gratia, ut virtutibus et miraculis apostolicis inclaruerit et magna illorum barbaro*rum ad christianam fidem conversorum facta sit accessio. Inde in inferioris Indiae partibus christianum nomen firmatum est, ecclesiae erectae et sacerdotium constabilitum. Cum vero indigenae perspicerent (quod eorum libri addunt) inter Deum ac se pacem, Frumentio caduceatore, conciliatam,

Frumentius Alexandriam perrexit ad s. Athanasium.

Frumentius a s. Athanasio primus Aethiopiae episcopus consecratur.

f. 31,v.

eum Abbâ Salamâ, idest Patrem Pacificum nuncuparunt. Quae omnia non opinione vulgi, sed ipso Aedesio, Tyri presbytero postmodum facto, qui Frumentii comes prius fuerat, referente, sibi cognita Raffinus [*sic*] ad historiae calcem testatur.

Fremona a Fremonato vel Frumentio nomen coepit.

6. Cum in latinis et abassinis annalibus idem sit praecedentis narrationis corpus, noster Frumentius illorum est Fremonatus, a quo Fremona, nobile Tigraei regni oppidum, Auxumae, quae tunc erat curia, vicinum, et Ambà Salamá, quae non inde procul rupes est inaccessa in Tembennensi praefectura, nomen sumpsere. Portus vero, quem Meropius adeo inhospitalem est expertus, esse debuit in mari Rubro Mazua, quae Auxuma centum triginta quinque milliaribus separatur. Mari autem Rubro Tyrios in Indiam navigasse, patet e libris Regum et Paralipomenon in quibus traditur, eos salomonicae classis in Ophir ab Asiongaber in illius littore tendentis ob artis maritimae peritiam naucleros fuisse (1). Qui locus nunc etiam Tor, quod hebraeum est Tyri nomen et Gibel Tor, idest mons Tyri, dicitur ob ipsi imminentem Sinae montis celsitatem. Cuius cum non minimam similitudinem Arabes in Hispaniam exundantes in Gaditano freto in Calpes et Abylae prospectu intuerentur, Gibel Tor, et posteri una litterula immutata Gibaltar nominarunt. Ille vero Rex esse debuit Agder, Abrae et Azbae pater, sub quibus Frumentius dicitur, in Indiam regressus, ingentemm ultitudinem ad Christi ovilia compulisse. Aethiopiae, cum sita sit in Africa, inferioris Indiae, eodem errore, quo et ipsius Imperatori Presbyteri Ioannis, nomen est adiectum, quod Europaei, quid quid est ultra Aegyptum ad utramque Erithraei maris oram et deinceps ad Orientem, Indiam appellent, superiorem et ulteriorem quae longius distat, inferiorem quae ipsis est propinquior et in quam in se a remotiori sol descendit (2). Utrumque autem errorem in unum fascem conpingunt, qui Regem illum dicunt Presbyterum Ioannem Indiarum, cum nec ille sit, nec, si esset, in India dominetur.

Frumentius s. Athanasii integerrimus observator.

7. Haustam a Divo Athanasio romanae fidei veritatem et puritatem Frumentius Abassinis instillavit, nec parum laborum et periculorum ob illius et tanti magistri defensionem ab Arianis et iuratissimo ipsorum patrono imperatore Constantio est perpessus. Hic enim credens Athanasium (ut idem *narrat in sua Apologia) ad ipsum f. 32.
profugisse et inter Abassinos latitare ad Auxumeos tyrannos (ita

(1) 3 *Reg.*, 9, n. 26; 2 *Paralip.*, 8, n. 17. — (2) P i n e d., *De rebus Salom.*, lib. 5, cap. 14, sect. 5, n. 4.

Reges sibi nec vectigales, nec obsequentes Romani vocabant) scripsit, ut Athanasium ad se illico trasmitterent, et cum eodem Frumentium ab ipso inunctum, eumque Georgio in Athanasii cathedram intruso, et haereticorum antesignano tradendum, et ab eodem edocendum curarent. Qua in narratione pedem Auxumae vir magnus impegit, Auxumam in Aegypto locatam ratus, illiusque episcopum Frumentium diversum esse ab inferioris Indiae antistite; cum una sit Auxuma in Aethiopia, et unus ipsius episcopus Frumentius, a divo Athanasio ut purissimum frumentum a cuiusvis erroris gluma expurgatus, et tandem in coelestia horrea inductus, et in ecclesiasticis Romanorum tabulis ad diem vigesimam septimam octobris consecratus (1); quemadmodum et vigesima quarta eiusdem mensis lux dicatur sancto Elesbaan sive Caleb, Aethiopum regi, coedis beatorum martyrum Aretae et 340 sociorum ab Hunan iudaeo Homeritarum tyranno interemptorum ultori et ad annum Christi quingentesimum vigesimum secundum, et quintum Iustini imperatoris, integerrimo romanae fidei propugnatori.

Auxuma in Aethiopia non in Aegypto.

Frumentius et Elesbaan rex, sanctorum catalogo adscripti.

(1) Baron., in *Martyrolog.* ad diem 27 octobris.

CAPUT VI.

Abassinorum contra religionem catholicam errores.

1. Auream illam evangelicae praedicationis venam, illibate ad illa usque tempora decurrentem, invalescentes tunc Alexandrinorum, episcopos continenter in Aethiopiam mittentium, errores infucarunt, et inprimis rusticanus ille, contra quem divus Cyrillus scripsit, Antropomorphitarum, Deum tricorporem existimantium et Graecorum, pervicaciter Spiritum Sanctum a solo Patre, non autem a Filio procedere contendentium, eumdemque Patris et Filii vitam esse, non quidem ut ab ipsis profluentem, sed quasi anticipato in eosdem influentem eosque vegetantem. Sed plures et obstinatiores illorum sunt in dominicam incarnationem positiones. In primis enim duplicem Christi naturam cum Eutychete diffitentur; unam vero, eamque solam divinam ex duabus factam, ut in hominibus fit ex corpore et anima, cum Monophysitis, et unam voluntatem et naturalem operationem cum Monothelitis tuentur, et eodem modo cum Nestorianis unam personam ex duabus conglobatam, inter naturam et personam nihil discriminis agnoscentes. Personam vero rentur ipsam esse corporaturam, nec illam solis substantiis rationalibus, sed etiam inanimis, ut
f. 32,v. navibus, arboribus et montibus assignant. Divinitatem et hu*manitatem ex aequo componunt, illam natam, unctam ac mortuam, istam omnipotentem et omnia loca pervadentem stulte buccinantes. Eutychetem ob leviuscula sensa haereticis, Dioscorum ipsius in omnibus

Aethiopium [*sic*] **errores ab Aegyptiis dimanarunt.**

Errores contra dominicam incarnationem.

Contra s. Leonem et concilium Chalcedonense.

patronum, doctoribus et martyribus apponuut. Divum Leonem et concilium Chalcedonense paribus probris et diris insectantur et impuris cantionibus proscindunt.

Errores de animae natura et statibus.

2. Christum non tantum iustorum sed et damnatorum animas ab inferis eduxisse, immani pietate asseverant. Piorum nunc morientium animas in terrestrem paradisum divertere, Dei conspectu post diem iudicii pascendas; impiorum, in diversum locum demitti, in quo poenis interim solutae eamdem diem praestolentur; nec in aeternum, sed ad tempus (maxime si christianorum sint) carceri mancipandas arbitrati; purgatorii et indulgentiarum nulla fide, vel cognitione imbuuntur. Omnium hominum animas in mundi principio a Deo, quasi in vivario repositas, per intervalla in corpora infundi cum Origene opinantur, et ex quatuor elementis conflatas, atque ex parentibus decisas, cum Apollinari, seminatione propagari. Tenebras creaturarum dignitate donant, coelum, et terram et quidquid cum ipsis productum est, voce a Deo conditum, coetera silentio, nugantes.

Circumcisionis frequentia et causationes.

3. Circumcisioni quam tenaciter adherescunt, nec ad illam tantum masculos octava die, iuxta hebraeum ritum (cum Baptismum in quadragesimum et octogesimum proturbent, et si mors instet, omittant), sed et foeminas insolenti consectione compellunt. Illius vero frequentandae varias causationes comminiscuntur: se non mosaicae legis observantiam, sed corporis munditiem et pulchritudinem curare; non plus esse piaculi in tantulae pellis superfluae, quam in unguium vel capillorum abscissione; illam Paulum in Timotheo admisisse et nihil esse (1), idest illius usum omni peccato carere definiisse. Unus tantum, vel alter (quod in Europa vulgatum est) Christi imitationem obtendunt; cum vera sit causa iudaismi et inolita suorum maiorum consuetudinis observatio. Nec ullum inter eos maius est probrum, quam si quemquam Colofâ, idest clausum, convitio appellent, nec aliquem incircumcisorum sua mensa participent; si vero participaverint, concham illico catinumve confrigunt aut clerico rituali imprecatione expiandum committunt.

Sabbati inter eos observantia.

Sabbato a tempore imperatoris Zera Iacob, qui concilii Florentini tempore vivebat, aequalem reverentiam ac diei dominicae impendunt, eam credentes ramusculi ab arbore evulsione aut alicuius verbi prolatione violari. Et cum sub imperatore Seltan Seguêdo ter milleni Damotensium in illius *defensionem f. 33.
essent interfecti, superstitibus nihil gravius iniunctum, quam ut ter-

(1) *Act.*, 16, n. 3: 1 *Corinth.*, 7, n. 19.

ram sabbato inararent. Nec foeminae, quae masculum essent enixae ante diem quadragesimum, nec quae sui sexus partum, ante octogesimum, nec menstruo sordidatae, ante illius abolitionem, se templo sistebant. In aliquibus delubris duplex, in aliis triplex velum adyta, sicut olim, Sancta et Sancta Sanctorum a populari commercio dirimebat. In omnibus arcae visebantur et intra eas arae ligneae, et in Auxumitano tabula, quam legis esse putabant a templo ierosolimitano mutuatam, et in Abbatis Guarimâ fano virga septem involvocris [*sic*] sericis et xylino crassiori cooperta, quae aaronicae visa est imitamentum. Carentes squamis pisces et suem (non ita aprum, ut pote in lege non vetitum) cane peius et angue execrabantur. Detestabilius vero leporem et cuniculum et ob illorum esum, Lusitanos, quos ob eam solam noxam Turcis adiungebant, cum ipsi et polygamia et circumcisionis usu et pluribus aliis ritibus cum eisdem copulentur.

Arcae in templis et arae ligneae.

4. Sacramenti Confirmationis, Extremae Unctionis extrema semper inter eos et formae Baptismi summa fuit ignoratio. Illam recte pauci proferebant: ea vulgatior erat, quae in templo Ganjabet. idest attalicarum vestium conclavi, in dextro semper castrorum cornu, Beatae Virgini dicato, reperta: Semel te in Patre, secundo in Filio, tertio in Spiritu Sancto baptizo. Alii dicebant: Ego te in Spiritu Sancto; alii: In Iordanis aqua baptizo; alii: Deus te baptizet; alii: Accedat tibi Baptismus; alii, demerso infante, dominicam orationem, vel quamvis alicuius evangelii partem recitabant.

Confirmatio et Extrema Unctio ipsis ignotae.

In Baptismo vasti errores.

5. Rebaptizationis mira inter eos libido. Illi studebat quisquis monachi vel monialis habitum indueret, quisquis ad Gallarum vel mahometanorum regiones accessisset, etsi illorum superstitionibus non pollueretur; satis enim erat cum iisdem fuisse fabulatum vel epulatum. Faeminae clariores monachum semper domi alebant, a quo singulis diebus ad solis exortum, omnibus vestibus nudatae, abluebantur. Quin et vaccas luporum dentibus saucias ad clericum ducebant, easque ipse eisdem, quibus infantes, verbis ac ritibus lustrabat. Solemnior ipsorum erat die Epiphaniae, vel in mari Dambaeae vel in luculento aliquo flumine, aut in manu laboratis aquarum deductionibus, in regiis castris ab Abuna, in aliis locis a magno alicuius caenobii vel ecclesiae magistro curata lavatio. Prope
f. 33.v. aquam in perviglio *divitum tentoria, tenuiorum umbracula et pauperum casulae figebantur. Commodiori statione altare cum ara portatili locabatur, et sacrorum ministri sub vesperum elegantioribus

Rebaptizationis aviditas.

Vespertina praeparatio.

ornamentis induti et psalmos concinentes, diaconum crucem sublimi hastae impositam praeferentem insequentes, quousque illam medio alveo infigeret, comitabantur. Tum vero iuxta flumen praeter psalmos, totum Actuum Apostolorum librum, vel quatuor evangelia in quatuor ventos vicissim conversi praelegebant, dum eos refectionis aut quietis necessitas non interpellaret. Post noctem intempestam matutinis precibus et liturgiae ieiuni atque abstemii operabantur, et nonnulli (quamvis paucissimi) exomologesi animum purgabant. Ad solis appulsum omnes in aquam convolabant, et Abuna, sive monachorum princeps, oleo, quod ipsi sanctum vocant (sed nulla alia pollet sanctitate quam ea, quam hausit a manu institoris mahometani, a quo emptum fuit), crucem illinit et aquam in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, qui unus est Deus, semel et iterum diffindit, eamque alii tradens, solo campestri et aliorum ministrantium palliis in orbem protentis tectus, in aquam ad pectus vel fauces irrumpit, et duobus manum supra ipsius caput tendentibus, nec tamen tangentibus et Baptisimi formam repetentibus, illud ter immergit. Tum eodem ritu per suos gradus, depositis omnino vestibus, omnes ordinibus auctorati, mox profani et primus inter eos Imperator, eo tantum a caeteris discretus, quod a cingulo ad pedes linteo obnuberetur. Inde se in tabernaculum, et post ipsum curiales, ad spectandam emergentium nuditatem, colligebant. Quod ad nonum praesentis seculi annum duravit, cum imperator Seltan Seguedus, monentibus Societatis Iesu patribus, barbarum morem pertaesus, eo iussit abstineri, sed cum extremum diem clausit, is cum reliquis error repullulavit. Me, haereticas insanientis populi bacchationes vitantem, Mecharecâ, maris Dambaeae insula, claudebat, ubi magister eutychianus, num quid haberem olei, rogavit. Ego, cum satius esset ut illud tunc gestarem in auricula, illius propositi nesciens, affatim ex lusitana amphora promi iussi. Sed cum non multo post lustricae ipsorum feriae affulsissent, sepultam eatenus rebaptizationem magister idem, effuso large in paludem oleo, renovavit, quod cum commune esset, nec episcopali carmine effatum, ridibunda ad contubernales muliercula clamavit: O laetam diem! En nobis post novem annos Kabâ *Kedûs, idest, sanctum oleum, redivit. f. 34.

Matutina celebritas rebaptizationis Abunae.

Imperatoris rebaptizationis ritus.

Oleo communi aquas perfundunt.

In sacramento Poenitentiae errores.

6. Sacramenti Paenitentiae usum non exigui errores lacerabant, paucis peccatorum species et numerum exponentibus, generatimque dicentibus: Peccavi, me absolve; et confessioni solutio congruebat. Attentior tamen confessarius aliquando rogabat a quibus accedentem

esset exoluturus? Ille vero addebat: Mentitus sum, alienam famam vel uxorem violavi. Tunc ipsum, iniuncta mulcta, liberum abire iubebat, sed nemo, antequam illam penitus persolveret, sacro Eucharistiae epulo accumbebat, cum nonnunquam unum, vel duos annos ieiunare, et singulis diebus quinquaginta, vel centum vel omnes Davidis psalmos recitare iuberetur. Unde ortum ne moribundis eadem Synaxis praebeatur, cum putent, nihil ipsis profuturam confessionem, si desit tempus ad satisfactionis cumulum addendum. Illa nemo ante vigesimum quintum aetatis annum, quem innocentiae terminum credebant, animi sordes eluebat. Tales vero tantum rebantur maechari, occidere et aliena furari; nec tamen ulla cuiquam redhibitio imperabatur, sed novi apud eos iuris regula vigebat, ut dimitteretur peccatum quin restitueretur ablatum. Cum soluta scortari adeo erat innoxium, ut cum duo pacti essent per totam hyemem, vel aestatem congraecari, clericum adirent, ut, interposito anathemate, vetaret ne ille ad alteram, vel illa ad alterum abiret; et maritus, ad proelium discedens, uxorem precaretur ut quam vellet ex pedisequis, vel ancillis sibi in militarem thorum designaret, cum qua libidinari nihil erat ante Deum piaculi, vel in vicinia offensionis, quo minus singulis diebus dominicis Angelorum pane, ut et praedicti, reficeretur. Plerosque vera huius sacramenti forma latebat; duae communiores precationem, una tantum aliquam iudicialis sententiae formam exhibebat. Illae erant: N. serve Dei, mittat te peccatum, illudque tibi Iesus Christus Petri et Pauli ore dimittat, teque ab illius vinculo liberum reddat. N. serve Dei, Paracletus, veniae largitor, omnia tua peccata deleat. Ista: Solvatur tibi peccatum tuum ore Domini nostri Iesu Christi, sanctorum Petri et Pauli et tercentum decem et octo patrum, qui rectae fidei fuerunt. Duas priores formas nugaces fuisse nemo dubitabit, num tertia probanda sit, theologis controversum.

Ante mulctam persolutam nemo communicabat.

Restitutio nulli imperabatur.

Formae Poenitentiae ignoratio.

7. Utramque in Eucharistia speciem (vel neutram potius, tam
f. 34,v. ex clerica*lis characteris, de quo infra, quam ex materiae defectu) frequentabant. Sanguinis enim materia erat aqua quinque vel septem uvis aridis spississimae nigredinis macerata, super quam, ac si vinum esset, consecrationis verba proferebant. Panis eorum fermento tumidus et in crassiorem placentam conformatus. Cum vero noster et tenuis esset et candore notabilis, ansam lividis dedit, ut dicerent, ex leporis et camelorum (quae animalia immensum detestantur) cerebro conflari. Ad quam calumniam dispellendam, saepius visum est commodum ex farina ab ipsis adducta et excreta ante ipsorum

Eucharistiae materia apud eos panis fermentatus et aqua paucis uvis aridis macerata.

oculos, nostra crustula typis solitis, insigni adstantium miraculo, concoquere. E quibus aliquando unus: Hic, inquit vere panis est Angelorum, noster vero suum et nostrorum clericornm pedibus subactus.

Nec subdiaconatus nec minores ordines apud eos in usu.

8. Clericos soli presbiteratus et diaconatus ordines reddebant. Nam subdiaconatus et minores cum prima tonsura penitus inusitati, cum eorum notitia ex libris haberetur. Diaconatus, fronte oleo peruncta et capillis aliquibus abrasis, tradebatur; presbyteratus pane a templi fenestra propriis ordinandi manibus ablato [*sic*], absque ulla verborum pronuntiatione vel instrumentorum traditione. Unde veri ne fuerint hi duo ordines, saepius agitatum et sub conditione repetendos, caeteros ex toto dandos, definitum. Totum ad illos suscipiendos examen erat expeditus trium vel quatuor linearum sacrorum librorum decursus; pretium vero unus et alter salis laterculus in Abunae expensas solvi solitus, cum ipsius minister approbati brachio notam inureret. Quae cum esse posset iusta suscepti a notario laboris merces, a summe religiosis ordinum emptio et ipsorum deletio [*sic*] putabatur. Quod nos permovit ut, ad abigendam omnem suspicionem, cereos ab oblatione reiiceremus. Tria ordinandorum millia aliquando ad Abunam confluxerunt, cumque ipsum urgerent ad ordines sibi impendendos, ipse aliis occupationibus se distentum respondit: quos porro quisque vellet, ordines bona cum venia domum efferret. Qui omnes eo nuntio laeti avolarunt. Aderat forte muliercula, quae, tam vilem mercatum conspicata, dixit, se quoque velle diaconissam, vel presbyteram inaugurari. Annuit ille nec ipsa quidquam deterius quam caeteri ordinata discessit.

Conditiones ad presbyteratum requisitae.

9. *Ad excipiendas confessiones nulla exquisitior instructio vel f. 35.
ad omnes sine discrimine absolvendos alia potestas ultra presbyteratus ordinem quaerebatur. Ad eum promovendi virginem prius ducebant extra quam si se alteri iunxissent, vel aliam mortuae subrogassent, non ordinum tantum usu, sed et ipsis se exauguratos (ea tamen non dimissa) rebantur. Parentibus ordinatim eorum filii succedebant; cumque ipsi excrescerent, et in eos divisi ecclesiarum fundi minuerentur, in summam mendicitatem redigebantur, a profanis, nec veste nec opificio sed solius crucis dextera gestatae indicio discreti; et oppidorum dominis ad correctionem et supplicia, vel ipsam caedem, non secus quam caeteri e populo subiecti.

Abunarum munus et studia.

Unum Abunarum munus erat ordines conferre quin umquam eorum aliquis visus sit concionari, vel ecclesias lustrare, licet ad singularum vel binarum ex iis telarum collectionem suos non raro

aucupes destinarent. Ecclesiis pastores praeficere non ad ipsos sed ad monachos, quorum caenobiis pleraeque sunt adnexae, et terrarum praefectos attinebat.

10. Praeter Abunam nullus umquam appulit in Aethiopiam episcopus. A divo Frumentio ad Simonem, qui cum Elos perduellionis poenas dedit, nonaginta quinque ab Alexandrino patriarcha missi, nec exiguo pretio a Turcis exacto, et ab Abassinis corrogato, numerantur. Vel enim ducentas aut trecentas auri oqueas Imperator statim offert vel, si clandestina est trasmissio, Abunam Turcae in vincula coniiciunt nec inde exire patiuntur aute quam par suae cupiditati portorium exolvat; quod in Abassinos tandem versuram facturos, et in Abunam collecta hinc inde stipe, mulctam compensaturum, redundat. Illius alimoniae tres fundi censuales attributi: primus in regno Tigraeo triginta vel quadraginta oqueas solvens, dictus Eda Abuna, idest Abunae poena, quod eum imperator Theodorus Abunae a se iniuria affecto, mulctae nomine obligaverit; secundus in Dambaeae finibus ad domesticum commeatum; tertius in Goiama prope Nilum, quem iam Gallarum grassaturae inutilem reddiderunt. Insula praeterea in mari Dambaeae iuxta Nili ab eodem egressum, commodior animo levando, quam crumenae conferciendae. Praecipuus tamen illorum census erat in salis tessellis ex ordinibus, et f. 35,v. *telis oppidatim per ecclesias collectis.

Abunae a divo Frumentio ad Simonem 95.

Fundi patrimoniales Abunae.

11. Inscitia inde perspici potest, quod ad eos sellae suae insidentes ii aliquando confluerent, quibus ardor erat publicae exomologesis faciendae; et ubi tria vel quatuor graviora peccata evulgassent, baculo in altum erecto Abuna dicebat: Haec operatus es, nec Deum extimescis? eoque illius terga ter aut quater validissime pulsabat. Mox ad lorarios (qui, sectis e corio flagellis ingentem strepitum edentibus, et dolorem, ubi corpus tetigerint, alte imprimentibus, Imperatorem et proreges et ipsum Abunam praecedunt) illum, inquit, triginta vel quadraginta verberibus conscindite. Dictum, factum; sed ad sextam, vel septimam pulsationem, adstantium rogatu, sistebatur. Non ante multos annos quidam in simili consessu ab Abuna ad aurem flagitavit, ut suum secreto peccatum audiret. Cui ille: Quid secretum exigis, cum hoc peccatum in die iudicii omnium auribus sit ingerendum? Certam ille boum summam a se abactam manifestavit. Aderat illorum dominus; confessum, et multorum testium numero convictum, ad iudicem defert, qui, id supplens quod semper eorum confessarii ex ignoratione et incogitantia omit-

Abunarum imperitia.

Notabile inscitiae exemplum.

tunt, reum ad restitutionem et insuper ad paenae solutionem obstringit.

Abunarum libido.

12. Qualis eorum erat inscitia, talis et vitae socordia. Multorum filii et concubinae noscebantur. Num episcopi, num presbyteri et imo num nec Presbyteri nec monachi essent, meritissime ambigebatur. Synaites monachus nunc vivit, quem multi, post Abunae Simonis caedem huc appulsum, cum non esset episcopali ordine insignitus, ipsi sufficiendum curabant. Distulit tamen Imperator, romani Patriarchae deposcendi iam tum desiderio inflammatus; sed, cum primus illum quaerentium ardor refrixisset, et alludens humeris capillitium insordesceret, ad solitum artificium, aquariam nempe molam, cuius costruendae peritus erat, conversus, uxore ducta, plus furfuris nunc facit, quam farinae; nec illum, ut a tam turpi molitura absisteret, nunquam potuimus emollire. Is, quem, nobis in exilium compulsis, obtruserunt, equorum erat a Nubianis ad Nareaenses transactor postea caupo vinarius et solo cauterio, christianis inter Aegyptios in lacertis addi solito, commendabilis. Cuius in patriarchali cathedra iam collocati ignobilitatem et imperitiam cum Aegyptius alius rerum apprime *conscius praedicaret, ab eodem est interfectus. f. 36.
Ob quod flagitium et notam impudicitiam loco ille submotus fuit et in Dek insulam relegatus. Alius quem, nobis Suaqueni devinctis, illuc ex Aegypto intulerunt, quod amplam ancillarum et liberorum ex iisdem genitorum familiam publice ductaret, ab Imperatore ante annum in petra inaccessa datus est custodiae et alius ab Alexandrino praesule postulatus.

Profanus equorum transactor patriarchae Alfonso subrogatus.

CAPUT VII.

Monasticae vitae in Aethiopia origo.

1. Frumentio, ad sui cordis tesseram et suorum morum similitudinem instituto, credibile est divum Athanasium alium comitatum non addidisse, quam illum, quem ipse sibi, anno Christi 340 Romam aditurus ad reddendam divo Iulio impositarum sibi ab Arianis calumniarum rationem, delegit, probatorum nempe monachorum Isidori et Ammonii qui ex omnibus urbis illius aedificiis sola apostolorum Petri et Pauli conditoria sibi invisenda proposuerunt, et illius incolas et praecipue clariores virgines et viduas ad speculi contemptum et religiosae vitae amplexum excitarunt (1).

Monachos secum in Aethiopiam importasse videtur s. Frumentius.

2. Tales ergo secum socios, a suo consecratore delectos, et in magni Antonii, vitam tunc degentis, disciplina educatos videtur Frumentius in Aethiopiam invexisse. Anno enim tercentesimo septuagesimo secundo, quo maximam Christo frugem, Frumentius metebat ex Bethlemico recessu ad Laetam scribens divus Hieronymus, eamque admonens ut balbutientem filiolam Paulam inter virginitatis lilia consecrandam illuc ad seniorem Paulam aviam mittat, illud refert inter caetera: *De India, de Perside et Aethiopia monachorum quotidie turmas suscipimus.* Nec vero Aethiopiam Arabiae adiacentem intelligit, sed quae supra Aegyptum extenditur, de qua ad Marcellam: *Quid,* inquit, *referamus Armenios, quid Persas, quid Indiae,*

Anno Christi 372 monachorum in Aethiopia multitudo.

(1) D. Hieron., *Epist. 16 ad Principiam.*

quid Aethiopum populos, ipsamque iuxta Aegyptum fertilem monachorum? (1).

Anno 470 vel 480 maior illorum restagnatio.

3. Si tamen quis contendat, Aethiopiam, de qua sancto Hieronymo sermo erat, non superiorem hanc fuisse, sed inferiorem, Aegypto confinem, quae Nitriam et Thebaidem, uberrimas monachorum altrices, includebat, *pertinaciter non refragabor; sed addam; f. 36,v.
post centum annos, nempe quadrigentesimo septuagesimo, vel octogesimo, post Abrae et Azbae (sub quibus vixit Frumentius) et aliorum quinque, Azfâ, Ardêd, Anassi, Aradô, Aladobâ, vel Saladobâ, excessum, sub Amiamid, quem alii dicunt Alamid, alii Alamidâ, felicem in Aethiopiam inductam monachorum restagnationem quam annales Auximitani his verbis describunt: *Sub Amiamid plurimi ex Rum monachi advenere qui totum imperium oppleverunt. Novem illorum in Tigraeo regno substiterunt, quorum quilibet suo insignitum nomine coenobium erexit. Octonis vero indigenae antiqua nomina abstulerunt et nova ex aliquo eventu affixerunt, unius Pantaleonis vocabulo retento. Reliquorum hae sunt nomenclationes. Abbâ Arogavi, idest senex, quod eos aetate et dignitate anteiret; Abbâ Guarimâ; Abbâ Alefi; Abbâ Sahami* [sic] (*a*)*; Abbâ Afê* [sic] (*b*)*; Abbâ Licanos; Abbâ Adimata; Abbâ Oz, quem etiam Gubâ, hoc est tumidum dicebant; cum enim suam ecclesiam in praecelso montis dorso aedificasset, et in eo solus habitaret, arbitros tamen effugere non potuit; nam qui subtus praetergrediebantur, oculos sursum attollentes, quisnam esset monachus ille adeo tumidus rogabant: unde hoc illi agnomen haesit. Ingentia hi miracula edidere, quibus magnam Aethiopiae partem ad Christi fidem pertraxerunt. Inter ea illud maxime memorabile, cuiusdam serpentis, quem prope Auxumen multa pecora et homines insatiabili ingluvie vorantem suis precibus diruperunt.* Hactenus fasti Auxumenses, quibus in vita Abbatis Tecla Haymanot haec adduntur. *Pervenit ad coenobium Damô constructum ab Abbate Arogavi, uno ex novem Sanctis, qui sub Alamidâ, filio Saladobae et praedecessore Tacena, in Aethiopiam appulere. Hi novem sunt astra, quae totum orbem illuminarunt,* et plures eorum laudes subiunguntur.

Auxumitanorum annalium testimonium.

Testimonium ex vita Abbâ Tecla Haimanot.

Ex historia s. Elesbaan colligitur tempus adventus novem monachorum.

4. Sed quidquid sit de iis supputationibus, ex historia regis Caleb, Tacenae filii (quem nostri Elesbaan dicunt, et ad diem vigesimum septimum Octobris Sanctorum catalogo apponunt) indubitatum evadit, novem illos monachos inter septuagesimum vel octo-

(*a*) Legendum « Salamâ ». — (*b*) Legendum « Afcê ».

(1) D. Hieron., Epist. 7, et 17.

gesimum quinti seculi annum in Aethiopiam penetrasse. Nam anno quingentesimo vigesimo secundo, qui fuit quintus Iustini imperatoris,
f. 37. Rex ille piissimus, ipsius *et Asterii patriarchae Alexandrini hortatu, expeditionem adversus Hunan, iudaeum Homeritarum tyrannum et sanctorum martyrum Aretae et sociorum tercentum et quadraginta interfectorem, suscepit, consulto prius monacho, qui ante quadraginta et quinque annos in vicinam Auxumae turrim se intulerat, a quo totius belli eventum anticipato est edoctus, cuius nomen nostri annales silentio supprimunt, sed Aethiopici, et omnium in ea regione linguae, unanimi consensu, et traditionem Pantaleonem unum ex sanctis illis nomen monachis fuisse conspirant. Si igitur quadraginta et quinque annos a viginti duobus supra quingentos demas, quadringenti septuaginta septem remanebunt; et cum in turrim, non statim ab accessu in Aethiopiam, se colligere debuerit, sed prius linguae ac regionis moribus per aliquot annos assuescere, quadringentesimum et septuagesimum, plus minus, illorum adventui deputabis.

Unus illorum, Pantaleon, vivebat anno Christi 522.

5. Unde corruunt ventosae illorum fabricae, qui novem illos sub iisdem nominibus monachos nunc Augustinianis Eremitis, nunc Praedicatorum ordini assignant. Cum enim hic confirmatus fuerit ab Honorio III anno millesimo ducentesimo decimo sexto, haudquaquam poterant, qui septingentis quadraginta et sex annis ante vixerant, sub illius disciplina militare et eidem succenturiari Abbâ Tecla Haymanot, qui quintus ab Abbate Arogavi in ipsius vita sub his verbis describitur. *Abbâ Christôs Bezanâ habitum ab Abbate Arogavi suscepit; Abbâ Mascal Moa a Christôs Bezanâ; Abbâ Ioanni a Mascal Moa; Abbâ Iesus a Ioanni; Abbâ Tecla Haymanot habitum ab Abbâ Iesus; cucullum vero et Asquemâ a Ioanni.* Demus ergo Abatem Arogavi, qui iam senio confectus anno quadringentesimo septuagesimo in Aethiopiam irrupit, vixisse ad quingentesimum, vel ulterius ad tempora regis Elesbaan, ab eo ad Teclam Haymanot duae tantum restant vitae Abbatum Christôs Bezanâ et Mascal Moa, qui annum sexcentesimum vigesimum aspicere potuerunt; nam Abbâ Iesus et Ioanni cum eodem vitae communionem habuerunt. Nasci ergo debuit Tecla Haymanot prope illum annum. Quod confirmatur achilleo quodam ex ipsius vita ducto argumento, in qua traditur, ipsum, cum decimum quintum aetatis annum attigisset, ductum fuisse ad Kerilum Aethiopiae tum temporis Abunam, cum Beniamin praesul esset Alexandriae. Fuit autem Beniamin eutychiana haeresi re-

Novem illi monachi nec ex ordine Augustiniano, nec ex Praedicatorio esse potuerunt.

Series ab his monachis usque ad Tecla Haimanot.

Tecla Haimanot natus post annum 600.

coctus, ut prodit ipsius epistola *synodica in Haymaot Abbau aethiopico et nominatim inter alios damnatus in sexto concilio generali (1) in admirabili illa epistola divi Sophronii patriarchae Ierosolymitani, quae undecima illius actione circumfertur in qua haec verba repe- f. 37, v. riuntur: *Induantur autem cum eis, et amiciantur anathema et catathema Beniamin Alexandrinus, et Ioannes et Sergius Thomasque et Severus Syri, qui adhuc vivunt vitam execrabilem et crudeliter pietatem expugnant.* Vivebat igitur Beniamin, non illo quidem tempore, quo celebratum fuit illum concilium, anno Christi sexcentesimo octogesimo; sed quo inter mortales agebat divus Sophronius, quem eminentissimi Baronius et Bellarminus trigesimo eiusdem seculi anno, qui decimusquintus erat Teclae Haymanot reponunt. Videant ergo quo iure ad se pertinere possit patres Praedicatores illo tanto recentiores.

Beniamin Alexandrinus haereticus vivebat anno 630.

Augustiniani esse poterant illi monachi temporis ratione.

6. Si solius temporis ratio habenda esset, iustius novem illos monachos sibi vendicare possent Eremitae Augustiniani, quorum ordo, cum ipsi in Aethiopiam sunt ingressi, octogesimum iam a suis auspiciis annum agebat; sed multa obstant, ne ad se ab ipsis evocentur. In primis quod in libris aethiopicis ex Rum et Aegypto advecti dicantur. Et quamvis rude vulgus sono delusum Romam, quae Romea ab ipsis dicitur, Rum esse arbitretur, vere tamen est Thracia, quae a Latinis colonis et militibus, illuc a Costantino Magno cum imperio translatis, vocata est Romania, ab orientalibus vero Rum et Rumes ipsius habitatores, imo quotquot ex christiana religione post in turcicam superstitionem degenerarunt. Ex Rum igitur et Thracia sive Graecia et Aegypto novem illi heroes advenerunt, ut unius Pantaleonis nomen illaesum ostendit. Et quamquam ex Africa ad transmarinos a Vandalis exagitati, Eremitae Augustiniani transierunt in Hispaniam, Gallias et Italiam prius, postea in Germaniam et Britanniam exundarunt, quin sciamus ullam umquam in Orientem expeditionem ab ipsis tentatam. Nec opus erat tentare, cum ex eminentissimi Baronii auctoritate, Occidens monachos semper ab Oriente acceperit, numquam dederit.

Rum, non Roma est, sed Thracia.

In Orientem monachi ex Africa non exierunt.

7. Et partim falsum est, partim infirmum, quod refert eruditissimus vitae divi Augustini scriptor (2), Romae in templo Sancti Stephani Abassinorum testatum reperiri, paulo post tempora concilii Chalcedonensis novem monachos latis e corio zonis, et manicis

(1) 6ª *synod.*, act. 11. — (2) Fr. Ludovic. ab Angel. *Vitae s. August.*, lib. 4, cap. 20, fol. 109.

fluentibus ex Africa in Aethiopiam commigrasse. Annuimus enim, ut
f. 38 post viginti annos a Concilii Chal*cedonensis, quatercentesimo quinquagesimo primo initi, collectione in Aethiopiam concesserint, id tamen quod de zonis et manicis adiungitur, in Aethiopicis autographis, a quibus romani codices transumi debuerunt, non invenitur, nec si inveniretur, quidquam proficeret, cum Aegyptios monachos similibus zonis astrictos Cassianus et sanctus Dorotheus affirment (1). Cum vero Africae pars sit Aethiopia, ineptum est quod dicatur eos ex Africa venisse, non ita ex Graecia vel Aegypto.

Europaeorum monachorum nulla notitia in Aethiopia.

8. At dum essemus in Aethiopia, nullum non lapidem saepe movimus ut explorare possemus an umquam in eam aliqui monachi Europaei, et singillatim Augustiniani, vel Praedicatores, sint illati, nec ullum vel in picturis, vel in libris, aut hominum memoriis eorum vestigium deprehendimus. Quare quidquid Abassini circulatores apud nostros in rogantium gratiam de fumosis illarum duarum religionum caenobiis et ingenti ea colentium numero respondent, inter pulchras fabellas deputato, quas palpatio et venter ingenii ac linguae largitor, concinnat. Scimus praeterea tam sanctarum et doctarum religionum alumnos si Aethiopicorum monachorum imperitiam, licentiam, superbiam et intestinum in romanam fidem odium agnovissent, tam procul futuros ut illorum communionem affectarent, ut potius rubore afficerentur et in bilem commoverentur, si quis eos in ipsorum familiam obtruderet.

Non est cur europaeae religiones pro monachis Aethiopicis decertent.

S. Antonius, monasticae vitae auctor; Tecla Haimanot et Eustatheus propagatores.

9. Unum igitur Abassini monachi parentem magnum Abbatem Antonium agnoscunt, a quo dicunt, perfectae vitae normam Macarium, a Macario Pachomium, a Pachomio Abbatem Arogavi et caeteros deinceps quatuor ad Abbatem Tecla Haymanot, eximium monasticae disciplinae propagatorem, et Abbatem Eustatheum eiusdem propositi commilitonem expressisse. Hi deinde in duas acies sunt divisi, quarum illustrior et faecundior sub Teclae Haymanot et Ichegue, idest, Abbatis Generalis ipsius successoris signis, in celebri Xaoae caenobio, dicto Debra Libanos, hoc est Libani monasterium, merebat; et Gallis invalescentibus, Ichegue cum omnibus domesticis in Bagamedrei regnum est translatus. Altera tenuior sub Eustatheo; sed utraque tantae apud Abassinos auctoritatis ut satis sit aliquem ad tempus illarum cucullum induisse ut non solum Ecclesiis praeficiatur, sed in omnium summatum, et illustriorum faeminarum conclavia, et

Monachorum ingens auctoritas.

(1) Cass., *Lib. de instit. renunt.*, cap....; s. Doroth. doctr.

Imperatoris tribunalia admittatur. Duos enim ab ipsius *secretis et plures Azages, hoc est supremi concilii senatores, agnoscimus a cellis ad curiam, non raptos, sed transvolantes et sub uxorum et filiorum impedimentis abbatum adhuc nomen retinentes. Duplex ipsorum est genus: aliud solitariorum, quos dicunt Batavis, aliud sociale in coenobiis degens vel ab ipsis egressum. Hoc catholicae religioni, utpote magis condocefactum, facile manus dedit; sed illud, sua munitum inscitia et arrogantia, pertinacius mansit obduratum. f. 38.v.

Habitus nulli certus.

10. Nullus ipsis habitus aut color est firmus. Rigidioris disciplinae sectatores luteis vestibus et nonnumquam pelliceis, et strictiori cucullo obteguntur. Pluribus indiscretus est cum profanis vestitus, adeo ut ex eodem panno miles chlamydem et monachus tunicam partiantur. Omnibus in scapularis bullae speciem crux inest, mollioribus a cervice corii taeniis ad pectus, et aliis ab ea ad zonam diffluentibus, demissa; quam Asquemâ vocant, et monachi schema licet interpretari, eo enim schemate adepto, se rentur Macarios et Hilariones. Nullus apud eos votorum est nexus, et sicut nuptiae ita religio arbitraria. Quamdiu libet in caenobiis commorantur; cum inconstantiae vertigine, vel amoris aestro punguntur, foras se proruunt. Azagem Tino, Imperatoris secreta servantem, qui postea illustri morte in romanae fidei defensionem occubuit, et unus erat ex iis qui iuventam in coenobiis contriverat, rogavimus aliquando, numquam in ipsis votorum vincula vigerent? Ille vero: Vigent, inquit, quam tenacissima; et ut totus sale conditus erat, et salibus diffluebat, adiecit: Humi tamquam mortuus procumbit religionis candidatus eumque caenobii magister rogat, num velit paupertatem profiteri? Cui ille, velle se, verbis respondit; sed in corde dicit: Sic volo, ut tu optime praeceptor, qui id tantum non habes, quod te assequi posse diffidis. Rogat iterum, num velit castitati mancipari? Cui ille, eo se voto distringi asseverat, sed intus addit: Ad tuum nempe exemplum, qui vel plures discipulas ipse audis, vel ancillis ancillaris. Cum enim eas uxores dici pudeat, honestiori discipularum et ancillarum vocabulo turpitudinem praetexunt.

Nullus votorum nexus.

Curiam magis quam coenobia frequentant.

11. Diutius se in Imperatoris et proregum castris et ditiorum foeminarum tentoriis, quam in coenobiis exercent, et hodie miles est galeatus, qui heri monachus fuerat cucullatus. Iam in tumultibus adversus catholicam fidem concitandis, et in caedendis, lapidandis et suspendendis *illius sectatoribus, se neque exploratores, neque car- f. 39.

nifices denegant, sed exibent primipilos et antesignanos. Unius ieiunii custodes sunt integerrimi; illud quarta et sexta feria cum caeteris suis gentilibus ad nonam horam, in quadragesima ad solis occasum solvunt; sed in ea ita se patiuntur cibi parcitate attenuari, ut maiorem illius partem in sponda clinici decumbant, spectatoribus ad tantam vanitatem stulta quadam admiratione defixis.

CAPUT VIII.

Aethiopicorum Imperatorum a Menilech Salomonis filio ad nostra tempora catalogus.

1. Duplex est in Auximitanis annalibus, et Imperatorum fastis inter se aliquantulum dissidens catalogus et uterque in annorum numero cuiusque vitae attributo longe a veritate alienus. Cum enim a fine regni Salomonis ad Christum anni quatuordecim supra millenos cum semisse interfluxerint, vix dimidius ipsorum cursus in albo aethiopico reperitur; et similes post Christum temporum hiatus passim occurrunt; ob quos fieri non potest, ut nostri et illorum annales invicem ad plenum coaptentur. Unum igitur ex utroque catologum conflabimus, in quo quid illi duo inter se dissentiant, aut cum nostris historiis aliquando conveniant, adnotabimus. **Ex duplici Imperatorum catalogo unum conflabimus.**

2. I Menilech Salomonis filius, II Zagdur, III Zabaceô, IV Taváceâ, V Adonâ, VI Varecâ, VII Auceâ, VIII Maceô, IX Zavâ, X Baceô, XI Autet, XII Bahacâ, XIII Zavadâ, XIV Adenâ, XV Calêz, XVI Gotoleâ, XVII Zafeleâa, XVIII Elguebul, XIX Bavaul, XX Bavarêz, XXI Avenâ, XXII Mahacê, XXIII Malavê, XXIV Bacena, Augusto Cesari respondit, sub cuius octavo anno Christus Dominus in orbem est ingressus, XXV Zenfa Azguêd, XXVI Bahar Azguêd, XXVII Guerma **Imperatores a Menilech ad Christum**
f. 39,v. Cafer, XXVIII Guerma Az*ferê, XXIX Zaradô, XXX Cululaseon, XXXI Zaguaê, XXXII Zarai, XXXIII Zanâ Azqued, XXXIV Malaagnâ, XXXV Zaf Arad, XXXVI Agdêr, XXXVII–XXXVIII Abrâ et Azbâ **A Christi ortu ad episcopatum s. Frumentii.**

germani. Sub horum imperio post annum tercentesimum vigesimum septimum ingressus est in Aethiopiam divus Frumentius, primus illius episcopus, a divo Athanasio Alexandriae patriarcha consecratus. XXXIX-XL-XLI Azfâ, Azfed et Amei fratres, qui, ut concordissime regnarent, diem in tres partes divisere. XLII Arado, XLIII Aladobâ.

Monachorum ex Aegypto et Rum adventus.

3. XLIV Amiamid. Vivebat anno quatercentesimo septuagesimo cum plus minusve in Aethiopiam novem monachi ex Rum et Aegypto advecti, religiosam disciplinam importarunt. XLV Tacenâ, XLVI Calêb, a nostris dictus sanctus Elesbaan. Vivebat anno quingentesimo vigesimo primo, qui quintus fuit Iustini senioris. XLVII Gabrâ Mascâl, XLVIII Constantinos, XLIX Basgar, L Azfê, LI Ian Azguêd LII Frecanai, LIII Adoraaz, LIV Oaicar, LV Madai, LVI Calandên, LVII Gremâ Azferê, LVIII Cargaz, LIX Degna Michael, LX Badegaz, LXI Armâ, LXII Hesbinanhi, LXIII Degnaxân, LXIV Ambaça Omd.

Regnum ab Israele ad Zagueos transit.

4. LXV Del Noad. Vivebat anno nongentesimo sexagesimo, cum regnum ab Israelis domo translatum fuit in domum Zaguê, et in ea tercentum, et quadraginta annos permansit, nempe ad annum millesimum tercentesimum, quo vocatus est in regnum Iqhunu Amlac. Omnium pene Zagueorum Regum nomina oblivio tumulavit, quatuor tantum extant, quae extra Israeliticorum ordinem recensebimus. 1° Imrah regnavit annis 40; 2° Lalibela an. 40; 3° Nacuto an. 40; 4° Harbai an. 8. Ex Israeliticis ergo prope annum millesimum tercentesimum. LXVI Iqhunu Amlac, an. 15. LXVII Agbaseon an. 9. LXVIII Bahar Azguêd, LXIX Hezb Arad, LXX Cadma Azguêd. Tres superiores quinque annis imperarunt. LXXI Udem Arad an. 15, LXXII Amd Seon an. 30, LXXIII Zeif Arad. an. 28, LXXIV Udem Azferê an. 10, LXXV David *an. 33. LXXVI Theodoros menses 9, f. 40.
LXXVII Isaac, LXXVIII Andreas ipsius filius: ambo an. 9 regnarunt.

Zara Iacob vivebat tempore concilii Florentini.

5. LXXIX Hezbinah an. 4, LXXX Amd Iesus, LXXXI Badêl Inanh: ambo an. 1 et dimidium, LXXXII Zara Iacob an. 34. Vivebat tempore concilii Florentini ut constat ex epistola Eugenii IV ad ipsum, data an. 1447, cuius meminit rex Onag Seguedus, sive David, ad summum pontificem Clementem VII, LXXXIII Beda Mariam an. 10 et mens. 2, LXXXIV Escander an. 15 et mens. 6. Sub hoc Petrus Covillanius in Aethiopiam est illatus an. 1491, LXXXV Amd Seon 6 menses, LXXXVI Naod an. 13, mens. 9, LXXXVII Onag Seguedus, alio nomine Lebna Denguil, alio David an. 33. Regnare coepit an. 1507, obiit an. 1540.

Petrus Convillanius [*sic*] sub Escandro in Aethiopiam est ingressus.

6. LXXXVIII Asnaf Seguedus, alio nomine Claudius, an. 18; cuius tempore dux invictissimus Christophorus a Gama Aethiopiam a Mahometanis vindicatam fusi pro Christo sanguinis triumpho illustravit. LXXXIX Adamas Seguedus, alio nomine Minâs an. 4. Regnare coepit an. 1458, desiit an. 1563. Inde ad annum 1595 sceptro potitus est XC Malac Seguedus per an. 33. XCI Iacobus annos decem, sed minime continentes, septem ante Zadanguilem, tres post ipsius caedem. XCII Zadanguil an. 1, qui fuit 1603. XCIII Seltan Seguedus, Socinios, an. 28, licet aliqui tres inde deducant, quibus post Zadanguilis caedem regni fuit adversus Iacobum competitor. Iuxta quam supputationem regnum invasit anno 1607 reliquit anno 1632. XCIV Seltan Seguedus, Faciladâs seu Basilides, qui a decimo sexto septembris illius anni usque praesens tempus diram in catholicos persecutionem exercet.

Christophorus a Gama sub Claudio.

Seltan Seguêdus, Socinius.

CAPUT IX.

Faederis inter Lusitanos et Abassinos origo illiusque processus usque ad auspicia regni Seltan Seguêdi Socinios.

1. Faederalis inter Lusitanos et Abassinos necessitudinis causa fuit *ardens piissimorum Lusitaniae Regum in Deum charitas et inexhaustum illius fidei prorogandae studium et concertatio. Cum enim ex Marci Pauli veneti peregrinatione et monachorum ad Florentinam synodum confluentium relatione agnovissent, in Oriente christianum quemdam Regem, dictum Presbyterum Ioannem, latis provinciis imperitare, illius amicitiae et communionis affectandae desiderio incensi, eum qua terra, qua mari quaerere caeperunt. Maritimarum expeditionum incaeptor fuit princeps Henricus Christi ordinis magister, Ioannis I filius, mathematicarum artium et illibatae castitatis, solertissimae rerum coelestium et mundanarum indagatricis, gloria conspicuus; perfector felicissimus rex Emmanuel, cum, dimisso cum tribus navibus Argonautarum peritissimo et fortunatissimo Vasco a Gama, Orientem patefecit et illius gazas in Lusitaniam invexit. Terrestrium vero Ioannes II qui praeter alios exploratores, maio anni millesimi quatercentesimi octogesimi septimi, Petrum Convillanium et Alphonsum a Paiva arabicae linguae per quam callentes Memphim cum mandatis expedivit, ne inde, Presbytero Ioanne inexplorato, redirent.

f. 40,v.

Propagandae fidei studium Lusitanos cum Abassinis coniunxit.

Mari eos princeps Henricus et rex Emmanuel quaesierunt.

Terra Ioannes rex II missis exploratoribus.

2. Rhodum prius, Christianis adhuc equitibus parentem, deinde Alexandriam, Memphim, Torum in arabico maris Erithraei littore, Suaquenum in aethiopico (quin nossent ubi essent) et tandem Adenum in Arabia felice, ultra freti fauces tenuerunt. Ubi cum audiissent christianum in Aethiopiam Regem dominari, nec tamen crederent illum esse posse, ad quem investigandum mitterentur, cum hic in Africa, ille in India regnare diceretur, inter eos convenit, ut alter in Aethiopiam, alter in Indiam digrederetur, et Memphi, suis peregrinationibus exactis, tandem coirent. Zeilam Paiva; inde in Aethiopiam perrexit, et iis, quae exoptaverat, perspectis et in commentaria digestis Memphim Covillanio citius pervenit et supremum in ea diem brevi clausit. Covillanium Calecutio, Canonore et Goa in India inde Sofala in Aethiopia exte*riori perlustratis, Adenum et Memphim regressum cum suis et Paivae commentariis ad Ioannem redire cogitantem, nova ipsius mandata retardarunt, quibus districte monebatur, ne quid intentatum omitteret, quominus occultos Presbyteri Ioannis natales indagaret.

Paiva Aethiopiam tenuit et rediens Memphi obiit.

Covillanius ex India rediens Paivae commentaria et Ioannis II mandata Memphi reperit.

f. 41.

3. Tot igitur navigationibus fesso parendum fuit, et Adenum et postea Armuziam ad Sinum Persicum transeundum ut, praeter eam quam Paiva hauserat, aliquam exoptati adeo Regis in tam celebri emporio notitiam aucuparetur; sed cum nullam esset nactus, Adenum et mox Zeilam vela convertit, et eodem quo prius Paiva, itinere in Aethiopiam perrupit anno 1491, quo in ea rerum potiebatur Scander, sive Alexander, Bedae Mariam et Helenae, insignis per illa tempora heroinae, filius et Zerae Iacob nepos. Qui tanti fecit Covillanii legationem et industriam, ut ea pellectus, ipsi discedendi facultatem, sicut et Naod ipsius frater et successor et David istius filius denegarit, et ibi acceptis a Rege fundis, et uxore ducta, compulsus sit permanere.

Redit in Orientem.

Aethiopiam tenet et in ea detinetur.

4. Sed cum India post octo annos mari a Lusitanis patefacta ingentes ipsorum victoriae in Aethiopiam penetrassent, earum fama et Covillanii sermonibus excitata Helena, quae regnum, nepotis Davidis impuberis nomine, administrabat, anno 1509 armenium institorem, cui Mattheo nomem, cum litteris ad Emmanuelem, Lusitaniae tunc regem, destinavit. Qui Mahometanorum insidiis circumventus, vix in Indiam, prorege magno Alphonso Albuquercio, anno 1513, et sequenti in Lusitaniam pervenit. Emmanuelem ea legatio mira voluptate perfudit, nec minoribus pietatis documentis palam editis nobilitavit, cum missam a rege Davide ex vivifico ligno, cui Chri-

India mari a Lusitanis patefacta Helena legationem mittit ad regem Emmanuelem.

Helenae legatus Lusitaniam tenuit anno 1514.

stus affixus est, crucem aurea theca inclusam, in genua procumbens, et lacrymis suffusus reverenter est osculatus, et alii ad firmandam cum Davide societatem anno 1515 adornatae, Lupo Soario praetore, Eduardum Galvanum similium negotiorum admodum experientem et eodem munere perfunctum apud Caesarem Maximilianum, Galliae regem et Alexandrum *VI summum pontificem, praefecit et cum Mattheo remisit.

Galvanum in Aethiopiam mittit rex Emmanuel.

f. 41,v.

5. Galvano tandem, cum septuagenario maior esset, vita in Camarano insula exuto, et classe aliis adversitatibus conflictata, in annum illius seculi vigesimum delata est legatio, et Roderico Limio commissa, qui in Aethiopiam cum Mattheo et ingenti comitatu invectus in ea per totos sex annos est demoratus; tum quod David cunctanter (quod innatum est genti vitium) negotia expedierit, tum quod Mazuam post quatuor annos attingens Limius et certior redditus Emmanuelem, terreno Ioanni tertio filio relicto, ad coeleste regnum convolasse, duos alios ad novas ad illum epistolas a Davide accipiendas coactus sit opperiri; et tum demum Zagazabo, qui Davidis legatum apud Ioannem, et Romanum Pontificem ageret, socio accepto, anno 1526 in Indiam, et sequenti in Lusitaniam velificavit. Ex qua Zagazabus in Italiam tendens ad summi pontificis Clementis VII pedes Bononiae se abiecit, cum ianuario anni 1533 corona Carolum V imperatorem exornavit.

Limius Galvano mortuo suffectus, post sex annos ex Aethiopia redit.

6. Limio vix digresso, atrox in Aethiopiam tempestas irruit: Mahametes Zeilae atque Adelis Regis praefectus, ob laevae dexteritatem Gragna, idest, sinister, vulgo cognominatus, qui totam fulminis ocior alis pervolavit; non solum iis, qui obsisterent, immaniter interfectis, sed templis omnibus combustis vineisque funditus excisis, ut, vino ad sacrum mysterium deficiente, fides etiam christiana radicitus extirparetur. In has se angustias coactum David rex conspicatus, ardentius de ambienda Lusitanici societate et implorando auxilio agitavit, spondens, si in tantis difficultatibus sibi praesto esset, se cum toto suo imperio Romanae Ecclesiae obedientiam perseveranter amplexaturum. In eam vero legationem, antequam Zagazabus ex Lusitania rediret, unum ex Limii sociis apud se degentem, Ioannem Bermudium, Asnaf Seguedi, sive Claudii filii sui ex sacro fonte susceptorem, delegit, eoque internuntio, socialem cum Ioanne tesseram, et pactum prius a Zagazabo Romano Pontifici obsequium renovavit, eumdem deprecatus, *ut consensu Abunae sui Marci alexandrini qui anno 1535 ex vivis discedens, et romanam fidem om-

Paulo post Gragna Aethiopiam invadit.

David Ioannem Bermudium legatum ad Ioannem III auxilia petitum dimittit.

f. 42.

nino veram confessus, aliquem ipsius sectatorem sibi subrogandum censuit, ipsummet oratorem Bermudium sibi remitteret patriarchalibus infulis cohonestatum. Romam ille viam, Ierosolyma prius invisa, pedestrem arripuit, unde a Paulo III summo pontifice Patriarchae insignibus auctoratus in Lusitaniam anno 1539 ad regem Ioannem III se coniecit, a quo ad votorum mensuram expeditus Zagazabo secum assumpto, anno 1540 cum Petro Lupio a Sosa classis praefecto in Indiam navigavit; et anno 1541 ab Indiae praetore Stephano a Gama, Vasci primi illius Orientalium regionum repertoris filio, viginti septuaginta duarum navium classe Mazuam delatus, accepta Davidis morte, in terram cum Christophoro a Gama praetoris fratre, et quadrigentis Lusitanis auxiliariis expositus salutem Claudio Davidis filio, et Aethiopiae a Gagna propemodum devoratae, apportavit.

Bermudius a Paulo III Aethiopiae patriarcha consecratur.

7. Is enim cum quindecim mille peditibus mille et quingentis equitibus et Turcis fistulatoribus ducentis, Christophoro occurrit Ille cum tercentis et quinquaginta (reliqui enim retro lentius impedimenta convehebant) certamen non detrectavit. Quibus Deus ita secundus adfuit, ut, undecim tantum ex eorum numero desideratis, plurimi Mahometani, et inter eos, triginta Turcae fuerint interempti; et Gragna, tibia plumbea glande perforata, ex equo deturbatus. Quo eventu ipse et omnes ipsius copiae se in fugam coniecerunt. Iis tamen cito refectis, et aliiis denuo accitis et in iis duce quodam mahometano Gradamar cum tercentum equitibus et ter millenum peditatu, post diem decimum tertium nostros ad certamen provocavit. Quibus ita secundo favens Deus adstitit, ut infinitus adversariorum caesus sit numerus, Gradamar trucidatus, Gragnae tentoria evulsa et castra penitus expilata. Hac clade Gragna fractus, se ad hyemandum in avios montes recipit, unde Arabiae dynastas admonuit, actum esse de Mahometis, gentilis sui, secta a Lusitanis ubique atrociter infestata, nisi quam potuerint, *maxima ad se auxilia maturent. Turcicum etiam praefectum, qui maris Rubri fretum cum tribus fistulatorum millibus circum sedebat, pollicitationibus tentavit, se omnes illas regiones sub Solymani, qui tunc Costantinopoli tyrannidem exercebat, auspiciis debellaturum. f. 42,v.

Gragnam Christophorus a Gama primo praelio fundit.

Secundo eundem superat.

Gragna per hyemem Turcas arabicos sibi adiungit.

8. Hyemem illam nec frigidam nec otiosam Christophorus transegit, sed in Mahometanis pulsandis et contundendis satis calentem ac ferventem. Illos enim a triplici rupis celsissimae Ambasanet (ad cuius radices aliquando substitimus) custodia propulsavit. Deinde a

Iudaeos in Semen montibus degentes Gama prosternit.

Iudaeorum montibus Semen dictis ad Occidentem constitutis, ubi praesidiarios quatuor millenos et tercentos equites, Lusitanis non amplius centum, profligavit. Et cum septuaginta tantum redeuntem (nam triginta plurium equorum praedam tardius agebant) Gragna, ne temporis et occasionis iacturam faceret, castris in aciem dispositis, et auxiliaribus Arabum copiis, ac Turcis novies centum, qui decem tormenta aenea curulia, et plura alia minora advexerant, est praestolatus, et, antequam tantillum quiesceret, insectatus Ille, quos tempus permittebat, aggeres circumducens, tercentum et quadraginta Lusitanos ordinavit (caeteri enim vel aberant, vel obierant), quin ullus Abassinorum bellator esse vellet, sed omnes spectatores, nec quemquam aut Lusitanorum ardor in proelium, aut reginae Sabla Onguel, virili semper constantia instantis, praesentia in ruborem permoveret. Gragna multis Mahometanorum tam peditum, quam equitum millibus, et Turcis libratoribus ultra millenos stipatus, die vigesima octava augusti anni 1542, nostros audacter lacessivit; quem ipsi totam diem fortiter obsistentes et insequentes obtriverunt. Sed cum octo tantum equos numerarent, longius progredi nequibant, et semper in receptu aliqui ab infinita multitudine oppressi conficiebantur; donec eo lassitudinis deventum, ut caedendo, et vincendo defessi, gradum addere vix possent; et martii Christophori tibia, et dextrum brachium ad vesperam duabus ferreis glandibus pertunderetur. Id Mahometanis locum *dedit ferociter in munitiones assultandi; quod ille perpendens animosior in eos irruit, instantesque fugavit. Regina tamen et Lusitani illius vulnera et solitudinem contemplati, eumdem cohibentes suaserunt, ut in tutum locum se colligeret: illius enim vita quodvis damnum resarciri posse, interitu omnia dissipari.

Redeuntem festinato Gragna aggreditur.

340 Lusitani ab infinita Mahometanorum multitudine premuntur.

f. 43.

9. Reginae dictis obtemperantem eamque consociantem rumor sparsus revocavit; nempe Crucis vexillum et acu phrigia in eo delineatam Christi effigiem a triumphantibus Mahometanis iactanter ventilari. Illico enim extulit, haudquaquam se passurum ut saltatriculae et tympanistriae lusitanae suis in choris cantitarent, Gamam vitae compotem Regis sui vexillum et Christi effigiem in Mahometanorum potestate impie atque turpiter reliquisse. Retrorsum igitur vestigia convertens, et ad Gragnae castra reversus, signiferum vexillo spoliavit, et Christi imaginem, ne Mahometanorum illusionibus pateret, commanducatam, quasi epulum eucharisticum et optimum ad subeundam mortem obsonium, suis visceribus occlusit. Vinctnm et Gra-

Gama, ad vendicandum crucis vexillum, se in medios hostes immittit.

Gloriosa Gamae caedes.

gnae oblatum, ipse ad suum et pseudovatis obsequium inflectere tentavit, sed cum ille constanter utramque machinationem elusisset, picata et incensa prius barba, cervicem in Christianae fidei defensionem intrepidus extendit.

Bellum Gragna in Dambaeam transportat: insequuntur Lusitani.

10. Tantam immanitatem impunitam Gragna non abstulit; credens enim unicam Christophori vitam totum esse obicem, quo ab Aethiopiae possessione disterminaretur, bellum in Dambaeae regnum cum infinita suorum militum colluvie transportavit, ipsum a tergo insequentibus centum et triginta Lusitanis superstitibus, qui se Claudio montana obsidenti, et octo millia peditum, et quingentos tantum equites censenti, adiunxerunt. Coram quibus, et patriarcha Bermudio Claudius Lusitanis, si Gragnam caederent, tertiam regni sui partem spopondit et exolvendae Romano Pontifici cum toto suo imperio obedientiae pactionem renovavit. Ob quam pollicitationem Deus illi incruentam, et citra ullum suorum sudorem vel pulverem, victoriam

Gragnam duci suo inferias referunt Lusitani.

concessit. Gragnam enim pantherae exuviis maculosum ex irrigua et uberi Darasguê planitie (quam saepe fuimus praetervecti) inter devexas *duorum montium declivitates festinantem, ad Claudium ex f. 43,v.
iis ad planiora evocandum, ex supino modice colle dignoscens Petrus Leo Christophori cubicularius: Eques, ait, ille pantherinus, meum est ferculum. Et ferrea fistula in oculos sublata, eaque egregie librata, singultantem et suo perfusum sanguine ex equo deiecit, sexta die februarii anni 1543, cum ille totos quatuordecim Aethiopiae licenter insultasset, illamque penitus mahometanae sectae subiugasset.

Huius victoriae trophaeum nunc cernitur in oleastro.

In regia ex superioribus Dambaeae iugis in Goiamam via (quam frequenter sumus emensi, quod a regiis castris recta in nostram domum duceret) in altiori duum illorum montium devexitate, quae Gragnaber idest Gragnae transitus dicitur, annosa in coelum trophaei instar tenditur olea, in quam post Gragnam deiectum dicuntur Lusitani festiva contentione fartas sulphureo pulvere et ferreis glandibus fistulas exonerasse. Quod hodieque testantur rotundi toto circum trunco sparsi, et ramis vetustioribus, hiatus. Ubi pyramidem in aeternum tanti facinoris monumentum nobis attollere meditantibus conglobatae temporum calamitates obstiterunt.

Claudius Patriarcham in exilium, Lusitanos in praefecturas callide dispergit.

11. Ut nuncupandorum votorum tempestas sunt res adversae, ita prosperae solvendorum, non tamen imperatori Claudio, qui ubi se Gragnae metu solutum vidit, Patriarchae et Lusitanorum aspectu suam perfidiam accusante, se curavit expediri, illo, ne Abunae alexandrino, quem mox iussit acciri, occursu gravis esset, e regia in

regionem inhospitalem dimoto; his, in honoris et magistratuum obeundorum speciem, in diversas provincias disseminatis, cum eum dispersum callide in communem perniciem suaderent ipsius consiliarii, quos Lusitanorum robur et claritas praestringebat. Unde ortum ut, recuperatis postea viribus, Adelenses, suis ipsum propugnatoribus nudatum offendentes, facillime trucidaverint. Tanto enim loliginis succo mentem aliquando invidia obducit, ut praesenti tantum fuco intenta, penitus ad damna graviora praecavenda caecutiat. Harum rerum, et neglectus Patriarchae, frugi quidem viri, sed amplius militaribus quam ecclesiasticis artibus expoliti, a Petro monacho abassino admonitus summus pontifex Iulius III, cum Ioanne rege,
f. 44. a Lusitanis *in Aethiopia commorantibus itidem instructo, egit de Patriarcha alio mittendo, qui eo ornatus esset virtutum ac litterarum commeatu, ut spes esset Claudii et abassinae gentis in Scripturae et synodorum doctrina diligenter versatae, ad catholicam religionem pertrahendae. Ut vero triplex funiculus firmior esset, tres in eam provinciam e Societate Iesu delecti: Ioannes Nonius Barretus portuensis, sanguine, litteris, virtutibus et Patriarchae titulo praesignis, Melchior Carnerius conimbricensis, episcopus Nicaenus, et Andreas Ovietus toletanus, episcopus Hierapolitanus: ambo Patriarchae coadiutores et illius nominationis ordine successores.

De Patriarcha alio mittendo in Lusitania deliberatur.

Patriarcha et duo coadiutores eliguntur.

12. Qui dum in Lusitania parantur, visum fuit ex India sagacem aliquem exploratorem, Claudii animum pertentaturum, praemittere. Is fuit Gondisalus Roterigius ex Societate Iesu, comite assumpto Fulgentio Frerio, qui Claudium in extremis imperii ad austrum finibus, a romanae fidei complexu per quam abhorrentem invenit, et sequenti anno, qui fuit 1556, in Indiam, addito Bermudio, reversus, Patriarchae et episcopis recens ex Lusitania appulsis, suae legationis rationem exposuit. Commodum igitur visum est Indico proregi et ipsius consiliariis, Patriarcham Goae subsistere, ne tanta dignitas contemptim in Aethiopia detereretur; unum vero ex episcopis periculorum aleae obiectari. Anno igitur insequenti in eam profectus est episcopus Ovietus cum sociis quinque, omni virtutum et doctrinae ornamento condecoratis. Sed maiorem Deum patientia demerendi, quam Claudium, aut Abassinos ad veritatem praedicatione flectendi, segetem repererunt. Claudius enim saepius ab episcopo quaesitus, et catholicae doctrinae ferculis invitatus, semper se adeo pervicacem et refractarium exhibuit, ut illum iste cum omnibus ipsius gregalibus anathemati publice subiecerit, et post duos

Pater Gondisalus Roterigius in Aethiopiam praemittitur.

Episcopus Ovietus in eam cum quinque sociis contendit.

Claudius ab episcopo excommunicatur, et a Nur adelensi vincitur.

annos Nur adelensis plurimis in bello vulneribus confecerit, sero fatentem ex imprudenti Lusitanorum a lividis curata dispersione totam suam cladem prodiisse. Cuius victoriae triumphum Nur Adelem regressus, asino insidens celebravit, se tanto Regi, quem solus Deus prosternere posset, superando imparem professus. Illum vero meritae suorum scelerum dirae, et obfirmata in romanam fidem et *assertores f. 44.v. suos Lusitanos perfidia, ignobili Mahometano, quin et Gallis proculcandum obiecit. Ipsius enim aetate, ut verum evaderet Bermudii vaticinium, qui discedens in Indiam dicebat, videre se in Aethiopicae duritiae ultionem, atras quasdam formicas in Abassiam ingruentes eamque dentibus arrodentes, nempe Gallas, qui ex Orientali ad Indicum mare, Africa egressi, in eam, multis provinciis devastatis exundarunt.

Claudii tempore Gallae Aethiopiam arrodunt.

13. Claudii, liberorum solatio destituti, successor fuit ipsius frater Adamâs Seguêdus, adamantina semper indole in Lusitanos, Ovietum patriarcham (ipsius enim tempore obiit in India Ioannes Nonnius Barretus) et omnes, qui in illius doctrinam bene animati essent, ob efferatam inter Turcas educationem. Qui in tantam saevitiem exarsit, ut gladium in Patriarcham distrinxerit, eumque cum socio in abruptum sepositumque montem relegaverit. Quare Deus ipsius patrueles Habetôn Tascarôn, et minorem ipsius fratrem, ac Turcas a prorege Tigraeo Isaaco invitatos, a quibus tandem subactus est, in eumdem concitavit; extinctique regnum anno 1563 suscepit ipsius filius Sarsa Denguil, alio nomine Malac Seguêdus, qui parentis in Lusitanos duritiem agnoscens, et aliquod ab iis, qui in India degerent, supplicium extimescens, semper in eos se clementem praestitit, frequenter eosdem communionis in fide promissis, ad accersendum ab illa auxilium prolectans. Sed magna pars ipsius dominatus inquies fuit, Robûs Hamet Adelensis, Turcarum praefecti, Isacci et aliorum turbamentis, et felicissima patriarchae Ovieti anno 1577, et Francisci Lopezii, ultimi ipsius sociorum, anno 1596, morte infelix.

Adamas Seguêdus Claudii successor adamantino fuit ingenio in Patriarcham et Lusitanos.

Mitior fuit ipsius filius Malac Seguedus.

Anno 1577 obiit Patriarcha.

14. Plangentibus Fremonae ad Francisci in nudo corio decumbentis excessum Lusitanis, quod, patre Abrahamo de Georgiis maronita, superiori anno a Turcis Mazuae ob fidei defensionem interempto, et patribus Petro Paesio et Antonio a Monte Serrato ab Arabibus interceptis et ad Turcas trasmissis et septenni exilio maceratis, ipsi sine catholico sacerdote soli relinquerentur, praesago corde vaticinatus est Lopezius, annum haud transiturum, quin ad eos solandos catholicus sacerdos accederet, et alii subinde in mortuo-

rum supplementum mitterentur. Dictorum veritatem exitus comprobavit. Nam anno 1597 pater Melchior Silvius ex claro Bra-
f. 45. chmanum indicorum gene*re ab Alexio Menesio Indiae primate, in Aethiopiam dimissus, integre ecclesiam illam administravit ad annum 1602, quo illuc est delatus pater Petrus Paezius toletanus a Turcarum servitute vendicatus, nec tamen a priori sententia deiectus et post duos annos pater Ludovicus Azebedius lusitanus, aquiflaviensis, et Franciscus Antonius ab Angelis neapolitanus, et sequenti pater Antonius Fernandius ulyssipponensis, et Laurentius tam cognomine quam patria, et animi celsitate romanus. Quies inde fuit delegandorum patrum ad annum millesimum sexcentesimum decimum octavum, quo missi sunt pater Didacus a Matos (quem dicemus Matensem) conimbricensis et Antonius Bruni siculus. Anno 1622 pater Emmanuel Lameira lusitanus ab Stremotio, Thomas Barretus eborensis, et Hyacinthus Francisci florentinus. Anno 1623 pater Emmanuel Almeida visensis ad imperatorem Seltan Seguedum reverendi patris Mutii Vitelleschi Societatis Iesu praepositi generalis legatus et Sociorum visitator, Emmanuel Barradius a Monte forti, Ludovicus Carderia pacensis, et Gaspar Paesius a Covillanio.

Varii patres ex India mittuntur sub Iacobo.

Alii subinde sub Seltan Seguedo.

15. Malac Seguedi anno 1596 extincti regnum notho ipsius filio Iacobo ab iis delatum, qui totam fere auctoritatem et emolumenta sibi arrogantes, eidem nudum imperii nomen reliquerunt; cumque ipsum, crepundia negligentem et nuces omittentem, suis conatibus sensim obsistere conspicerent, regno exutum in Naraeam amandarunt, eidem substituto Zadenguil, nato ex Lessena Christôs, Adamas Seguedi germano, maturi consilii et immotae constantiae adolescente, qui patrem Petrum Paessium, recens ex India devectum, benigne, et honorifice excepit, vel ipsa, qua sedebat, cathedra ipsi in suggestum ad concionem oblata; eoque praeducente Romano Pontifici per litteras praestandi obsequii fidem oppigneravit. Illi tamen, quibus sub Iacobi infantia dulce fuerat alieni imperii venenum, regiam Zadenguilis indolem et virilia cogitata experti, subitariis ipsum copiis in hyeme oppresserunt, non tamen oris decus et coloris florem abstulerunt. Nam per multos dies illius corpus in agro vernanti, facie et
f. 45,v. caesarie *composita permansit, eamdemque servans gratiam, in maris Dambaeae insulam est illatum ut illa fides, quam animo conceperat, corpori vitales succos sufficere putaretur. Iacobum illico perduelles ex Naraea evocarunt; sed cum tarda ipsum molimina et viae diffi-

Regnum summates Iacobo puero, deinde Zadenguili detulerunt.

Zadenguil romanae fidei summe affectus.

Illum iidem turbatores sustulerunt et Iacobum subrogare statuerunt.

Socinios iidem regnum obtulerunt.

cultates morarentur, Socinios, David imperatoris pronepotem ex patre Faciladas sive Basilide et avo Iacobo, ob denegata sibi paterna praedia res iam tunc novantem et rapinis inhiantem, sceptri et coronae obiectu inescarunt. Quem ille hamum sic aestuose devoravit, ut Iacobo ex Naraea redeunti cedere numquam in animum induxerit, sed illi per tres annos, se obfirmate opponens, septimo tandem huius seculi, aetatis vero trigesimo tertio, sexto idus martias in Goiamae campo Agamna una cum Abuna Marco Turcae habitum induto et regno et vita spoliaverit, Malac Seguêdi in prima inauguratione, postea Seltan Seguêdi nomine assumpto; satis quidem inter omnium gentium principes generositate, prudentia et rerum gestarum magnitudine glorioso, si egregie coeptorum claritatem constans perseverantiae corona exornasset.

1607. Socinios in sua inauguratione dictus Seltan Seguêdus.

CAPUT X.

Romanae fidei sub Seltan Seguedo auspicia.

1. Celebrata per triduum in certaminis loco victoria, et spoliis in laboris et periculorum socios dispertitis, ibique caeso Mahardin mahometanae propaginis, qui hastam in praelio patruelis sui Zadenguilis sanguine cruentaverat, in stativa Malac Seguedi in Dambaea ad Cogam castra gradum fecit Imperator; ubi non multo post extinctae Mariam Sinâ eiusdem uxori, quam parentis affectu colebat, miro sensu parentavit. Aberant unius diei itinere patres Antonius Fernandius et Laurentius Romanus, qui se ad eum salutandum, data occasione, coniecerunt. Ipsis vero ille, quam benigne et familialiter acceptis, quinque boves adipales ad prandium iussit exhiberi et aeconomum sua inter fercula rogavit num vino eosdem instruxisset, et cum is negasset, eum, inquit, illis prolaturus eras, satius enim
f. 46. est aqua me sitim restinguere quam tantos viros *domi meae abstemios frigescere: illos ergo meis amphoris participato. Eosdem postea commonuit, ut perspicerent, quis locus eorum habitationi commodus videretur, et cum Gorgorrae situs ab eisdem probaretur, eamdem ipsis paulo post in stationem, castrensibus iudicibus, de more gentis, fundos lustrantibus et tubis pertrepentibus caesisque capris et earum capitibus, quasi limitibus, sub terra tumulatis, assignavit.

Imperator ad Dambaeae castra se colligit.

Duo patres benigne ab eo excipiuntur.

Cum p. Petro Paezio agit de epistolis ad Rom. Pontificem et Lusitaniae Regem.

2. Significavit etiam, sibi gratum fore, si pater Paezius, quem audierat Zadenguili fuisse summe gratiosum, in Tigraeo regno degens, ad se festinato acciretur, eumque ipse prius transmisso tabellario, vocavit. Appulsum vero, eodem, quo ipse prandebat, caenaculo, velo tantum interposito, iussit epulari. Remotis mensis, eum coegit, qua ratione fieri posset, ut Lusitani milites ad se, ut olim sub Asnaf Seguedo, accederent; illud enim unicum esse praesidium ut res abassinae firmitatem nanciscerentur. Respondit pater, aliud se medium haudquaquam conspicari, quam si ipse romanae fidei complexum et Ecclesiae obsequium sponderet: id enim totum esse pretium, quo catholicus Lusitaniae Rex ad eos sumptus faciendos pertraheretur, et Romanus Pontifex ad subiicienda ipsi suarum hortationum calcaria permoveretur. Nihil Imperator detrectavit; exaratae illico sunt ad Romanam Pontificem, Lusitaniae Regem et indicum praetorem epistolae; aliae post sex annos et ultimae post quinque, Iulio atque Abuna Simone in perfidioso contra romanam veritatem bello interremptis; cum semper ipsi tam a Rege quam a Pontifice perhumane et ad preces opportune rescriberetur. Et pater Paezius in regnum Tigraeum, litteras ut in Indiam dirigeret, est dimissus.

Inter fratres dividit praefecturas.

3. Post haec divina, se ad regni curas Imperator convertit. Quatuor illi fuere fratres ex eadem matre Ite Amelmal, idest, pallore seu viriditate auri, ex clarissima Ximêlium Amaraeorum familia, diversis patribus. Nam Emana Christôs, Afa Christôs, et Melca Christôs (qui iam e vivis excesserat, relicto filio Sarsa Christôs, cruenta postea morte sublato) patrem habuere Azagem Sarsa Christôs; iunior Selâ Christôs, idest, imago Christi, vigesimum quartum tunc annum agens, Musaeum, Damotensium ditissimum et nobilissimum. Is ille est *Selâ Christôs, qui ingenii perspicacia, studii conten- f. 46.v

Selâ Christôs laudes.

tione, fortitudine, rerum agendarum solertia, liberalitate, insigni in romanam fidem religione et in illius propagationem ardore, secundarum, post Imperatorem, partium actor fuit; sed constantia in ea defendenda usque ad principatus, fortunarum, uxoris iacturam, et exilii iam per annum decimum octavum perpessione, omnium facile princeps. Cuius frontem cum sacro chrismate perunximus, ipsi propter spectatam ad omnia magna indolem, in magni Antistitis memoriam, Leonis nomen adaptavimus. In eos igitur praefecturas dividere voluit Imperator. Amarae Emana Christôs, Bagamediri Selâ Christôs, Goiamae curam Iulio genero, viro prudenti aeque ac robusto, delegans;

servata interim Athanataeo et Cafluadio, Malac Seguedi generis, illi Ras dignitate, huic Tigraeae ditionis praerogativa.

Selâ Christôs in Bagamediro Gallas astu superat.

4. Primis duobus Seltan Seguedi annis sexdecim, vel octodecim (ut ferax est talium proventuum Aethiopia) adversus eumdem tyranni conspirarunt, sed omnium vincendorum sumptum est auspicium in Bagamediro, ubi quidam Gallis admistus novum proregem Selâ Christôs vix dum advectum noctu conatus est adoriri. Cuius consilii ipse conscius et timoris quo ad Gallarum occursum Abassini constringuntur, unum ex suis subornavit, ut excubitorum praefectos clam moneret, velle proregem sequenti nocte ipsorum vigilantiam et constantiam experiri, et multos ex suis submissurum, qui se Gallas et vociferationibus et inconditis saltibus simularent; oportere ipsos similibus clamoribus obstrepere, et gestibus subsultare atque obsistere; nam proregem mox adfuturum. Illi ergo insomniae dediti fictum suorum adventum praestolantur, cum nocte concubia Gallae irruunt, solitis ululatibus et gesticulationibus ferocientes, quibus praemoniti ac praemuniti milites martio se robore opponunt, et prorege in tempore accurrente, in effusam fugam compellunt, et ingenti strage prosternunt. Castrensium animos ea victoria, et quia prima et quia ex ducis astu gratior, mirifice exhilaravit, et multo amplius, cum is oblatum sibi a Gallis tyranni caput, tantae sibi cladis causam, ad eos transmisit. Inter Tigraeos Cafluadio ad curiam digresso, et

Monacus regni affectu capitur.

f. 47. res curante *ipsius fratre, monachus quidam cucullum corona voluit commutare et cum ingentem inconditae multitudinis numerum conflasset, eumque Fremonae praeda lactare vellet, pridie quam ad illam accederet, Tembenensis praefectus regiae stirpis, quasi ipsius partes secuturus se iidem adiunxit et cum sui incuriosum dispexit, suis annuit, ut vincula innecterent, ad quorum conspectum ipsius manipulares, utpote gregarii, salutem sibi fuga quaesierunt, ipseque ad curiam delatus, truncatis ibi naribus est dehonestatus.

Selâ Christôs ad Tigraeos mittitur cum ficto Iacobo certaturus, 1608.

5. Cum Tigraei natura sint factiosi et saltuosa regio fovendis ipsorum latrociniis et seditionibus opportuna, visum est Imperatori, Bagamediro fratri Afa Christôs demandato, Selâ Christôs industriam et fortunam in eos, appetente anni 1608 hyeme transportare, ubi audax et astutus adolescens Iacobum praecedenti anno in proelio caesum se confingens, oris parte velata, quod dentes in eo sibi contusos diceret, vere tamen ne a noscentibus Iacobum nosceretur, montes Byzan, inter Debaroam et mare Rubrum, sibi perfugium delegit; unde, cum libebat, ad inferiora descendens, confestim in suum

se nidum saxis affixum colligebat, et aliquando auctior quam advenerat, auro a mercatoribus extorto et in laminas conflato, et galero iis exornato, quae prisca fuit Regum abassinorum corona. Bis Selâ Christôs cum suis copiis ad eumdem se contulit, et in planis superatum, ad altiora profugientem, et in iis saepius conquisitum comprehendere non potuit. Quocirca Imperatorem admonuit, Tigraeorum animos haudquaquam tranquillandos, nisi ipse ad eos, coronam in Auxumitano templo sumpturus accederet, et tunc facile tyrannum illum subigendum. Parabat se ad eam expeditionem Imperator, sed coactus est Bagamediro a Gallis occupato opem ferre, a quibus primum superatus, eosdem postea memorabili victoria superavit. Tunc proregi et cum perduellibus, et cum sinistris de Imperatore nuntiis certandum fuit, quorum repetitione audacior redditus tyrannus, Fremonam depraedari constituit, quam cum iam esset proxime, paululum ad diripienda Proregis militum tentoria, quibus maxime egebat, digressus, tres duces Fremonam praemisit; ii tamen, non panico, sed divino terrore correpti, ab ea depeculanda abstinuerunt. Thomas quoque Nebret, idest, praefectus Auxi*mitanus, f. 47.v.
Fremonae divitias animo devorans, collectis octingentis praedatoribus, ad eam se accinxit, et sex ab ea milliaribus pernoctans, ut antelucano assultu occuparet, subito proregis a Debaroa adventu consternatus, tutum se non credidit, nisi ad ultimos Tocatis [*sic*] fines penetraret.

Imperator Auxumae coronatur.

6. Victor a Gallis regressus Imperator, intra dies octo necessaria ad iter tigraeum comparavit, et in eo gratanter a p. Petro Paesio et socio invisus, et IX kalendas aprilis anni 1609 Auxumae ab Abuna Simone oleo delibutus, coronam accepit. Eius discessu Dambaeam turbavit Malac Seguedi vernaculus Melchisedech, Arso quodam regii sanguinis ex Amarae monte in imperatorium nomen extracto; et patribus Antonio Fernandio et Laurentio Romano non parum negotii facessivit. Celeri tamen regii fratris Emana Christôs a Tigraeo regno dimissione tumultus repressus, Melchisedech in acie occiso, et alumno ad Imperatorem transmisso et illius iussione detruncato. Imperator vero Debaroam ad fallacem Iacobum tetendit, qui suae gnarus imbelliae, dimissis copiis et paucis capris, quarum lacte viveret, secum asportatis, in avias latebras se coniiciens, illi spem victoriae ademit. Quare in Dambaeam se cum fratre Selâ Christôs recepit, Tigraeorum praefectura clari nominis et sanguinis viro Ampsalâ Christôs commendata, cui Iacobi superandi gloria serva-

batur. Cum enim ille, Imperatore in Dambaeam collecto, in arenam prodiisset, duo ex Burensi territorio dynastae Amaha Gueorguis et Zeralanes, Iacobo regi sanguine coniuncti, et cum viveret cum eodem fabulati, ad eum se contulerunt, et fuco detecto, caput submissis spiculatoribus decussum ad proregem Imperatoremque miserunt.

Fictus Iacobus occiditur.

7. Aliqui Abassinorum, Idalcanis regnum, Goae vicinum, non dudum praetergressi, narrant, se in eo incurrisse in suae linguae et coloris hominem eiusdem aetatis, cuius nunc esset Iacobus, qui diceret, ipsummet se esse, et olim Selâ Christôs, a quo bis impugnatus fuit, copiis obsistere non valentem, a Tigraeis montibus in Erythraeum mare diffugisse, et inde ignotum in Indiam navigasse, et de rebus eo tempore gestis adeo scite fabulari, ut Iacobus indubitato videatur. Et unus, ex iis, qui saepius in colloquium admissus est a Sabla Onguel, Malac Seguedi ex Iacobi sorore nepti, Ras Selâ
f 48. Christôs uxore, addit, eadem omnino vultus *lineamenta et primorum dentium superiorum, quasi ad serram inferne limatorum indicia, in isto et illa collucere, et siquis hunc, dempta barba, et illam simul aspexisset, difficulter alterum ab altero dignoscendum. Quod minime refero, ut onus credendi illum esse legentibus imponam, sed ut sciatur, suum Abassinis esse Iacobum, sicut Anglis Arturum et nostrorum vanissimis Sebastianum.

Iacobus ab aliquibus adhuc vivere putatur.

8. Eumdem proregem Ampsala Christôs graviter, dimissis idcirco copiis, decumbentem noctu voluit intercipere cum mille et quingentis hastatis Suathe Ab sirensis, et Fremonam eodem cursu expugnare. Consilium unus, qui aderat, proregi manifestavit, eumque in apertam aciem prosilire tentantem cohibuit dux Lusitanorum, docens, luna tunc clarum intermicante, non posse non ipsius militum paucitatem ab hostibus perviderі; tutius fore ipsos sub domorum umbra opperiri, advenientes aliquot ferrearum fistularum strepitu conterrere et turbatis animose insultare. Ita omnino gestum, et felix, obtrito hoste, eventus opportuni consilii tempestivitatem approbavit. Duobus illis dynastis proregem, ut suus esset erga Imperatorem deprecator et commendator flagitantibus, ille sibi, martio anni 1610, p. Petrum Paesium ad eumdem dimissum subrogavit, qui non iis tantum veniam initae prius cum Iacobo societatis, quin et beneficia impetravit; sed et Thomae Nebret auximitano, qui eidem se comitem obtrusit, quamvis ob tentatam Lusitanorum perniciem (quod primo respondit Imperator) similem suo capiti fortunam commereretur.

P. Petrus Paezius ex Tigraeo ad Imperatorem abit pro sontibus deprecator.

Gorgorram castra transferuntur, ubi partibus consuetudo cum curialibus, 1611.

9. Anno 1611, Cogae castris relictis, Atqhanam Gorgorrae finitimam, et brevi propter insalubrem aerem damnata [*sic*], in proximam maris Dambaeae peninsulam contendit Imperator. Hic propter viciniam magna fuit castrensium cum patribus consuetudo, et catholicae veritatis disseminandae et agnoscendae opportunitas. In eo maxime laboratum, ut palam fieret, in ipsorum libro, quem dicunt Haymanot Àbbau, idest Fidem Patrum, ex diversis antiquorum auctorum fragmentis coagmentato, duas acies certare, unam sanctorum patrum Athanasii, Ambrosii, Thedoti, Procli, Theophili, Nazianzeni, Chrysostomi, Cyrilli et aliorum pro duabus naturis utiliter bellantium; alteram *episcoporum Alexandriae et Antiochiae, Dioscori et Eutychetis erroribus et venenata unius naturae contagione tabentium, f. 48,v.
nec veram fidem posse in castris adeo dissidentibus militare. Qui sermo saepius repetitus multorum corda guttae instar molliebat.

Ras Selâ Christôs Goiamae prorex, 1612.

10. Sequenti anno suscepta est ab Imperatore in Goiamam expeditio, ipsius Prorege constituto Selâ Christôs, iisdem immunitatibus donato quibus eam provinciam moderatus fuerat Athanateus, quod tantundem erat ac ipsum illius Imperatorem, hoc tantum vocabulo excepto, nominare. Eum consecutus fuerat pater Paezius, coram quo ad Selâ Christôs aliquando Imperator: Fides, inquit, quam Pater edocet, mihi veritatis et medulla et gemma videtur. Cur illam non admittimus et cum Lusitanis pari studio consociamur? Vultum ille alio convertit, quasi in mahometanismum aut in malam crucem abire iuberetur. Obstupuit pater Paezius, memor eumdem lusitanis pueris catechesim repetentibus benevolas semper aures commodasse, et romanae fidei sermonem caperata numquam fronte reiecisse. Illi tamen seorsim dixit Imperator: Si quidem patres a veritate diversos abire putas, saepius cum ipsis sermonem conserito, et illorum errores solerti quaesitu indagato, ut, te exploratore, quomodo mihi cum ipsis sit agendum diffiniam; nefas enim esse, quemquam non bene agnitum reprobari.

Illius conversio.

Patrem Paezium ille frequentius quaerebat, et ut perspicaci erat ingenio, monstratore etiam Bellâ Christôs, maturi iudicii et spectatae pietatis viro, facile in suo libro novitium haereticorum alexandrinorum et antiochenorum a priscis Ecclesiae patribus dissidium assecutus, ex falsitatis defensore in veritatis discipulum mutatus. Patrem apud se conatus est remorari, sed, Imperatore non annuente, patri Francisco Antonio ab Angelis se cum suis tradidit imbuendum, et brevi in aequo mentis suae tribunali decernens, salutis viam Aethiopiae penitus ad illam diem ignoratam, praeteritae

vitae errores ad illius aures expiavit, et animum coelesti pabulo refecit. Quod itidem praestitere omnes illius assectatores ex doctoribus Fecur Egzi, senator Olda Christôs, et Abba Zamanuel caenobii Selalô in Goiama magister; ex bellatoribus Adarô militiae praefectus, Zamanifes Kedus Goiamae gubernator, castrorum metator Zaselasse et alii complures.

f. 49. *11. Alacritatem addidere acceptae a Romano Pontifice et Catholico Rege anno 1613 epistolae, ad quos inter Imperatorem et Selâ Christôs decretum fuit, martio anni 1613 Fecur Egzi legatum, addito patre Antonio Fernandio comite et monitore, terrestri itinere ut Indiam Pate vel Magadaxo prehenderent, expedire. Sed ut illud consilium pietas commendabat ita prudentiae parens experientia destituebat; tot enim gentes linguis et moribus et studiis adversae medium iter obsident, ut impossibile sit externo cuiquam unius tantum fines innoxia transmissione superare. Quod hi legati suo damno sunt experti, cum annum et septem menses in Imperatoris ditione ob diversa impedimenta conterentes, Naraea tantum, Gingirô et Cambate superatis. ad imperatoria castra, mahometani cuiusdam proditione coacti, redierunt.

Epistolae a Pontifice et Rege Lusitaniae acceptae conversionem accendunt, 1613.

CAPUT XI.

Fidei progressus et adversus illam contentiones.

1. In castris per ea tempora non mediocris rei catholicae facta est accessio, publica illius professione Bella Christôs et Zadenguilis imperatoris patruelium, Abbatis Mercâ eiusdem magistri, senatoris Tecla Selasse, idest plantae fidei, ab ipsius secretis et historiis, Tino propter corporis exiguitatem vulgo appellati, sed vere magni ob ingenii perspicaciam, prudentiam et multo magis ob partam postea gloriosae mortis palmam, Basilii in confirmatione a Patriarcha nuncupati, Cabae Christôs minoris regiae familiae aeconomi. Quibus robur addebat Ioannes Gabrielius Lusitanorum ductor, cui propter eximiam peritiam, fortitudinem et in agendis negotiis auctoritatem, plurimum catholica religio est obstricta. Horum numero et Selâ Christôs atque ipsius ducum potentia freti romanae fidei propugnatores, eam publicae depraedicare, duarum naturârum assertionem collaudare, unius delirium et mendacium detestari. Contra haeretici obstrepere, fremere, seditiones concitare, rebellionem et extremam imperii vastitatem minitari. Eos catholici ad disputationem co-
f. 49.v. ram Imperatore lacessere, quam ipsi victoriae confidentia tum*idi instatam condictam diem admiserunt. Fortuito adfuere patres Petrus et Ludovicus Azebedius.

Plurium magnatum conversio.

Publicae disputationes de fide instituuntur.

2. Congregatis breviter ac prudenter praefatus est Imperator, audire se, perniciosas inter eos de fide, quae una tantum esse posset, dissensiones flagrare, aliis duas in Christo naturas, aliis unam statuentibus; cordi sibi esse, ut, rationibus pensitatis et libris pervolutatis, veritas agnoscatur et, sopitis simultatibus, publico praeconio sequenda proponatur. Mox catholici producendis evangeliorum, apostolicarum litterarum et Haymanot Abbau testimoniis diligenter antea praemeditatis incubuere. Ad quorum auditionem haeretici, gelatis praecordiis et fraenatis labiis, obstupescentes, et duorum dierum inducias, ut maturius deliberarent, deprecantes, veritati linguas, quamvis non omnes corda, dediderunt; quam Imperator praeconio a multis annorum centuriis Aethiopiae insolenti iussit denuntiari. Unus tantum monachus unam naturam mordicus defendens catholicis traditus est erudiendus, et post aliquot dierum intervallum ad Imperatorem adductus, ab ipsius praeceptore Abbate Mercâ rogatus est, num iam probe duas in Christc naturas distinctas et inconfusas dispexisset. Ille cum assensurus primo videretur, collectum in examinatorem stomachum multis opprobris exoneravit; quorum ille, pro muneris sui auctoritate, impatiens, contumeliosum a iudicibus morti addictum, maluit flagellis in curiae vestibulo proscindi, putantibus, qui aderant, illum violati praeconii poenas exolvere, et sibi nisi exemplo cautiores fierent, aequales taureae pulsus imminere.

Imperatoris praeconium in favorem duarum naturarum.

Secundum praeconium cum assensu Abunae.

3. A suis admonitus Abuna, graves per nuntium quaestus Imperatori obiecit, quod, se absente, tantum in castris negotium absolvisset. Cui ille, id se, fovendae pacis studio egisse; si tamen adesse velit, operam daturum, ut disputatio instauretur. Annuit Abuna, et die ab ipso praestituta, suum secum satellitium induxit. Sed catholici nihilo contractiores eius adventu, sic eidem auctoritatibus et rationibus os praecluserunt, ut nullum illi esset, nisi in inanibus anathematis, effugium; quae surgens iratior in omnes duarum naturarum assertores vibravit. Ad quem Bellâ Christôs: Fidei, inquit, controversiae, nec sacerdotali gladio nec excande*scentia, sed audiendo f. 50.
et obiecta dissolvendo finiuntur. Illum ergo Imperator ut iterum sederet et aures disputationi daret adegit. Quae cum ulterius protraheretur, sic ipsius victus est animus, ut ingenue fateretur nulla ope negari posse quin duabus naturis Christus muniretur. Secundo igitur praeconio ex Abunae sententia capitis poenam Imperator iis indixit, qui duplici natura Christum vernare inficiarentur. Discedentem tamen Abunam potentiores haeretici, et in primis eorum tunc

antesignanus Emanâ Christôs, senior Imperatoris frater, Ras dignitate auctus, permoverunt, ut iis qui Lusitanorum fidem probarent, aut in eorum templis convenirent, vel colloquerentur, sacris interdiceret. Quod cum ille in castrensi ecclesia interposita sanctorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate, praestitisset, obvium Lusitanum quidam catholicus admonuit, Abunae diceret, ut alexandrina Dioscori potestate niteretur, et Romanis suos Apostolos intactos relinqueret, a quibus sola cum fide claves donarentur. Quod olim verbis aliis, sed eodem sensu dixerat Optatus Mlevitanus: *Unde est quod claves regni nobis usurpare contenditis, qui contra cathedram Petri vestris praesumptionibus et audaciis sacrilege militatis?* (1) Conscius Abunae ausi Imperator, senatoribus castrensibus edixit ut regio praeconio omnibus, qui vellent, potestatem facerent lusitanae fidei impune capiendae. Cui mandato illi, animo in Abunae sententiam discedentes, satis invite paruerunt.

4. Cum Goiamenses Agai anno 1614 aerarium debitis vectigalibus intervertissent, Achaferium in eorum finibus locatum Imperator suas copias ad hiberna traduxit. Quam oppurtunitatem ut res novaret nactus Abuna, multos coepit ad errorum suorum defensionem, obiecto iterum anathemate, solicitare (in quibus Iulium tigraeum proregem ut fastu turgidum, ita scientiae indigum) ad provinciales catholicos et foeminas Lusitanis nuptas facultatibus exuendas, emissariis submissis Tafazibus, concitavit, quod hominum genus et feritati et rapinae mancipatum antiquo et intestino in Lusitanos odio inflammatur. Abunam patrem Paezium, Selâ Christôs et Monachos Goiamenses et Bagamedrinos ad se accersit Imperator, cum interim ipse a matre et a fratre Emanâ Christôs submoneretur, ne *se suumque imperium in apertum discrimen coniiceret. Quibus ipse respondit, cum sibi ubique mors esset in insidiis, nihil magis optandum quam ut ipsa in veritatis propugnationem defungeretur. Easdem suasiones pro deriduculo habuit Selâ Christôs, ab importuno lateris dolore per eos dies, ne hostes triumpharent, divina pietate liberatus. In patris Paezii gratiam ad Iulium Imperator scribit ut quidquid a catholicis et Lusitanis esset expilatum, iisdem numerato redderetur; sed id quod mare semel absorbuit, raro integrum in littus sponte sua sed sola fluctuum concitatione quassum reciprocatur.

Acta apud Achaferium.

f. 50,v.

5. Cum Abuna ob inflictum in catholicos anathema Imperator expostulavit, et negantem senatores tuebantur, nudo illius tamquam

Abunae et alterius haeretici inconstantia.

(1) Lib. 1, *contr. Parmen.*

communis patris dicto adversus omnia ex adverso testimonia credendum contendentes. Quod cum vanum esse Imperator perspiceret, scenae serviens dissimulavit. Verum Selâ Christôs, ut Abunam ureret, quemdam ex illius globo fandi prodigum, qui prius duas in Christo naturas asseruerat, et in praesens diffitebatur, in iudicium vocavit, et se in varias formas vertentem convicit, et in vincula compactum domo eliminavit. Sed cum haeretici clamitarent suum illum Achillem catholicorum metu a disputationibus avulsum, ne illius loquentiam extimescere viderentur ad eas, in divi Hieronymi diem indictas, est intromissus.

Selae Christôs in disputando solertia et fidei constantia.

6. Cum ergo veritati primae debeantur, primo catholici questionem de duabus Christi naturis proposuere, eamque validis adeo ex evangeliis, divo Paulo et sanctis Patribus testimoniis et rationibus constabilierunt ut haeretici, quid responsi ederent non habentes, ad magistrum suum Dioscorum, unius naturae propugnatorem et ad praeceps consuetudinis suorum parentum flumen provocaverint; ab illa se nolle digredi, et novae doctrinae adhaerescere affirmantes. Vi et libidine, inquit Selâ Christôs non ratione nitimini: haud vobis istud proderit asylum: audiendum vobis est et respondendum: Leonis doctrinam, inquiunt illi, nobis nefas est audire obstruente nobis aures Dioscori anathemate. *Tum Selâ Christôs: Quid illud f. 51.
vos iuvat anathema contra evangeli sanctiones? Utrique nostrum Pauli anathemate constringimur, ne quidquam contra ipsius doctrinam admittamus, licet angelus de coelo se praeconem obtrudat (1). Cuius parendum anathemati, Pauli an Dioscori? Iudices decernant. Hi decrevere Pauli interdictum attendendum et doctrinae acquiescendum. Haeretici, quietis hostes, ad solitas se artes et clamores receperunt, vociferati, Dioscorum nihil Paulo adversarium docuisse, nec opus esse illius dicta ad huius trutinam expendere, ita a solo Imperatore iudicandum. Censuit Imperator fidei controversias, non contentiose clamoribus, sed libris diligenter pervolutatis et maturis rationibus pacate transigendas, proinde qui anxietatibus aliquibus peremerentur [*sic*] easdem exponerent, aliisque vicissim dissolverent.

Variae haereticorum machinationes.

7. Haeretici, fugientem solem obtendentes, paulatim surgere coeperunt, querimonias in Imperatorem tamquam antiquae fidei turbatorem, et duorum deorum in duabus Christi naturis introductorem ingeminantes, nec multum abfuit, quin apertam seditionem sint mo-

(1) *Galat.*, 1, n. 8.

liti. Abuna die crastina ad Selâ Christôs genua procumbens orabat, ut saltem neutri partium faveret. Sed ille, adamante firmior, respondit, si manus patris, vel matris suae sanguine cruentasset, se facile condonaturum, sed fidei, ac veritatis versuram facere non posse. Quo responso Abuna irritatus haereticos ad Imperatoris et Selae Christôs, animi solvendi gratia in campum exire meditantium, caedem instigavit. Illi tamen praecaute egressu abstinuerunt a patre Paesio admoniti, ut, quando viribus ad fraenandam haereticorum audaciam destituerentur, tempus interiicerent et assererent, in tanta opinionum dissidentia non posse certi quidquam in praesens definiri; ad libros versandos mora opus esse, quam Agaorum bella non paterentur; iis vero finitis, posse controversiam adeo ancipitem terminari.

Haeretici antiquiorum Patrum dictis renuunt.

51.v. *8. Sed morae impatiens Abuna Imperatorem adiit quinto nonas octobres, in ipso divi Francisci pervigilio, acriter contendens, ut extemplo iuberet nodum illum plusquam gordianum dissecari. Duae dies sequentes dissertationi praefixae in quibus Selâ Christôs ex divo Athanasio, Basilio, Chrysostomo, aliisque Patribus antiquioribus ostendit, duas in Christo naturas uni personae subnixas radiare. Ipsi vero negare illorum auctoritati se velle credere, sed solum veritatis magistrum Dioscorum agnoscere. Ad evangelium, inquit Selâ Christôs, gradum convertamus: in eo habemus sanguineum ex toto Christi corpore sudorem effluxisse, vinctum fuisse, verberatum, cruci suffixum et ad Patrem clamasse: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* (1) Rursum Apostolis renuntiari iussisse: *Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* (2). Quando haec Dominus loquebatur et patiebatur, Deum se an hominem expromebat? Hominem, inquiunt. Duabus ergo naturis instructus erat: humana quae iniurias sustinebat, et divina quae ab illo numquam discedebat. Negant illi consecutionem: post utriusque cum altera nexum, iam non duas sed unam astruentes. Vobiscum ipsimet, inquit Selâ Christôs, pugnatis. Si enim asseritis, post coitionem unum esse Christum, vestras in partes concedimus: duas enim naturas habet uni personae copulatas; si vero additis, duas illas naturas in unam coaluisse, mixtionem et confusionem importatis.

Libros sequendos Imperator edicit.

9. Duos illos dies obstinatae dissensiones et clamores contriverunt, et post eos se in genua coram Imperatore Abuna advolvit, cum lacrymis deprecans, ut antiquam fidem inconcussam vigere pa-

(1) *Psalm.* 2, n. 2. — (2) *Ioan.*, 20, n. 17.

teretur, et suam suorumque maiorum auctoritatem propugnaret. Ille se turbarum sedandarum impotentem conspicatus, praeconis voce sanxit, ut id quod libri docerent, religiose observaretur. Nil se malle, Selâ Christôs clamavit, qui suam fidem *librorum auctoritate sufful- f. 52.
sisset. Sed praeconium audax monachus est interpretatus ut significaret fidem ut olim perennaturam. Abuna tamen se victum dolens, odium ad illa monstra fundenda servavit, quae postea, demessa ipsius cervice, prodierunt.

CAPUT XII.

Iulii et Caflô eunuchi adversus Imperatorem conspiratio et utriusque caedes.

Librorum versione et nova aedificii substructione nobis multa quaesita auctoritas.

1. Sub exitum maii anni 1614 Gorgorram, quae peninsula est mari Dambaeae imminens, Imperator se recepit, ubi patrum adhortationibus et nostrorum librorum, cardinalis nempe Toleti in epistolam ad Romanos, Riberae ad Hebraeos, Maldonati in Evangelia et Blasi Viegas in Apocalypsim versione in aethiopicam linguam magna data est accessio romanae fidei amplificandae. Nec minor europaeis rebus quaesita auctoritas substructione palatii, quod Imperatori p. Paezius ad nostrorum formam erexit. In quo exedra sexagenos in longitudinem palmos, vicenos in latitudinem tendebatur, cui satis amplum cubiculum quadratae mensurae ad latus cohaerebat. Utrumque solario tegebatur, in cuius angulo exploratoria specula modico ascensu attollebatur, e qua Imperator in subiectos agros, paludem, et ferventem castrorum concursum mira cum voluptate oculos extendebat. Quod genus aedificii cum ipsorum oculis et linguis esset insuetum dixere Babet Laybet, idest, domum supra domum. Ab inferiori exedra in solarium scala lapidea ducebat, cuius ostio pessulum pater adiecit, qui introrsum subitario impulsu clauderetur, cumque Imperator diceret, commodius futurum, si extrorsum locaretur, respondit Pater utilius ita fixum et ipsi forsan usui aliquando futurum. Quod eventus comprobavit, Iulii, Emana Christôs, Caflo, Senô

eunuchi et Abunae machinationibus, occulte primum grassantibus et tandem in apertam lucem prorumpentibus.

Selae Christôs in Ras seu capitis locum electio magnarum turbarum causa.

*2. Nam anno 1617 Ras, idest capitis aethiopicorum principum munere, ab Emana Christôs seniori Imperatoris fratre in Selâ Christôs iuniorem transmoto illum atrox odium, Iulium, illius dignitatis appetentem invidia, eunuchum praefecturae amittendae timor, Abunam proxima suae sectae vastitas ad ultionem inflammavit. Et horum fautorum patrocinio et satellitio tumidus, die quadam in templo coelestes diras in eos sparsit, qui duas Christo naturas apponerent, vel cum apponentibus colloquia miscerent. Peti se videns Imperator, suosque a se liberos et clientes aperta defectione divelli, Abunae iussit renuntiari, ut illa vincula extemplo dissolveret, sin minus suo capiti caveret. Dissolvit ille, minarum terrore correptus, sed habere se quid circa fidem cum Imperatore colloqueretur. Cui suae domus valvas semper patere, respondit Imperator f. 52,v.

Abunae arrogans ad Imperatorem nuntium.

3. Die postera in palatii pomaerium, cum suis manipularibus sicas et gladios intra chlamydes occultantibus, se intulit Abuna. Unde ad arboris umbram, sella prae maiestate considens, Imperatorem iussit per nuntium admoneri, oportere a nomine Bahari (quod naturam significat) tamquam a bifida viperae lingua, abstineri, cum et naturam significet et personam (nova tamen ista fuit fallaciosi Abunae impositio et impostura; naturam enim tantum significat) et ideo illum qui duplicem Bahari Christo tribuat, videri duplicem in eumdem personam compingere. Res isthaec (ait Ras Selâ Christôs qui nuntianti aderat) non verbis sed ferro definienda. Sine me, ut abeam, et trium, vel quatuor colla dessecem, ut totus ille globus in aeternum dissipetur. Tunc Imperator: Satius est hiantia vulnera dissimulatione leniri, quam praecipiti incisione exacerbari. Et ad nuntium: Dic Abunae, si verbum illud sit anceps, aliud aptius affigendum. Ille, vix dum accepto responso, Imperatorem, ut suam fidem festine prodat, secundo nuntio convenit. Is vero id unum reddidit, sibi Christum esse perfectum Deum et perfectum hominem et velle ut caeteri suam *fidem hoc sigillo communirent. Nec ulterius obgannienti aures dedit. f. 53.

Iulii et Cafló manus mirabiliter evadit Imperator.

4. Perculsi hac Imperatoris constantia factiosi, in illius perniciem coniurant, Iulio et Cafló regiae domus praefecto, ob sui muneris opportunitatem illius e medio tollendi summam vendicantibus, et multos cum Emana Christôs in feralis sacramenti verba (in quibus dextri ac laevi cornu duces) adigentibus. Die ad facinus condicta,

firmato animo ad occidendum Imperatorem, tunc primum in ipso itinere a consanguinea Ite Amata Christôs, consilium assecuta, admonitum, cum ingenti cohorte Iulius et Caflô in aulam convolant, eaque ad vestibulum dimissa in inferiorem exedram, ubi tunc in regio lecto sedebat Imperator omnino intrepidus et nullius perturbationis fluctibus aestuans, irrumpunt. Ad illum propius gener accedit, et difficilia quaedam postulata proponit, quibus ille non solum hilariter annuit, sed indulgenter ipsius gladium de more ante Imperatorem instar baculi appensum capulo, quasi alludens, contrectavit; tum corpus a strato corripiens, se ambulationi dedit, et paulatim in solarium scandere occepit, duobus gestientibus, quod in eo caedem tutius patrare possent. Sed ille, scalae fastigium tenuit, ostium ad se repentina et inevitabili pessuli incursione adduxit, eosque hiantes et ob amissam praedam doloris plenos elusit. Quare patris Paesii factum et dictum nobis saepius Imperator instar caelestis oraculi referebat.

Iulius Imperatori et fratri Ras Selâ Christôs mortem intentat.

5. Verum quiescere cum nesciat animus scelerum furiis agitatus, Iulium in Imperatorem, quasi sui contemptorem, odium in Ras Selâ Christôs, ob delatam capitis principum dignitatem et Goiamae praefecturam, quas sibi debitas existimabat, velut sibi iniuriose antelatum invidentia extimulabat, et ansam utriusque, vel saltem alterius a vivis auferendi sollicite rimabatur. Illam vero Caflô adornavit, Imperatore ad quadragenalis ieiunii auspicia ex Goiama Gorgorram se colligente, et quingentis equitibus Nubianis a Rege suo ob offensionem, nescio quam, digressis et imperii confinia populantibus; ad quos abigendos, et illius plagae equis, qui solent esse probatissimi, exuendos, eunuchus Imperatorem fucatis rationibus permovit, et illico Iulium Ogârae, non admodum distanti, cum praestanti equitatu iura
f. 53,v. dantem, dati consilii certiorem fecit, *et stimulos subiecit, ut in Goiamam signa cum Ras Sela Christôs collaturus porro pergeret; Imperatorem vel ex Nubiano bello non rediturum vel ita sero, ut periclitanti fratri auxilio esse nequiret.

Sed frustra.

6. Ubi Imperator iter in Nubiam intendit, Iulius, vulgato prius edicto, ut qui unam in Christo naturam profiteretur, sibi haereret; qui duas, Imperatori vel Ras Goiamae praesidi nomen daret, in Bagamedrinum regnum castra movit, ut ibi Ras Emana Christôs, unum ex coniuratis, sibi adiungeret. Ille tamen verbis, quam factis promptior, longius in Amarae fines dilapsus, eum docuit, tantorum negotiorum molem iis tantum credendam, qui initio valeant, et op-

portuna consulere et consulta gladio terminare. Ad accedentis Imperatoris famam Nubiani, suis se credentes equis, avolarunt; et is intra quindecim ab excessu dies, ad imperii fines est regressus; et Iulii consiliorum particeps redditus, nihil habuit prius quam ut aliquas equitum alas in Goiamam fratri suppetias submitteret. Iulio tamen, ad transmittenda Nili vada ultra paludem ad Orientem accedenti, obvius factus Abuna Simon suggessit, commodius ipsi futurum, si Imperatorem in reditu fatiscentem fessosque ipsius milites aggrederetur, quam si Martis aleam cum Ras iuvene integro, et recenti supremi honoris auctario ferociente, experiretur; ipsum vero ingentem apud omnes mortales laudem, et summa ante Deum promeriturum praemia, si tanto ipsius adversario Aethiopiam exonerasset; ipsiusque cohortes ob praestitam in sacro hoc bello operam, in coelum absque diverticulo transmittendas.

Imperatoris et Iulii castrorum situs.

7. Paruit Abunae dictis, tamquam divinis mandatis, Iulius et retro conversus, Gorgorram ad Imperatorem perrexit; qui praemonito Ras Selâ Christôs, ut ad se quam maximis itineribus contenderet, ei se medio inter Gorgorram et Nili fluenta, et medio itidem inter Ganetam et Dancazium spatio, obvium tertio nonas maias obiecit. Iulium ad maiorem festinationem, speratus in diem sequentem Ras Selâ Christôs et alterius ducis adventus instigabat. Imperatoria castra in valle Caflô metatus fuerat, cui a tergo exitum rupes inviae auferebant; a fronte expedita planities Iulii equites (quibus longe antei*bat) ad liberos discursus invitabat. Loci iniquitatem di- f. 54.
spiciens Imperator, citra ullius consultationem, iussit tentoria in vicinum collem dimoveri, quem undique saxa praegrandia, equorum ungulis adversa circumvallabant et ab hoste ferrei sclopi iactus dirimebat. Dies ut illuxit, ordines hinc inde ad proelium apparabantur, et ad Iulium se armis adornantem, uxor Melacotavi, Imperatoris filia, oculos lacrymis suffusa accessit, orans meliorem mentem ut indueret et cum patre amicitiam, positis simultatibus, iniret, spondens omnia se in ipsius commoda perfecturam. Ille superbe reiectam in tentorium dimisit. Ipsa vero: Pauxillum cibi amanter a me parati in os ingere, ut tibi sit in tantum laborem fulcimento. Maiori ille amaritudine et arrogantia: Nihil, inquit, in os indam, nec quidquam meum palatum demulcebit, nisi prius humeris avulsum patris tui caput in mensam inducam, tunc mihi iucundum et adipale reddetur prandium.

8. Mox calcaribus, quorum perrarus est usus in Aethiopia, instructus, in ferocem equum conscendit, nec solum primipili sibi locum vendicavit, sed ultra primam aciem progressus, sex vel septem ipsum insequentibus, in confertos Imperatoris manipulos irrupit, confidens omnes quacumque pergeret, ob icti foederis religionem, sibi cessuros. Et licet nemo in Imperatorem arma converterit, Caflô tamen et dextri cornu ductor liberum accessum praebuere quaeritanti: Ubi est Imperator? Responsum tamen pro omnibus prope Imperatoris conopaeum dedit rusticanus Tigraeorum Seguadensium manipularis, qui, obvium saxum arripiens, illud in furentis vultum paulum infra sinistrum oculum contorsit, et alius equo deiecti caput, trilicis loricae focali a faucibus dimoto, amputavit, et ad Imperatorem, tunc primum armis munitum et a papilione degredientem, importavit. Gratiis Deo responsis, receptui ut caneretur edixit; ii tamen equites qui Iulium assectabantur, militarem licentiam effugere non potuerunt; neque ii qui, cum procul essent, instantibus terga dedere et vulnera ideo graviora excepere, quod nec sauciantes coeco occipite cernere, nec eorum furorem levi possent declinatione frustrari. **Iulii caedes lapidis ictu impacta.**

f. 54,v. *9. Abuna pugnae a principio bellatores suos ad certandum pro avita fide et hortationibus et spe victoriae et benedictionum atque indubitatae delictorum veniae pollicitationibus e sublimi loco confirmabat. Sed, ubi se delusum vidit, asylum sibi ubique constitutum reputans, ibidem constitit, et multi praetereuntium militum, religione tacti, pepercerunt. Sed, insignis catholicus Za Michael, regiae gazae custos in transitu conspicatus, telo confixit, et mox alius caput detondit et ad Imperatorem illatum eodem in tapete cum Iulii cranio locavit, ut, quos vivos iniquitas, extinctos poenae similitudo consociaret. **Abuna in eo praelio occiditur.**

10. Quamquam Ras in viam se tanta contentione dederit, ut una die duarum vel trium spatia confecerit, postridie victoriae, depressis prae maerore in terram signis et militum hastis ad Imperatorem triumphantem et divinae pietatis miracula depraedicantem pervenit; quae nisi clementer et potenter affuisset, de eo actum erat, totius exercitus robore, et popularium animis in Iulium inclinantibus et expeditam viam ad ipsum caedendum, fidemque destruendam pandentibus, et votorum suffragio assectantibus. Imperatoris filia Melacotavi ex Iulio vidua, in thorum mox data est claro viro Za Christôs sub Ras Selâ Christôs vexillis militanti. **Ras altera die post victoriam accedit.**

Caflô destinata et caedes.

11. Ut Caflô suas machinationes disiectas, caeso Iulio, est intuitus, sibi sero cavere coepit, et priora scelera novis exaugere, sublato per insidias milite, qui consiliorum fuerat internuntius et monacho, qui utrumque ad inchoandam et complendam coniurationem sacrilego et insano anathemate obstrinxerat; sed tanta flagitia diu premi haudquaquam posse certus, illa semel, caeso Ras Selâ Christôs et Imperatore, perficere decrevit. Primum convocatis undique in curiam suis militibus ut inter ludicram illorum ostentationem inopinum et excubitoribus (ut plerumque assolet) Imperatorem destitutum interciperet. Quod tamen spectaculum ille, gravioribus tunc curis impeditus, detrectavit. Deinde solemni propinatione Ras Selâ Christôs parata, quae subinde in centauream coenam et thyesteam mensam verteretur, et inde subito ad Imperatorem discurreretur. Quae *molitio, antequam mulsum excoqueretur, disiecta fuit, f. 55.
scatente undique proditionum ipsius tumultu; qui Imperatorem adegit ut in eas exquiri et sententiam proferri iuberet. Quam pronuntiatam ipse firmavit, et sub sycomoro, quod nunc etiam facti memoriam servat, evirati illius caput decussum clamat, stultum esse quemque maiores pennas nido extendere; ingratum mala pro benemeritis reddere, et quidquam contra Deum moliri impium et insanum, nec tamen ab Aethiopibus auditur.

Damotes vincuntur.

12. Ut fatali Abunae exitio vacuam aethiopicae ecclesiae cathedram Imperator est contemplatus, latinum mox Patriarcham a Lusitaniae Rege et Romano Pontifice semel et iterum efflagitavit, difficultatem precibus semper obiectante ingenita Abassinis levitate, et inolita Alexandrinorum errorum adhaesione. Non tamen penitus sunt reiectae, ne desperatio pollulantia in multis fidei germina contaminaret. Quam Imperator, non tantum fratre Afa Christôs eidem ex intimis cordis fibris aggregato, sed ubique promovere summis studiis anhelabat. Sed nullibi amplior seges quam inter Damotes graviter in ipsius amplificationem et in superstitiosae sabbati observantiae evulsionem connitente Ras Selâ Christôs eorumdem gentili et praefecto.

Patrum ex India adventus.

Patrum quoque per eadem tempora ex India missorum numerus excrevit: primum anno 1618 Didaci a Matos lusitani et Antonii Bruni siculi ingressu; deinde p. Emmanuelis Almeidae visitatoris, Emmanuelis Barradii, Ludovici Cardeirae et Francisci Carvalhii lusitanorum anno 1623 ex India discessu et, post hiemem in Arabia transactam, adulto sequentis anni ianuario in Aethiopiam appulsu. Quibus accessere proximo iulio patres Emmanuel Lameira,

Thomas Barnetus et Gaspar Paesius lusitani, et Hyacinthus Francisci florentinus. Feliciores tamen tunc calculi patres Franciscum Machiadum villaregalensem et Bernardum Pereiram visensem notarunt, cum eodem anno Zeilam dimissi ad novum illac iter in Ae-
f. 55,v. thiopiam patefaciendum a regulo odii faci*bus in christianam religionem inflammato, collata nefarii animi destinatione cum Capraele haereticorum aethiopicorum patrono, ad Auçan vel Abxam anno 1624 inhumane trucidati sunt.

Duo templa europaeo more construuntur.

13. Duo quoque ex quadratis lapidibus, luto adhuc, ob calcis coquendae ignorationem, colligatis, nostro ritu sunt extructa, alterum Gorgorrae occultis Ras Selae Christôs expensis, anno 1621; alterum Ganetae Iesu post biennium e publico Imperatoris aerario. Anno demum 1624 nobilis Indus candidos et instar pumicis oculatos lapillos ubique in campis humilioribus repertos, et forsan ex confluentium spumarum (has enim specie referunt) concretione gelatos, in ignem coniiciens, sicut fieri viderat in Cambaya, calcem maxime glutinosam expressit, primum in palatio imperatorio Ganetae, ac diversis deinde templis probatam. Duo sub iisdem annis coniurati, Ionael prorex Bagamedrinus, et famosus praedo Aaron in Tigraeo regno, sopiti et ipse tandem Imperator, tenebris omnino depulsis, cum esset Fogarae in Bagamediri et Goiamae confinibus, anno 1622, totius vitae noxas ad patris Paezii aures miro sensu expiavit. Et quasi iam nihil esset, quod ulterius sperare posset, patrem Paezium Gorgorram ineunte maio, cum maxime fervet aestus, redeuntem sol in Dambaeae campestribus adussit, isque intra paucos dies, sacramentis omnibus roboratus, felicem vitae terminum imposuit, in minori Gorgorrae templo tunc depositus et postea a nobis in amplius, nobili concameratione arcuatum, translatus. Quod nuntium cum delatum esset in castra, ab Imperatore et omnibus curialibus, qui eum ut summae integritatis virum mire suspiciebant, et ut communem servum unice diligebant, solemni comploratione est funeratus. Quod paulo post duodecimo kalendas Novembris accidit p. Francisco Antonio de Angelis apud Agaos; et praecedenti anno tertio nonas ianuarias apud Tigraeos obtigerat p. Laurentio Romano omnium catholicorum planctibus et desideriis elato.

Ionael et Aaron rebelles occiduntur.

P. Paezius, post Imperatorem a se exomologesi purgatum, occidit.

CAPUT XIII.

Imperatoris ad omnes de fide sua epistola.

1. Cum romani Patriarchae adventum vel saltem nuntia in
f. 56. horas *Imperator opperiretur, ne Abassini insolita novitate perterrerentur, eos voluit non solum frequentibus concionibus sed et epistola ad totum imperium missa anno 1624 praemunire et de causis, quae ipsum ad hanc mutationem impellerent, edocere. Quam hic eo libentius subiiciemus, quod illius auctor fuerit Senator Tinô, publico postea romanae fidei testimonio, quam tunc regiorum secretorum servatoris munere, illustrior. Et verba tantum ex aethiopico exemplari in latinam linguam invertentes, in tanti viri honorem, illibatum stylum legentibus obiectabimus.

Composita fuit ab illustri senatore Tinô.

2. *Epistola imperatoris Seltan Seguedi totum imperii nostri orbem pervadat. Audite quae vobis dicimus et litteris mandamus in commendationem fidei sanctae et in totum verae ingentis Urbis Romae et cathedrae divi Petri. Hunc enim Dominus noster Iesus Christus super omnes fideles suos principem constituit, praefecturamque ore, et sancto verbo suo, quae nullus valet error inficere, concessit, et solida illa verba, quae ad mundi finem non deficient, est prolocutus: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in*

Divum Petrum et Pontificem Romanum Christus Ecclesiae fundamenta subiecit.

coclis » (1). *Et cum iam proximus esset morti propter hominum incolumitatem exanthlandae, eidem dixit:* « *Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos* » (2). *Et post resurrectionem, ante corporalem in coelum excessum, ad eumdem est effatus.* « *Pasce agnos meos et oves meas et agniculos meos* » (3). *Ob omne genus virile ait: agnos meos; ob cuntas foeminas, oves meas, et ob infantes, agniculos meos. Et ita in omnes homines divi Petri imperium porrigitur.*

Divi Petri locus et potestas in aeternum in Ecclesia perdurat.

3. *Cum ex hoc mundo venerabilis hic Apostolorum princeps transiturus esset, ut debita suis laboribus a Creatore praemia reciperet, haereditariam huius primatus excellentiam suis successoribus et cathedrae consortibus, Romanis Pontificibus, delegavit, in quibus nunc permanet et usque ad mundi dissolutionem permanebit, quin Mahometani vel Turcae vel quivis alii adversarii valeant illius firmitatem labefactare, *immoto Domini verbo subnixam:* « *et portae inferi* f. 56.v.
non praevalebunt adversus eam ». *Ideoque, cum inter fideles controversia exarsit et in primo concilio tercentum decem et octo patres recte fidei Nicaeae sunt congregati, Arium, Dei filium creaturam suadentem, Ecclesia exterminarunt; et in secundo centum et quinquaginta patriarchae atque episcopi Constantinopoli Macedonium suo commercio eliminarunt, quod eamdem creaturae ignobilitatem in Spiritum Sanctum compingeret; et in tertio ducenti episcopi, Ephesum convocati, Nestorium a fidelium caetu segregarunt, quod in Christo duas personas, alteram divinam, alteram humanam, separatim collocaret; et in quarto concilio, Chalcedone celebrato, sexcenti et triginta sex patriarchae et episcopi rebellem Dioscorum anathemate percussum a sua communione propulerunt, quod suam cum Eutychete perfidiam et Christi divinitatem cum humanitate permiscens, illum ad unius naturae palmitem redigeret, cum sit omnino exploratum, duobus illum divinae humanaeque naturae surculis gemmare. Propter divinam tercentum decem et octo Patres illa verba Apostolorum symbolo adiecere:* « *Credimus in Iesum Christum filium eius unigenitum, ex Patre natum ante omnia secula* »; *propter humanas illa:* « *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex sancta Maria Virgine* ». *Spiritus Sancti hic mentio inducitur, quod annuentibus Patre et Filio ipsoque Spiritu Sancto, qui sunt tres personae et Deus unicus, cor-*

Haec Ecclesia omnes haereses in primis quatuor conciliis damnavit.

Symbolum Nicaenum duas in Christo naturas profitetur.

(1) *Matth.*, 16, n. 18. — (2) *Luc.*, 22, n. 31. — (3) *Ioan.*, 21, n. 16, 17.

pus ipse in sanctissimae Virginis Mariae alvo sit architectatus, animamque e nihilo eduxerit. Quod autem, Spiritu Sancto nominato, a Patris et Filii nuncupatione abstinuerint, ideo factum, ut innueretur, in sanctissima Trinitate ultra operationes ad intra nobis penitus abstrusas, alias ad extra, iuxta sanctorum Patrum doctrinam, emicare. E quibus quae potentiam prae se ferunt, Patri, quae sapientiam Filio, quae amorem Spiritui Sancto adscribuntur. Cum autem Filii Dei incarnatio summum fuerit dilectionis erga homines documentum, ad eam manifestandam peculiariter tercentum decem, et octo Patres Spiritus Sancti nomen expresserunt. Virtute tamen
f. 57. *potentia et creandi facultate Pater, Filius et Spiritus Sanctus *neutiquam discriminantur.*

Spiritui Sancto cur tribuatur incarnatio.

Humana natura in Christo differt a divina.

4. *Quod antem dixerint: « Ex Sancta Maria Virgine », id factum humanae naturae ratione, quae eodem momento Filii divinitate Patri aequalis personae copulata fuit. Quod autem unicam Christi Domini personam duae naturae exornent, libri omnes a Spiritu Sancto dictati testantur. Divus Mattheus, humanae naturae ergo, in exordio sui evangelii ait: « Liber generationis Iesu Christi, filii David, filii Abraham » (1), Ioannes, divinae aeternitatem subodoratus: « In principio erat Verbum et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum » (2). Divina natura tempus et horam ignorat, humana haetate ac termino concluditur. Quod cum in omnibus libris sit consignatum, proterve ab Eutychete, mendaciorum artifice unius naturae transactore, et divinitatis atque humanitatis temperatore, fuit denegatum. Rebellem hunc secutus Dioscorus, ipsum et alios seditiosos verbis et factis ad Flaviani constantinopolitani internecionem promovit, quod ipsummet et Arium, Macedonium, Nestorium, Sabellium aliosque haereticos sanctae Romanae Ecclesiae, qui sui primatus merito, caput est omnium Ecclesiarum, anathematis proscissos subiecerit.*

Abunarum aegyptiorum publica libido.

5. *Hanc ob causam Patriarchae alexandrini, Dioscori successores, et qui ab eis in Aethiopiam mittebantur, veritatis inedia laborantes Christum in unius naturae sterilitatem contrahebant et aequitatis devii, indignas inferioribus Ecclesiae ministris, ne dum Episcopis et Patriarchis, semitas insistebant, procaciter nubentes et filios procreantes, quorum nati, et nati natorum et qui nascentur ab illis, paternam impudicitiam in Aethiopia testabuntur. Nubiles ad*

(1) *Matth.*, I, n. 1. — (2) *Ioan.*, I, n. 1.

*haec puellas devirginabant, et aliis se flagitiis involvebant, quae pudor est effari. Manuum impositionem et altarium portatilium inaugurationem auro et salis laterculis venales proponebant, in cleris avare dominantes, et ordinandos semiannum vel annum convehendam aquam, ligna et saxa in suarum domorum et septorum constructionem damnantes; cum isthaec molientes execrationi subiiciantur ab Apostolis ita e Synodorum libro proclamantibus: « Qui per pecunias ordinationem habuerit, deiiciatar ipse et ordinator eius et a communione *modis omnibus abscindatur, sicut Simon Magus a Petro* (1). f. 57 v.

Abunarum Marci, Christoduli et Petri flagitia.

6. *Abunam Marcum gravissimorum et spurcissimorum criminum, quae nullae aures tolerare possunt, imperator Malac Seguedus convicit, cum illis par evaderet, qui post alteram carnem abeuntes pluviosum de coelo sulphurem et ignem provocarunt. Ob quae flagitia sacerdotio exutum et in Dek insulam relegatum ventre in speciem ingentis tympani inflato, horribile exitium oppressit. Abuna Christodulos multis concubinarum choris cingebatur: quod neminem illius temporis fugit, et multi nunc viventium non ignorant. Illius successor Abuna Petrus, avulsam a Graeci cuiusdam latere uxorem, in suam domum transtulit et iudicio superatus adulterii paenam persolvit, ut apprime callent Iosephus et Marinus (qui inter nos agunt) advenae homines et ideo nostris fide digniores. Et scelera sceleribus cumulans, cum septem iam annos Iacobus pacate in regno transegisset, Aethiopicam gentem diris commovit, ut ablatum ab ipso, in Naraeam dimisso, regnum ad Zadenguilem transmitteret, et ante annum auctor fuit aliarum imprecationum ut Zadenguili extincto Iacobus iterum substitueretur et cum eodem contra nos praeliari ornatu in aciem descendit, et in suae proditionis, toties repetitae, poenam, animam in ipso conflictu telis confossus emisit.*

Abuna Simon impurus et rebellionis Iulii incentor.

7. *Atrociorum scelerum reus fuit Abuna Simon, uxore a Mati aegyptio ad se translata, plurium virginum stupris et amplo scortorum grege infamis, ex quarum uno infantem genuit; eumque, ne sua impuritas pateret, domo eiectum, cum mater alendo non sufficeret, lupi exceperunt. Omnibus nota est haec fabula et saepius ante nosstrorum senatorum aures decantata. Iulium contra socerum arma parantem, nobis haudquaquam (qui mos est Abunarum et monachorum) conciliare studuit sed vehementius irritare. Omnibus enim illius militibus in unam concionem collectis, dixit: Qui in die certaminis*

(1) Can., 30 Apostol.

vetulo, iuveni, puero et cuivis omnino, qui repertus fuerit in castris imperatoriis, pepercerit, anathemate saucietur. Qui omnes indiscrimi-
f. 58. *natim, nullo reservato, interfecerit, licet alterius uxorem *violaverit, alienas fortunas occupaverit et decem divinae legis mandata perfregerit, ore meo absolvatur. Qui occiderit, sanctis illico adnumeretur, qui caesus fuerit, martyrii laurea decoretur. Quibus dictis, eos tradidit in similitudinem satanae, et contra nos in praelium eduxit. Sed Deus victoriam nobis adscripsit, ipsumque, cum praelio adesset, immotae iustitiae libramentum in bellatrices manus coniecit, quae iustissimam tot nefaria molito caedem persolverunt.*

Ab Alexandrinis discedit et romanae Ecclesiae aggregatur.

8. *Ut tamen ad praecipuum litterarum nostrarum institutum redeamus, ab impio hoc Dioscoro, et ipsius successoribus, quod Romanis Pontificibus, Petri, qui coementum est Fidei et caput Ecclesiae, successoribus parere recusent; et duplicem Christi naturam in unam restringant, et apostolicas constitutiones et canones contemnant, librosque non ex vero sed pro sua libidine verterint et corruperint et nos a veritatis tramite divertant, tamquam a Iacobitis et Arii, Macedonii, Nestorii, Sabellii et Eutychetis deliria sectantibus, ex animi sententia, quod felix faustumque sit, discedimus, et Romano Pontifici, qui Petri venerabilium Apostolorum Principis cathedram insidet, nec ex ea docens quidquam valet a recta fide vel moribus absonum effutire; et mittendo nobis ab ipso Patriarchae volumus subiacere. Vos quoque cum bona pace sanctam hanc fidem amplexamini, quam Dominus noster Iesus Christus in sacro sanguine crucis suae aedificavit, et dedit in omnium in ipsum credentium salutem in saeculorum saecula. Amen.*

CAPUT XIV.

Patriarchae Alphonsi Mendezii electio et in fretum Erythraeum navigatio.

1. Dum haec in Aethiopia commode praeparantur, designatus est a Philippo IV Castellae et III Lusitaniae rege, anno 1621, patriarcha p. Alphonsus Mendezius e Societate Iesu, natus anno 1579 duodecimo kalendas augusti, Gregorio XIII universalem Ecclesiam moderante, et Lusitaniam Henrico, utraque purpura, et regia et car- **Patriarchae primordia.**
f. 58.v. dina*litia, conspicuo, in celebri tunc oppido a sancto Alexio ad Mauram, Eborensis diaecesis, in agro transtagano, Beaticae contermino: nunc prae coeteris Lusitaniae illustri, cum, regis sui Ioannis IV ius communemque libertatem propugnans, quinto idus augusti anni 1644 a Castellanis incensum suo sepultum est templo et triumpho. Inde Conimbricam evocatus est Alphonsus novennis ab avunculo Emmanuele Mendezio a Maura doctore et canonico in omnes consanguineos noto animi paterni; iam enim maiorem germanum et fratruelem suis sumptibus in studiis aluerat et ad presbyteratum evexerat. Sed in ipsum vehementioris amoris pondere, in memoriam patris, et avi cognominis ferebatur. Illius sacerdotii stipendia et clarum nomen meritus fuerat Emmanuel in praelio navali apud Echineidas [*sic*] in praetoria triremi Ioannis Austriaci cui inter primos ob muneris, consilii, et corporis vires, ac plenam solidi succi proceritatem acceptus erat; ibi Pii V pontificis maximi delectu, apostolici poenitentiarii officio perfunctus.

Patriarchae et episcoporum electio.

2. Conimbricae Alphonsus, emensis grammaticae, humanitatis et rhetoricae stadiis, cum vix decimum tertium aetatis annum explevisset, Societatis Iesu tyrocinium adivit, sexto nonas februarias anni 1593. Eoque deposito et philosophiae atque theologiae curriculis absolutis, biennium humanitatem, quinquennio rhetoricam et pari temporis cursu sacras litteras Conimbricae est professus; sacris ordinibus septembri anni 1605 initiatus, et quarto idus martias anni 1612 quatuor votorum retinaculis auctoratus. Eboram postea ad prosequendam divinae paginae interpretationem, martio anni 1617 pertractus, post aliud quimquennium Aethiopiae adscriptus, Ulissipone patriarcha inauguratus est, quarto idus martias anni 1623, ab illustrissimo Ferdinando Martinio Mascaregna rerum ad fidem spectantium quaesitore generali, ipsi assistentibus Hieronymo Goveano Septensi et Petro a Costa episcopo Angrensi. Augusto simul oleo consecrationis delibutus est p. Iacobus Siccus a Covillanio, episcopus Nicaenus *olim in Conimbricensi, tunc in Romano collegio f. 59.
theologiae professor, Patriarcha paulo senior, sed eisdem studiorum passibus et amicitiae nexu aequalis, ipsi datus adiutor futurusque successor. P. Ioanni a Rupe ulyssiponensis [*sic*], Patriarchae adiutori, eidemque cum episcopi Hierapolitani titulo in eadem munia successori in Nicaeni defectum renuntiato, diplomata in tempore non pervenerunt, sed in Indiam postea sunt dimissa, cum iam inter navigandum eodem anno extinctus esset episcopus Nicaenus; cui suffectus est in Lusitania p. Apollinaris Almeida itidem ulyssiponensis, theologiae doctor et sacrorum codicum in eadem Patriarchae cathedra Eborae interpres; qui, Ioanne iustas ob causas Goae moras trahente, in Aethiopiam anno 1630 ad occupandam post annos octo augustiorem doctorali lauream praevolavit.

Patriarchae in Indiam navigatio.

3. Tres illo anno in Indiam onerariae totidemque naves bellatoriae, Antonio Tellio Menesio classis praefecto, Ulyssipone octavo kalendas apriles solverunt. Quarum praetoriae, cui nomen a sancto Francisco Xaverio, creditus est Patriarcha; secundae episcopi Nicaenus et electus Hierapolitanus, sed omnes (una excepta, quam regressus in portum, fracto vi tempestatis malo, feliciorem reddidit, et solam post refectionem eo anno in Indiam praemisit) segnis et malaciae veterno languens navigatio post sex menses Mozambico ad hyemandum applicuit, ubi foeda per noctem, senescente ianuario tempestas a quatuor ventis exorta classem invasit, et navim praetoriam in uliginosum absque periculo vadum, a quo mox enatavit,

eam qua episcopi vehebantur in arenosum cum mercium omnium dispendio, impegit. Goam appulsos perhumane et liberaliter excepit prorex Franciscus a Gama comes a Vidigueira, Vasci primi Indiae repertoris nepos, qui sequenti novembri Patriarcham Dium tuto dimisit, ut inde martio in Aethiopiam vela daret.

Imperatoris ad Patriarcham epistola.

4. Hic interim recreatus est Patriarcha epistolarum, quas ex Lusitania ad Imperatorem et Ras Selâ Christôs conscripserat, in haec verba responsione. *Epistola Seltan Seguedi Dei gratia imperatoris Aethiopiae, cum bona boni pastoris pace, qui dedit animam*
f. 59,v. *suam *pro ovibus suis, accedat ad Alphonsum patriarcham Aethiopiae. Ingentes Deo reddimus gratias, quod nos nostrorum votorum ac precum compotes effecit, et ad illud tempus perduxit, quo vos possimus, Patriarcham cum multis sociis, ut in vestra referebatis epistola, intra Aethiopiam intueri, qui omnes satis sunt necessarii ad dispersas oves in die tempestatis et caliginis colligendas. Vos ipse cum pace et incolumitate hic sistat, viamque expediat ut maturato appellatis. Id enim imperii istius necessitas exigit, ut ex patrum litteris noscetis. Deum interim, tantorum bonorum auctorem rogamus ut in suum honorem et gloriam et tot animarum salutem id quod operatus est confirmet, Die 20 Maii anni 1624.* Verum Ras Sela Christos sublimiori stylo sic personabat.

Ras Sela Christôs ad eundem epistola.

5. *Responsum Selae Christôs, capitis principum Aethiopiae deferatur ad venerabilem patrem Alphonsum Mendezium patriarcham Aethiopiae. Pax Domini nostri, Verbi aeterni, per quem facta sunt omnia et omnia propter ipsum, qui nostram humanitatem ex Virgine in totum sancta et absque macula assumpsit, ut se ipsum propter nos in templo crucis offerret, Vestrae Dominationis personam a temporali malo tueatur et in suae vitae vellus salutarem rorem effundat et cum pace perducat in tam excelsam dignitatem, in quam a Deo electi estis, quin ulli antecessorum Romae* [sic] *huc missorum fuerit concessa. Immensum laetatus sum adventu epistolae Dominationis Vestrae a Societatis Iesu patribus mihi oblatae, non secus ac laetatae sunt Sanctorum Patrum animae, quae Salvatoris accessum praestolabantur, cum super ipsas divinitatis radius affulsit. Laetitia et exultatio tanta fuit, quanta numquam a teneris unguiculis huc usque triumphavi. Nec possum tenui cordis mei statera exultationis aurum, in me Vestrae Dominationis epistolae thesauro congestum et amoris igne in camino pietatis Dominationis Vestrae syncerius redditum, trutinare. Quid tamen Deo, longe ab ira seposito et largo miseri-*

*cordiae, retribuam, qui, iustitiae rectae oculos ab iniquitatis meae vultu avertens, quamvis minora delicta in lucernis scrutetur, me hactenus vivum passus est, ut huius laetitiae et exultationis vocem audirem, quam per tot annos expectavi, et a qua pendulus fuit cogitationum mearum *nervus ab arbore longi amoris Dominationis Vestrae su-* f. 60.
spensus? Sed Deus totus et in totum bonus, ac summum bonum et clementiae superabundans, ut me dignum fecit nuntii adventus Dominationis Vestrae audiendi, quo labore et onore sanctae fidei catholicae per longum tempus portandae me levavit, ita dignum faciat oris Dominationis Vestrae contemplandi, et calceos millies exosculandi. En scribo et enixe flagito a Vestra Dominatione, pietatis et amoris erga oves suas referto, ut adventum suum, quantum fieri possit, acceleret, multosque secum patres huc inferat. Vestra enim haec regio Aethiopica, quae modo, ex via corruptae doctrinae et fide tortuosa et errorum Dioscori foeta, ad tranquillum portum rectae fidei divi Leonis pontificis romani, et divi Petri pastorum pastoris se recepit, vastissima est, et multis ethnicorum christianam fidem ardenter inhiantium tribubus frequentata. Nec multo ante virtute Dei benedicti et sanctis Dominationis Vestrae orationibus everti, et igne combussi idolum, quod multae ethnicorum, qui dicuntur Agai, tribus confertim colebant, cuius initium ob erroris antiquitatem ignoratur. En hi hodie absque numero in sanctum baptisma conglobantur. Idemque praestant alii dicti Cafres, quibus unum officit obstaculum quod est patrum defectus, quos ut Vestra Dominatio non tot, quin plures secum inferat, iterum atque iterum instanter oro.

Difficultates erythraeae navigationi obiectae.

6. Summam hae litterae laetitiam et alacritatem in Patriarcham et socios invexere, sed non minorem sollicitudinem navium in Erythraeum mare expediendarum difficultas, cum institores, qui merces in oram aethiopicam exportare consueverant, suas illo naves onerare, Turcarum rapacitatem et atrocitatem nuper experti, detrectarent, nec eae moles ullis conditionibus superari possent, et ita ob navis defectum Patriarchae Dii esset subsistendum, Baçaini ducem Franciscum Monisium Silvium virumque alium divitiis praepotentem, Lupum Gomesium Abreum, per litteras prorex impulit, ut ad eum in Aethiopicum littus exponendum tres biremes rostratas suis sumptibus ornarent. Quibus post paschales ferias tertio nonas

Patriarchae socii ex Dio in Aethiopiam.

aprilis impositus Patriarcha cum sex sociis, Ioanne Velasco austuricensi, Bruno Bruni romano, Hierony*mo Lupo ulyssiponensi, Fran- f. 60,v.
cisco Marquio braccharensi, Ioanne Martinio complutensi et Emma-

nuele Ludovici ex territorio Conimbricensi, post decimum quartum diem Socotoram est delatus et sequenti, in quam sabbatum inciderat, sub auroram, cum Dii, ex voto Magnae Matri a Capuccinorum Caenobiarcha pro Patriarchae expeditione litabatur, trierarchus praeter morem evigilans et ad proram accedens, mare vidit ex aquae in vicinam rupem repercussu efflorescere conversionemque inclamans, navigium alias refractarium, illico sensit miro obsequio in adversum flecti et latentis saxi insidias evitare.

Erythraei maris fauces superantur.

7. Aquatione per biduum facta, undecimo kalendas maii vela in Erythraeum mare convertimus, a quo, cum post nonam diem se longius adhuc abesse triremis magister putaret, inopinato ad vesperam nobis illius fauces aperiri coeperunt, easque suspensa e puppi cerei per noctem collucentis loco Beatissimae Dei parentis imagine et decantatis ad musicorum instrumentorum concentum, ipsius rogationibus et Hebraeorum in eodem pelago, demerso Pharaone, epiniciis: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est: equum et ascensorem deiecit in mare* (1), festive, festineque in ipso conticinio tumentibus apte velis, inter obiacentem mediis in faucibus insulam et laevam Aethiopiae oram, transmisimus, incerti ubi nobis exscensus in terram esset faciendus. Illud enim tantum patres Aethiopici per litteras in mandatis dederant, ut Baylurium, ad sinistram discretum triginta sex milliaribus a Rubri freti augustiis, quaereremus ibique dimissos ab se nuntios inventum iri. Biduum collectis velis mare hac illacque sulcavimus, et a meridie exploratorem arabice callentem in terram emisimus, qui quaternas celoces arabicas illuc ex adverso Moquae littore negotiandi causa advectas, se prae metu nostrarum navium rostratarum et remis instructarum, mercibus in terram emissis, levantes, et fugae praeparantes timore liberavit; dicens tres illas naves indicas aquae penuria illuc pervenisse, illam velle collatis muneribus haurire et viam pacifice emetiri. Loci praefectus (Xequem dicunt) ex ea, qua premebatur, an-

Baylurium in regno Dancalino tenetur.

f. 61. xietate respirans, *se quidquid aquae opus esset praebiturum pollicitus, dummodo accepta quam primum facesserent, obsides offerebat. Eos tamen explorator recusavit, se, data fide, navibus in diem proximam terrae applicandis obstringens. Et per noctem explanate eidem aperuit, patres, aethiopici Imperatoris magistros, ipsius ductu amice in eum portum deferri; iisque in terram expositis, naves extemplo

(1) *Exod.*, 15, n. 1.

in Indiam redituras. Omnem tunc formidinem praefectus exuit, et in naves, animi securus et fiduciae plenus, cum sene Furto (sic causarum cognitorem vocant) conscendit, a tribus annis mandatum se a suo Rege illos hospitio excipiendi habere affirmans, Furto contestante, se ante mensem ab illius castris discessisse et recens ab Imperatore id summa verborum contentione Regi commendatum.

Deductores missi a patribus aethiopicis.

8. Nec patres aethiopicos incuria cepit deductores praemittendi, sed tabellarius apud Tigraeum proregem, cui negotium ab Imperatore commissum, per duos menses haesit, et nobilis mahometanus insignis ditionis intra Aethiopiam praefectus, dancalini Regis sorori copulatus, cui prorex summam rei delegaverat, Regis offensionem veritus, quod germanae ignobiliores aliquot foeminas irreligiosa licentia superduxerat, moras interponens, excitandus fuit Pauli Nogueriae lusitani fremonensis, a Braccara Augusta oriundi, consortio, qui votis patrum serius in Regis castra sunt illati, et ab eo per dies aliquot velut in custodia detenti, tam ob stomachum in affinem, quam quod nolit suorum portuum et fontium in via notitiam Abassinis vulgari, ne umquam ab ipsis, eo incogitante, occupentur. Sed nos ea qualiacumque illorum adventus nuntia inter Baylurium et ipsa Regis castra exhilararunt.

CAPUT XV.

Patriarchae Dancalino regno excursus et ad Regem accessus.

1. Dancalinum regnum ab Erythraei maris faucibus in duodecimo *inter Aequatorem et Boream gradu incipiens ad decimum quintum in Adefali propugnaculum triginta passuum millibus a Maçua distans in Occidentem et in Austrum per mediterranea ad ducenta milliaria solo macilento et ubique glareoso, et solorum rhamnorum immanibus aculeis armatorum feraci, protenditur. Pauci torrentes exiguam inter montes planitiem hyeme irrigant, sed, illa exacta, aquam sub arenis occultant, quam iter facientes, illis manu egestis, scrutantur, ut sitim restinguant. Si quid liquoris alias per solitudinem exsudat, salsugine et amaritudine pallescit. Raro herbarum ridet amoenitas et ideo solius gregis caprini altrix humus paucos pastores (Biduinos vocant) ipsius lacte educit. Nec ullum glebae palmum per totos dies septemdecim, quibus regnum illud traiecimus, cuiusvis frumenti capacem offendimus; sed nec oppidum aliquod, verum tectas palea casulas et gregis custodum mapalia ex agrestis palmae foliis textili opificio coagmentata. **Dancalini regni situs et natura.** f. 61,v.

2. Tam Patriarcha quam socii regionis illius notitia destituti, commeatum, ubique non secus atque in Europa repertum iri reputantes, magnam illius, quam convehebant, copiam, a rectoribus collegiorum Societatis Iesu Baçainensis et Tannensis abunde erogatam, in navigiis reliquerunt; sarcinariorum etiam animalium inopia sunt **Cibi et iumentorum inopia laboratum.**

conflictati, cum enim pluribus egerent, quatuordecim tantum camelos conductitios reperere et ideo magnam allatae suppellectilis partem Baylurii missam facere sunt coacti. Non minor fuit in meritoriis ad equitandum iumentis comparandis difficultas vix sex asellis ad vicenos viatores in vices sustinendos inventis; ex quibus is qui forma praestabat, Patriarchae consignatus; sed cum capistro essent insueti, sessores non raro ad spinosos rhamnos et obviarum rupium mucrones affligebant. Sacra ipsa Ascendentis Christi die, quae in octavam maii incidit, itineri se dediderunt, et totas undecim ad eum locum, ubi Rex dancalinus eos praestolabatur, posuere; quanto cum labore facile illi erit coniicere, qui terrae asperitatem et caloris gravitatem mature *pensitaverit. Tantus enim vigebat ardor ut sigilla- f. 62.
rem cretam (*a*) intra scrinia multiplici tegumento munitam eliquaret. Solum per intervalla et plerumque montium saxis in speciem scoriae e ferrariis caminis emissae, partim cavatis, partim in cuspidem exacutis, inhorrescit. Cibus tenue oryzae demensum, salsamenti et condimenti nihil. Aqua ob salsedinem, et gravem odorem iniucunda nec satis larga. Fessos ad meridiem rhamnorum umbrae raritas, sub noctem dura flagrantis diurno sole terrae superficies excipiebat.

Agasones camelorum immanes et impudentes.

3. Molestiam super omnia exaugebat camelis ipsis tortuosior agasonum asperitas, et procacia, quos tamquam ministerii sui opifices videtur inurbanus Mahometes suae barbariae et turpitudinis haeredes ex asse reliquisse, ut plurimum passus esse credatur divus Ignatius, si nactus est decem leopardos his quatuordecim camelorum custodibus deteriores. Cum quibus dedolandis et condocefaciendis, ut multum Furtus laboraverit, oleum et operam perdebat. Erant enim insolentes, inhumani, impudentes, et in cunctos mille modis iniuriosi, nec a pugnis, colli ac tergi petitionibus, nec a suaviori bolo ab igne vendicando sibi temperabant. Quae omnia patienter devoranda fuere, ne ipsi pervicacia obdurati sarcinas in solitudine deponerent, aut illas quoquo vellent asportarent. Quod illis situm erat in proclivi cum ab initio totam vecturae mercedem collegissent nec aliter voluerint ullam nobiscum inire pactionem. Furto etiam suum nomen perquam commode congruebat, ob insatiabilem in nostris rebus exugendis aviditatem, quae ipsum impulit ut nobis viae monstratorem (nec sane inutilem ob insignem illius et abstrusae aquae notitiam) se adderet, et Regem ad petenda quae ipse

(*a*) In margine alia manu substituta vox « ceram ».

viderat, instigaret: quod ille saepius facere cum summa appetentia et animi abiectione non detrectavit.

Dancalini Regis germanus obviam procedit.

4. Rex Patriarchae et sociorum adventus certior factus, ex loco septem dierum intercapedine divulso in commodiorem et aqua saniori, quamquam sub arenis tumulata, abundantiorem se transtulit, et minorem natu fratrem ad eos excipiendos, seu verius ad expiscandum, praemisit. Vix enim in conspectum se dederat, cum do-
f. 62,v. nan*dorum sibi numerum mentionem intulit et aegre passus solvendarum sarcinarum cunctationem, ubi ad Regis stationem perventum est, statim illorum se fieri compotem postulavit, reiecto inter caetera elegantissimo diensis caelaturae scrinio, quod illic quinque aureis aestimatur, illudque gossipina tela aurei semissem non attingente permutans. Eodem Rex instituto pretiosa ex Sinarum regno munera contempsit, et quae usui esse possent in illis saltibus, telas contendit, verus pretii rerum, non ex vana opinione, sed ex naturae necessitate aestimator.

Patriarcha sub magni Patris nomine latebat.

5. Die postera mulas quatuor, pro soli modulo lepide instratas, Rex obviam misit, quibus impositi quatuor patres seniores gravius in suam praesentiam inveherentur inter quos censebatur Patriarcha magni Patris nomine velatus, sic enim per totum Orientem is, qui praeest, vocari solet: eoque vocabulo elusa fuit non solum Regis sed ducis mahometani et Nogueriae, quam ex Aethiopia advexerant, expectatio, cum missi fuisse dicerentur ad digressum Roma Patriarcham, sive Abunam, deducendum. Qui cum omnes eodem habitu, cunctis, scilicet, Societatis Iesu alumnis in India communi amictos cernerent, mirabantur deesse promissum ex romana curia Patriarcham, et rogantibus, quid illi actum esset, responsum dabamus, profectum Roma Abunam cum magno nostri dolore in media navigatione occubuisse; intelligebamus autem, omnino ad veritatis amussim, Iacobum Siccum episcopum Nicaenum, Roma dimissum, et in mari extinctum. Tum vero maior illos maeror invadebat, cum viderent ingentem bolum ex ipsis pene faucibus extortum; et se magnis, quae ab illo collecturi essent, muneribus frustratos.

Aula dancalini Regis describitur.

6. In cespititia et straminea, qualem fuisse dicunt Poetae primi Romanorum Regis, aula suae maiestatis ostentationem hospitibus facere Rex in animum induxit. Orbicularis erat figurae, foeni fascibus cincta et contecta; a solo tectum tam parum discedebat, ut Patriarchae, quem corporis magnitudo a coeteris distinguebat, necessum fuerit illud profundius inclinare, quam praefixae erga regias

personas urbanitatis regulae sacerdotibus praescribunt, *ipsa vero sic undique soli penetrabilis, et aurae perflabilis erat, ut intus nec boreas ipse manere posset nec vellet. Suggestus ex torrentis lapidibus compactus quatuor digitis a pavimento eminebat; eum vero ornabat exiguus tapes vetustate sic erosus, ut credi posset a cunctis ipsius maioribus extritus. Illum tegebat gossipio fartum eiusdem senii stragulum: quod cum postea nostris muneribus augustior Rex esset redditus, suumque suggestum, quod illi erat solium, iis convestisset, nobis substerni iussit, cum prius corio insideremus, et a nobis post modum inter instrata equi regii est conspectum, nec quidquam clitellarium instrumentum [*sic*] (*a*) dedeceret. Pensile et quadratum ex crassiori tela integumentum pulverem vetabat, ad dexteram sella argenteis fastigiis ornata visebatur, quam aliquando novitas et elegantia commendarunt. Laevam servabant duae non modicae cucurbitae, si non vino, eo tamen liquore plenae, qui gentibus illis instar est vini, eoque Rex non infrequenter linguam et fauces, ne forsan exarescerent, coram hospitibus imbuebat. Hae etiam erant tympana quae Regis ex suo tentorio sic annoso et fumoso, ut Ismaeli saracenorum parenti quondam potuerit inservire, egressum, et aditum in aulam paululum distantem praecinebant. Ubi enim illae procedebant, mox ipsius conspectus emicabat. f. 63.

Multa Rex concupivit, sed nihil violenter nec ullum vectigal extorsit.

7. Corporis status, oris serenitas et insignis despicentia, qua tenue munus ad obtinendum ingressum ex Orientis consuetudine oblatum (ampliori ad solutas sarcinas, et supellectilis excussionem reservato) irretortis oculis reiecit, ut nos ad maiora offerenda incitaret, Regem prodebant. Nec vero illa postmodum oblata magni visus est facere, non quod talia non essent, sed ut, ea repulsae specie turbati, numerum et pretium donorum augeremus, et ipse identidem ampliora petendi ansam haberet; quod strenue praestitit per totos septemdecim dies, quibus in illis casulis sumus demorati. Nos tamen, inter tot cupiditatis ictus, non exiguis beneficiis affecit; cum enim crederet, nos plura, et pretiosiora, quae vere defereba*mus, sacri cultus ornamenta et domus utensilia convehere, nullum scrinium reseravit, nullam sarcinam dissolvit, nullum vectigal exegit; cum si Maçuam illa inferrentur, vix duobus aut tribus aureorum millibus (ut periti aestimabant) essent redimenda. Quod magni beneficii loco ducendum, propensa gentis Arabicae cupiditate ex regionis tenuitate, f. 63,v.

(*a*) Legendum profecto « iumentum ».

in qua, decursis milliaribus ultra centum et quinquaginta, nec palmum vidimus, cui semen mandari possit, nec alia vivitur annona, quam carne, lacte et importato ex Aethiopia modicis follibus frumento.

8. Hic nos graviter coepit illius indigentia flagellare, quamvis Furtus antea frequenter polliceretur nihil alimentorum in regiis castris defuturum. Si in milii follem vix modii semissem capientem incurrissemus, albae nos fortunae filios credebamus. Illud vero ne raptim absumeretur, genium fraudabamus, elixo vel ad ignem tosto parcissime victitantes, et aliquando, sola farina pastis, deerat quod esset commanducandum. Carissime nobis omnia ab incolis vendebantur, hanc optimam adeptis occasionem, ut se pannis, quos celare non poteramus, explerent. Et cum credito isthic apud ignotos oculatas manus habentes non vivatur, cibi demensum arctius, quam in navibus fieri solet, opus fuit decurtare.

Fame hic graviter laboratum.

9. Pridie supremum digressum Regi placuit ut Patriarcha, ob tituli Magni Patris excellentiam, suo equo basilice instrato ab ipsius tentorio ad nostrum veheretur. Quem honorem adeo exaggerabat ut negaret umquam illum fratrem suum inscendisse; illumque obstinate restitantem ea verborum machina deterruit: velle se ut Imperator aethiopicus agnosceret quanto ipse in pretio patres et ipsius magistros haberet. Invitus itaque Dancalini Alexandri bucephalum, late resonantibus tintinnabulis, inaurato fraeno, phaleris, ephippiis et monilibus praefulgentem, stipantibus hinc inde sociis, insedit; torrentemque, quod solum erat stadium, triumphali plausu percurrenti quidam ex ipsis in Mardochaeum equitantem versus, opportune suggessit: *Sic honorabitur quemcumque voluerit Rex honorare,* in ludibrium vertens, scenicam illam gloriam, quam Rex et ipsius optimates, inter silvas enutriti, opimam arbitrabantur.

Patriarcham suum equum insidere Rex coegit.

f. 64.

CAPUT XVI.

A Dancalino Rege discessus et in Aethiopiam ingressus.

1. Dancalini Regis castris quinta nos iunii dies emisit nihilo iumentis cursoriis vel onerariis auctiores; nam strigosum tantum et capularem mulum Rex adiecit. Sed Paulus Nogueira lusitanus fremonensis, qui ad excipiendum Patriarcham dimissus fuerat, illi privatim agnito mulam obtulit, quin illam vel quodvis aliud iumentum deinceps conscendere voluerit, cum diceret, patribus pedestre iter emetientibus, indignum fore si ipse equitaret. **Lusitanus Patriarcham mula donat.**

2. Post aliquot dies ventum est ad viciniam salinarum, ex quibus in totam Aethiopiam sal securibus exsecatur, ipsas crassae nebulae incubitu ad dexteram indicante. Quidam ibi tractus occurrit rubicundo sale et ad medicinas valde expetito concretus, quem opus est noctu traiicere quod interdiu tantus ibi calor exaestuet ut viam facientes et iumenta incenso halitu expirent, et calceamenta, quasi prunis essent imposita, comburantur. Hoc iter a nobis decursum est a tertia post meridiem hora, quod tunc satis commode solem nubes interceperint, usque ad diei sequentis auroram, tribus tantum exiguis intervallis ad quietem sumptis, quantum satis esset ad camelos, sarcinis depositis, perflandos et, iterum restitutis, fortius in viam impellendos. **Solis torritorium.**

3. Cum igitur antelucano tempore totum salis tractum praetergressi essent, a conscio admonitus Patriarcha, laete exclamavit: Eia agite, o socii, Deo immortali gratias reddamus, qui nos iam in **Lux antelucana Aethiopiam praemonstrat.**

Aethiopiam invexit. Vix dictum, ad dexteram, ad quam Aethiopia diffunditur, stella obiicitur luna grandior et fulgentior, quae tamdiu immota, quamdiu dominica oratio et angelica salutatio recitari possent, totum orizontem splendore et nostrum animos laetitia et admiratione complevit. Nec defuit qui diceret, talem esse debuisse stellam illam quae Magos ab Oriente in praesepe Bethlemicum vocavit, nec qui illico adiiceret, indicem et arrham esse Beatissimae Virginis, quae se illa luce ad auxilium et favorem promovendae expeditioni adeo gloriosae foenerandum, instar aurorae procedentis, ad perfectam diem oppigneraret. Mox hymnum *Ave maris ste*lla* f. 64.v.
et antiphonam *Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix* cum subnexa ipsi oratione, quanta potuimus alacritate pronunciantes, ostentum illud habuimus catholici fulgoris in Aethiopiam (utinam cum firmitate!) irrumpentis.

Lux eadem Fremonae visa et sonitus auditus.

4. Piam hanc opinionem roboravit id, quod postea rescivimus, eadem die (quae sacra erat apostolo Barnabae) et temporis articulo, Fremonae quae olim sub divo Frumentio et nunc post patriarchae Andreae hospitium, metropolis est in Aethiopia catholicae fidei, aerem insolito fulgore illustratum, ad sui conspectum non solum viros extra domum palantes, sed foeminas intus inclusas evocasse, auditumque insuetum, tamquam bellici tormenti, sonum, quem non pauci duxere militaris alicuius machinae apud Maçuam, quae inde distat centum et quinquaginta milliaribus, displosionem; credique potest, Andream patriarcham, qui suis meritis et precibus incolumem accessum suo successori et sociis a Deo impetravit, facem illis inde protulisse et edito fragore significasse, aethiopici schismatis memoriam, ut est in Psalmo, *cum sonitu et tumultu perituram* (1) totamque illam regionem Patriarchae ingressu commovendam.

Amissae viae et extremae sitis pericula.

5. Diem illam, quae omnium laetissima affulsit (quae est humanarum rerum vicissitudo), tristius omnibus anteactis subsecutum est periculum et matutinam lucem meridianae tenebrae obruerunt. Paulo post solis exortum, in montem accessimus ferreis excrementis formidabilem: ibi nos, nescio quis mahometanus viae peritus admonuit, ut, relicto camelorum itinere, compendiariam viam sectaremur, quae nos citius ad perennis aquae puteum esset deductura. Rati unum vel ad summum duo esse milliaria, missis camelis, semitae nos commisimus, nulla aquae quae, illis vectabatur, habita ratione. Sed compendium illud tanto nobis fuit dispendio, ut ultra octodecim milliaria

(1) *Psalm.* 9, n. 7.

a comitatu dissiti processerimus, nec aquae guttula inventa, qua sitim nos extinguentem et viae duritia et meridiani solis radiis gliscentem extingueremus. Huic malo accessit mahometani anteambulonis a nostro conspectu digressus, qui nobis extremam perniciem apportabat, urgente siti, quin alter mahometanus duos aquae utres asello vehens, ut illius guttam affunderet, prece vel pretio posset exorari, aliquibus ex sociis et familiaribus prae debilitate et aritudine se in aliquas obiectae terrae devexitates, quasi in sepulchra,
f. 65. reclinantibus. *Hic caeteris viae incertis, subitus Patriarcham spiritus ardor retrorsum in montem abduxit, iis rubore magis quam iudicio secutis. Cum post brevem moram homo ignotus occurrit, habitu quidem mahometanus, sed officio Dei angelus, qui manu molliter protensa nobis ut ipsum sequeremur annuit, non sine aliquorum religione, ipsum nos velle in insidiam trudere, suspicantibus. Sed, modico intervallo decurso, nos ad pellucidae aquae puteum perduxit, illi non absimilis, de qua divinus Psaltes, ob dulcedinem et sedatum opportune in summa necessitate et eremi siccitate calorem, *petram de melle* appellavit, ut probati auctores interpretantur (1). Ad quam ubi fuimus appulsi, en repente ex nostro comitatu adolescens exanimis in terram devolvitur et mortuo similis iacet, donec, infusa guttatim in os et guttur aqua, respiravit; et dubio procul obiret, si eum illud animi deliquium longius a puteo invasisset.

Campus a Gallis caesorum ossibus plenus occurrit.

6. Inde aquam iis submisimus, qui in via semianimes remanserant, eosque paulatim summo cum gaudio collegimus, moerentes interea ob trium defectum, quos nobis prima, cum camelorum sarcinis, nox reduxit. Celeriter inde convasavimus, ne Gallis, inhumanae nationi, et Imperatori semper rebelli, praedae essemus, qui illuc saepius ventitant ad occupandos viatores aquae gratia in eum puteum confluentes. Licet autem nervos omnes intenderemus, ut nocte traiiceremus campum, frequenter ipsorum latrociniis infestum, superare non potuimus, nisi die sequenti, tertia post solis egressum hora; illumque invenimus eorum ad centum et sexaginta cadaveribus conspersum, qui ante viginti dies salem exportantes, in eorum feritatem inciderunt, et ex recentibus gregum vestigiis eadem nocte illac transiisse deprehendimus. Nos, actis Deo gratiis, in montana quorum ipsi insolentes sunt, conscendimus, et reliquum illius diei corpora et iumenta refecimus, secura iam et iucundissima praeteritorum laborum memoria recreati.

(1) Divus Chrysost., Euthym., *Psal.* 80, n. 17.

Amoenissimi fluvii decursus.

7. Insequenti nocte in aliam planitiem contractiorem, a Gallis etiam excurri solitam, descendimus, et post solis ortum in amoenissimum fluvium, non admodum profundum ex Aethiopiae montibus descendentem et vitreis ac praefrigidis aquis conspicuum et herbis odoriferis, ut ocymo, pulegio aliisque nobis ignotis vernantem, devenimus. Cuius ripas vestiebant palmae dactylis praegravatae, et sycomori, quae idolorum arbores in India vocantur, quod universim suorum idolorum vestibula patulis ipsarum *ramis opacentur. Ipsas f. 65,v. vero decurrebant innumerabiles simiae festivis gesticulationibus novis hospitibus alludentes. Per duos dies fluminis oram legentibus auspicatior fuit hora pomeridiana secundi, qua in hominem ex Aethiopia dimissum incurrimus, qui nuntiabat, die postera patrem Emmanuelem Barradium affuturum. Ergo per noctem ducis cuiusdam mahometani praefecturam emensi, quod illi antiquae essent cum nostro deductore eidem vicino simultates, tertia diei sequentis hora tentorium fiximus ad radicem montis Senafei, unde ipsius deductoris ditio inchoatur; ad quem usque limitem camelos conduxeramus, cum montem illum, ob altitudinem et praeruptos hiatus, conscendere non possint.

Pater Emmanuel Barradius catholicorum globo stipatus, occurrit.

8. Vix castrametati eramus, cum ad nos appulit pater Emmanuel Barradius, secum deferens Ascam Gueorguis Ambae Senetae praefectum, Imperatoris consobrinum, et imperatoris Malac Seguedi nepti collocatum, et Apta Iesus, dictum Samagarad, quod iam Samae ditioni, quae inclyta est, praefuisset, unum e duobus antiquioribus Aethiopiae catholicis, divitiis et liberalitate praestantem, qui patribus, ad sustentandos hospites, quadraginta frumenti sarcinas contulerat, Xumum Seth, plures Lusitanos Fremonenses et cum iis quemdam ex familia Ras Selâ Christôs, cui ille in mandatis dederat, ut imis Patriarchae, primum visi, plantis oscula libaret. Hi singulis illius sociis mulas singulas, ipsi vero exortem, obtulerunt, qua ubivis gentium magnifice procederet. In hoc apparatu desideratus fuit, cum magno sui dolore prorex Kabâ Christôs, ab Imperatore in curiam accersitus, sed nulla re defuit ipsius uxor et domestici, quibus id negotii gnaviter ab illo commendatum. Hoc veluti tumulo dicere possemus conditas fuisse vaccas macilentas, et pingues inde excitatas, et davidicum illud possemus intonare: *Laetati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti* (1).

(1) *Psalm.* 89, n. 15.

CAPUT XVII.

Patriarchae Fremonam usque progressus et in regiis castris ex ipsius accessu laetitia.

1. Patriarchae in christianorum regionem et suam ecclesiam iam illato et congruentem comitatum nacto, visum fuit, sociis urgentibus, vulgarem habitum personamque deponere, et episcopalibus f. 66. indu*mentis cohonestari. Cum quibus ubi se visendum dedit Lusitanis, et catholicis ipsum stipantibus, ii lacrimas, ex voluptatis redundantia scaturientes, continere non potuerunt, cum id coram viderent, in quod ipsi et ipsorum parentes desideriorum suorum sagittas collinearunt. Decima septima iunii dies agebatur, cum Senafei montis ascensus tentatus, quem ii, qui paulo ante Serratum, Pyraeneos, Alpesque transierant, multo celsiorem et accliviorem censuerunt, agrestibus tamen cedris aliisque arboribus non admodum proceris, rosis simplicibus et diversis floribus abundat. A summitate vasti in planum tenduntur agri frumenti cuiusque generis effuse feraces.

Communem habitum Patriarcha deponit, episcopalem assumit.

2. Primam noctem duximus in Agamea, quae amplissimum habet in Tigraeo regno territorium; eiusque Gubernator pontificiam coenam praeparaverat, vaccis, ingenti placentarum numero, multis mellei vini amphoris et pluribus sicerae, quam Savam dicunt, cantharis affluentem; secundam bene pasti sub tentoriis transegimus; tertiam apud Ascam Gueorguis praefectum Amba Senetae, cuius supra facta mentio. Inde egressos in media via solemni epulo tam-

In Agamea pernoctatum.

quam alter Abrahamus vel Tobias pene coecus prae senio, excepit Ludovicus Machiadus, natus Francisco Machiado conimbricensi, qui olim Andreae patriarchae comes adhaeserat. Quartam duximus in oppido Adecorro, Fremonensi residentiae attributo. In quam et in Andreae patriarchae conditorium, mole parvum sed virtutibus inclytum, nos sequens dies, quae erat iunii vigesima prima, induxit Hic longae viae quies, haec meta laborum, de qua tunc ad socios lusitanos sic scripsimus.

Frustulum epistolae Patriarchae.

3. *Exploratum nobis est pericula, inediam et viae, quam exanthlavimus, difficultates, reverendis admodum Patribus et dilectis in Christo Fratribus Conimbricae atque Eborae commorantibus (quibus in collegiis nobis fuit per annos triginta domicilium) amplius invidiae parituras, quam satiem et quietem qua sumus in Aethiopia perfruiti; et multo maiorem subituram, si experimento didicissent quos spiritualium consolationum congios, inter arenarum cumulos, cautes et spineta, Deus invergat, et quantam oblivionem recreationum, amoenitatum et dubiarum Lusitaniae mensarum coelestes hae potiones adducant. Quibus mei sodales, se minimam earum voluptatum* *in* f. 66,v. *summa egestate et afflictionibus haustarum, guttam nequaquam permutaturos, constanter asserebant. Quae sententia non solos patres ac fratres socios tenebat, sed et adolescentes assectatores, quamvis eorum aliqui infirma essent valetudine, et in Indiae collegiorum seminariis, cum ibi essent praecentores laute, vel in maternis domibus, inter omnes cupedias genialiter educati. Sic enim diem solidum fame et siti enecti, sed laetitia perfusi per saxosa itinera tunc visu nunc recordatione deformia, pedestri gradu incedebant, ut illum mihi moerorem expungerent quo non mediocriter urebar, dum illos adeo maceratos contemplabar, ut vereri possem ne dicerent, sibi me imposuisse et aeramentum pro auro subiecisse. Sed ipsi me in falsam opinionem trudi demonstrabant et se ampliora promissis colligere, et gressus celeritate et vultus hilaritate comprobabant.*

Qui a Deo portantur viae laborem non sentiunt.

4. *Hic nos optima rerum magistra experientia edocuit quanta nostrae naturae sit potentia (licet ipsam plerumque imbecillem nominemus), si Deus utramque viae paginam faciat* (1). *Qui enim in Lusitania vix unum milliare, aut illius dimidium, pedibus superare valebamus et ipso itineris aspectu exanimandi censebamur, super alas aquilarum elevati, sic contra omnia terricula fortes evasimus ut nulli malo cederemus, sed contra audentiores contenderemus. Mihi (ut in-*

(1) *Exod.*, 19, n. 4

genue fatear) toto viae decursu, nec a sole, nec a solo caput aut pes doluit; nec memini unquam tanta me potitum incolumitate. Unus ex sociis, cui, ob corporis tenuitatem, valetudinarium frequentanti, superiores Conimbricae plures immunitates concesserant, nec philosophiam potuit manu propria conscribere, potiorem huius itineris partem pedes ac sine calceis reliquos praeibat, cum sine ullo obsonio praeparce milio incocto, sed gratius quibusvis bellariis et cupediis, vesceretur; hoc ut sit argumento nos a Deo coelestis auxilii pabulo, sicut israeliticum populum in eremo per annos quadraginta manna pluviali, sustentatos. Sed ut ille, mox ubi promissae regionis fruges gustavit, expertus est sibi coelestem illum victum deficere, sic aliqui ex nostris, quos viae asperitas duraverat, cum Aethiopiae saturitati et quieti se dedidissent, morbis, quamvis levioribus, tentari coeperunt.

Aethiopia non adeo foeda est ut in Lusitania pingitur.

5. *Aethiopia, Patres admodum reverendi, non illa est, quam* f. 67. *ibi ani*mo delineamus sed (si Lusitaniam non superat) sufficienti amoenitate et aeris salubritate praestat. Cuius habitatores si acrius culturae studium acueret non solum nihil deesset, quo vitae necessitati consuleretur, sed multum deliciarum superesset. Multiplici frumento, armentis, gregibus, melle, lacte et butyro abundat. Quod si antiqui nostrae familiae principes nec tosto ad ignem hordeo famem sedare poterant, id bellorum tunc saevientium importunitas effecit. Et nunc vere dici licet: « Alii laboraverunt et nos in labores eorum introivimus* (1); et: *Cum laetitia metimus segetes, quarum ipsi multo cum ploratu semina terrae mandaverunt* » (2). Sic nos in illa epistola.

Nuntia de Patriarchae adventu castra plurima exilararunt.

6. Baylurio dimissus nostri adventus ad Imperatorem nuntius, ipsum, et ipsius castra non mediocri laetitia respersit; sed Dancalini regni cunctationes Mahometanorum perfidia et regionis inclementia nonnihil timoris affuderunt. At cum renuntiatum fuit, omnes Fremonam incolumes appulisse, et ibi exarata Patriarchae epistola a patre Antonio Fernandio, vicarii generalis munus obeunte, Imperatori oblata esset, erectis ipse in coelum oculis: *Nunc dimittis servum tuum Domine,* ad Simeonis exemplum, ter et amplius pronunciavit, cum insomnes quatuor noctes proximas ob nuntiorum tarditatem traduxisset. Illico regni proceres in aulam accivit, ut cum iisdem tantae voluptatis gratiam communicaret, et inclyto senatori Tecla Selasse Tino, suorum arcanorum participi, mandavit, ut in

(1) *Ioann.*, 4, n 33. — (2) *Psalm.* 125, n. 6.

regiae domus vestibulo, universo populo ad tubarum et tympanorum pulsum evocato, communis laetitiae causam, publici praeconii ritu, in hanc formam evulgaret.

Praeconio Patriarchae adventus denuntiatur.

7. *Primum Aethiopia sanctae Ecclesiae romanae matri nostrae medullitus cohaesit; sed hanc coniunctionem Eutyches et Dioscorus abruperunt, et nos ab illius gremio et obsequio alexandrinos errores et Patriarchas secutos depulerunt. Nunc illis in perpetuum nuntium remittimus et aeternae oblivioni mandamus, et in romanam fidem toto conatu velificamur. Omnes igitur nostrae laetitiae consortes estote; adversarii vero in moerorem et confusionem praecipitentur.* Hoc praeconium consecuta est omnium ordinum in laetitiae et voluptatis consensum, acclamatio et timpanorum, tibiarum ac tubarum pulsatio in longum protracta. Universi etiam primates, ac militum duces optimis induti vestibus obequitantes, varios ante regias fenestras discursus atque gyros pere*gere ipsorum maeandros associante laeta f. 67, v.
fistularum displosione. Patriarchae familiarem evangeliorum nomine Imperator sexcentis aureis donavit; tercentis Ras Selâ Christôs, Damotum Prorex Buco insigni mulo regifice ornato, centenis aestimato. Ad hyemem transigendam Patriarchae centum boves et tercentena frumenti onera tributa.

Pontificalia Fremonae celebrata.

8. Die sacra Apostolorum principibus Petro et Paulo divina officia pontificali paratu ad solatium catholicorum, regnum Tigraeum incolentium, Patriarcha administravit, ipsis undique Fremonam turmatim confluentibus et romanae Ecclesiae maiestatem, in tanto mysterio celebrando, admirantibus. Multos quoque per illam hyemem catholicae fidei calor animavit, egregiam operam praestantibus octo e Societate, qui tunc aderant, patribus, nec suam subtrahente Patriarcha, cum non paucis videretur, se non plene ab avita perfidia discedere, nisi illam ad ipsius pedes tumulassent.

f. 68. # EXPEDITIONIS AETHIOPICAE
LIBER SECUNDUS

CAPUT I.

Patriarchae in Dambeam discessus et cum Imperatore congressus.

1. Hyemem Aethiopiae iunius advehit, september extinguit; viae tamen a regno Tigraeo in Dambaeam capessendae incommodi sunt october et maxima pars novembris, quibus si quis eam aggredi tentaverit, oportet prius cum Libitina et Orco habere rationem, ob noxios halitus ex locis palustribus, et putrescentibus herbarum culmis, solis inter montana ardentius saevientis fervore concitatos et nulli non letales. Quam ob causam Patriarchae, senescente iam novembre, iter fuit aggrediendum, cum iam prius septembri (quo tempore in Aethiopia Reges solent ad bella procedere) Imperator ad Semenis montes castra movisset, ad fraenandos Falaxas, sive Iudaeos, ex iis confines agros clandestinis praedationibus infestantes. Fratrem quoque Ras Selâ Christôs in Amarae regnum dimiserat ad bellum cum filio Capraelis terminandum.

Imperatoris et Ras curae de Patriarchae itinere.

2. Quas inter curas illam, quae ipsum prae ceteris urebat, Patriarchae tuto deducendi Imperator non deposuit, eam provinciam demandans sororis nepoti Asca Gueorguis, Ras vero Selâ Christôs

senatori Lessana Christôs suorum negotiorum in curia actori: quorum totum munus erat, illius et comitum latera vallare et commeatum undique concire. Stipatorem se adiungere totis votis optavit prorex Caba Christôs, sed obstitit Imperatoris mandatum, ad Semenis bellum anticipato accersentis. Mulam tamen argenteis phaleris et ephippiis instratam Patriarchae obtulit, quam ipse non neglexit, argento tamen exauctoratam, quod ipsius instituti rationem illa ornamenta decolorarent. Cum summum Lamalmonis verticem, ultimam Tigraei regni metam et Dambaensis initium, tenuisset, ab Imperatore duorum dierum intervallo inde distanti, iussus est salutari, ibidemque fausta nuntia excepit filii Capraelis a Ras Selâ Christôs auspicato debellati. *Post biduum ad Cambinum obvios habuit patrem f. 68,v.
Emmanuelem Almeidam visitatorem et suum quondam in Conimbricensi tyrocinio commilitonem, patrem Antonium Fernandium Ulyssiponensem et coeteros patres Goiamenses suis residentiis ad illum occursum egressos.

Patrum Societatis Iesu in Aethiopia laborantium illustris commendatio.

3. Quos ubi est amplexatus eorumque maciem, attritas vestes et circinatam ad modestiae normas totam corporis compositionem est contemplatus, illud dixit quod Iacob cum in confertos angelorum globos esset illatus: « Castra Dei sunt haec » (1) et cum praesentia rerum aestimationem deterere soleat (maior enim rebus e longinquo reverentia, sicut depictae tabellae, si propius inspiciantur, terrei sunt colores, si a longe divorum atque heroum imagines), postquam illos lentius introspexit, liquido agnovit lectissimum hunc esse totius Societatis fasciculum, ex odoriferis omnium virtutum floribus compactum, genuinumque ipsius spiritum nullibi gratior vernare. Si quid vero in ipsis est humanum, similes videntur militibus Gedeonis (2), qui altera manu evangelicae praedicationis tubam, altera urnis fictilibus lucem id est romanae fidei veritatem fragilibus corporibus inclusam ferentes, et illa continuis laboribus conterentes, eamdem in extremos Aethiopiae fines diffuderunt. Plurimum illi quidem sua doctrina, sed multo amplius illibatae vitae exemplis effecerunt. Scio dixisse saepius Imperatorem, virum non minus iudicio quam sceptro supra coeteros excellentem, se per multos annos ipsorum vitam et conversationem expiscatum, nec minimum naevum in iis dispexisse, quod ipsum induxerit, ut statueret, nutare non posse illam fidem, quae tam firmis operum caementis niteretur.

(1) *Genes.*, 32, n. 2. — (2) *Iud.*, 7, n. 16.

Patres aethiopici post exilium Indiam condierunt.

4. Illorum in cunctis eminentiam commendat, quod, cum ipsos fatua insulse Aethiopia tanquam sal evanidum foras proiecerit, sua religione ac sapientia toti Indiae fuerint condimento. Illam enim p. Emmanuel Almeida rectoris Goani collegii, provincialis et visitatoris titulis illustravit; et cum ad idem munus iterum obeundum a reverendo admodum patre nostro Vicentio Caraffa electus esset, et is a patentium litterarum ad illud subscriptione prima sui Generalatus auspicia sumpsisset, eae Goam advectae, ante tres menses tumulo conditum invenere; p. Emmanuel Barradius idem collegium, et Goanam ac Cocinensem provincias est moderatus; p. Didacus Matensis collegium Salsetanum, Goanum tyrocinium et collegium,
f. 69. in quo ad proximam provinciae admi*nistrationem in schedis designatus, decessit; p. Franciscus Carvalius prius collegium Diense, mox Salsetanum, tandem Goanum direxit, Romam procurator antea dimissus ad congregationem generalem. Quo iam expeditus fuerat p. Hieronimus Lupus, qui deinceps factus est rector Baçainensis, Goanae domus professae praepositus et provincialis destinatus. P. Ioannes Sousa rector Ciaulensis et Damansis, nunc Goanus. P. Damianus Calaça, rector nunc Tannensis. Caeteris in hoc exilium compulsis vita, non potiores administrationes defuerunt.

Ganetam Iesu accessus,

5. Septima decembris dies omnes intulit in templum et domum Ganetae, idest Paradisi, Iesu, nuper ab Imperatore ad romanum exemplar aedificatam, quam p. Ludovicus Azebedius, religione et senio gravis curabat, et irrigui soli amoenitas suo dignam nomine reddebat. Patriarcham triduo illic commoratum eae, quas gleba edit, et gentis artificium elaborat, cupediae non defecerunt; exemplo caeteris praelucente Oleta Gueorguis imperatoris Malac Seguedi filia, quam magnam Dominam dicebant, et Ite Amata Christôs huius imperatoris sorore patruele, omnium Aethiopiae foeminarum opulentissima, aliisque consimilibus, quae ad libandam novitatem et poscendam benedictionem accurrerunt.

Gorgorram inde progressus.

6. Inde Gorgorram, unius diei itinere ad Austrum dissitam et Dambaeae paludi pene impositam, Patriarcha contendit, obviam prodeuntibus clericis et monachis novem vel decem ecclesiarum, praelato suarum crucium insigni, thuribulis et ex serico umbraculis, cum festo tympanorum sonitu, sistrorum tinnitu psalmorumque concentu. Auxit laetitiam p. Ludovicus Cardeira, Gorgorrensis seminarii institutor, cum suis alumnis, elegantiorem cantum iam edoctis, aliquantulum progressus, et Zachariae canticum cum iisdem festive

modulatus. Hic patrum consessui Patriarcha interfuit et in eo de illius ecclesiae et conversionis progressu graviter agitatum, et ante omnia constitutum ut ordines quam primum celebraret, et ob probabile dubium de iis inutiliter collatis a praesidibus Alexandrinis, eos sub conditione impenderet (1). Quod illico actum est proximis decembris temporibus, in quibus plurimi ad minores ordines, viginti ad presbyteratum sunt promoti. Ex quibus aliquot coniugatos admitti necessitas coegit: *cum enim omnes (quam paucissimis exceptis) graeca matrimonii licentia uterentur, infinitis propemodum ecclesiis esset subveniendum, ad quas moderandas coelibes ministri vix multis annis instrui poterant, commodum ac prope necessarium visum est antiquis connivere, ne, si omnes simul damnarentur, vulgus diceret, nullam sibi partem esse cum Romanis, sicut nec ipsis esset cum Abassinis; praesertim cum non esset omnino indubitatum eos ordinibus carere, ut eo titulo ab altaris ministerio, cuius gaudebant possessione, viderentur exigendi. Omnibus tamen tunc primum ad ordines allectis et iis, qui in posterum essent allegendi, denuntiatum, deinceps nulli uxorato divinorum altarium aditum permittendum.

Actum de ordinibus conferendis.

f. 69,v.

In regia castra accersitur Patriarcha, an. 1626.

7. Omnibus quibus potuit actibus connixus est Imperator, ut se ad excipiendum Patriarcham a Semenis adversus Iudaeos bello expediret; ipsumque admonuit, ne usque ad suum in curiam regressum Gorgorra discederet seque adventus sui nuntium opportune missurum. Citius Ras Selâ Christôs praecucurrit, nullas enim moles obiectas ipsius ardor ferebat, sed retardatus ab Imperatore, graviter ferente eam voluptatem ab eo praeflorari et sibi quodam modo auferri, prope Dancazium consedit. Rebus igitur non omnino firmatis, sed utcumque compositis, ineunte februario anni millesimi vigesimi sexti, Dancazium se recepit, unde dynastis omnibus, viris litteratis et caenobiorum praefectis in unum collectis, senatorem maximum dimisit, qui Patriarcham suo nomine accersiret et deduceret. Prima mansione pernoctatum est ad radices montis, in cuius summitate ad mediam planitiem situm est Dancazium, septem vel octo Societatis Iesu patribus honorariam illam pompam cohonestantibus.

Aulicorum ornatus.

8. Sequenti die, quae septima erat illius mensis, superatis ascensus difficultatibus, mirum in modum acclivibus et praelongis, ventum est ad planitiem, ubi ad sesqui milliare a regiis castris praesto

(1) Lib. 1, cap. 7, n. 8.

aderant clariores dynastae, flos ipse curiae, cum viginti aut triginta militum cohortibus, in quibus dena, quina, vel sena armatorum millia censebantur; qui omnes, tam equites, quam pedites, optima quaeque in eam pompam ornamenta et arma selegerunt. Dynastae, chlamydes scutulatas, undulatas et phrygiatas more turcico; inferiores,
f. 70. byssinas ves*tes ex India, qua caeruleas, qua purpureas, qua polymitas et tessellatas, qua ex tenuissimo filo candidas, quibus ditiores, aureas torques et ponderosa e collo vellera apponunt; vermiculata cingula substringunt, bullatos ab humero baltheos cum latis gladiis demittunt; tornatas ex auro lectissimo armillas inducunt, et alia vilioris materiae sed accuratioris elegantiae brachialia. Equos generositas commendabat, phaleras, calcaria et ephippia, eorumque partes, antica et postica, nostris multo celsiores, argento interrasili et versicolori serico radiabant. Praestantiores huius pompae partes sumpserant princeps et imperii haeres Faciladas vel Basilides, Claudius ipsius germanus, Ras Selâ Christôs, Ras Emana Christôs, Imperatoris uterini, Melcha Christôs ipsius fratruelis et aeconomus, quem dicunt Bellatinam Goita, Caba Christôs et Za Christôs proreges, ille Tigraeus, hic Bagamedrinus, Buco Damotum gubernator et plures alii duces ac senatores.

9. Omnes, ubi Patriarcham propius successere, ex equis capite et toto corpore profunda inclinatione deiectis, in duas acies ad dextram sinistramque bipartiti, lunato ambitu medium habuerunt, terga tegente cum fidentissimis Ras Selâ Christôs, ne quis haereticus in tanta multitudine, fugae obtentu, communem laetitiam insolenti aliquo ausu disturbaret. Omnium ordinum consecuta est ovatio: aer vocibus, colles et montes laetis plausibus et tympanorum atque tubarum clangore resultabant. Sic ventum ad tentorium, ubi Patriarchae exscendenti viatorius habitus laxiorum fimbriarum paludamento et pontificali galero, ex romani caeremonialis praescripto, commutandus. Ad dextrae osculum hic provoluti principes ac dynastae, et inter eos alacrior Ras Selâ Christôs, pede, non tamen fide, claudicans, ex consueto podagrae assultu et nupero ferocientis equi calcitratu. Ut tamen podagra pes tardaretur, nulla manum chiragra praeligabat. Praestantem enim mulam paraverat, ornamentis sericis instratam et argento phaleratam, quam cum Patriarcha vultus austeritate respuisset, ille summa libertate et auctoritate sic est elocutus: Non haec Alphonso, sed Patriarchae offeruntur; imo non Patriarchae sed sanctissimo domino nostro Urbano papae VIII et divo

Occursus et manus osculatio.

Ras Selâ Christôs erga Patriarcham auctoritas.

Leoni. Ut *eorum personam refers, sic delatos ipsi honores patienter f. 70,v.
sustineto. Nihil est totum id, quod tantis personis ex debito offerimus, nihil admittis, si hoc ipsorum nomine admittas.

Candidus equus conscensus ad caeremonialis edictum.

10. Parendum fuit interea, dum ad secundum tentorium in confinio castrorum fixum accederetur: ubi sumptum pluviale et tiara. Hic, mula demissa, in equum niveum amplis ex holoserico candido dorsualibus et regificis phaleris ornatum (Imperatoris donum) conscendit, baldachinum hinc inde sustinentibus sex proregibus ac dynastis et equum a freno praeducentibus Sarsa Christôs et Melcha Christôs Imperatoris fratruelibus et regiae domus aeconomis, non sine ingenti invidia Ras Selâ Christôs, a quo locum illum non calcitrantis equi impetus, sed, ut ipse querebatur, invidentis fortunae livor subtraxit. Inter faustas omnium acclamationes, cantorum psalmos ad suos numeros modulantium melos audiebatur, et varii in multorum vultibus affectus renidebant: laetitiae et tripudii in veris catholicis et romanae fidei amatoribus, ruboris et tacitae indignationis in iis, quibus adhuc Dioscori et Eutychetis deliramenta et Alexandriae somnia arridebant.

In praecipuum castrorum templum ingressus.

11. Sic deventum ad praecipuum castrorum templum, cui nomen a Gamjabet, idest, attalicarum vestium domo, B. Virgini dicatum, quod ipsa sit arcanum ac pene divinum virtutum gratiarumque sacrarium. In ingressu aenea arcis tormenta et sclopi fragorem suum edidere et Zachariae cantico latinus chorus omnium aures suavissime demulsit. Interiora illius adyta, regio solio, coronatus Imperator, pulvinis babylonicis et attalicis ante pedes abiectis, insidebat, et accedenti Patriarchae assurgens, eum teneri simul ac reverentis amoris documentis est amplexus. Augusta viro et tranquilliore imperio digna species, celsior corporis status, capillus nigricans et barba in latitudinem aliquantulum expatians; color in olivae maturescentis laevitatem splendidus; oculi grandiores praenitentes et laetitiam spirantes; labia nullo tumore vel proiectu (sicut et caeterae genti) prominentia; totus vultus in maiestatem digestus,
animus inter summa pericula *pacatus est tam aequus sui quam f. 71.
alieni iuris arbiter, ut quocumque locu natus esset fortunam sibi ficturus videretur.

Imperatoris lineamenta.

Succincta concio Patriarchae.

12. Hic ad aram contendens Patriarcha, actisque Deo gratiis ob concessam in triennali expeditione incolumitatem, se ad populum convertens, e cathedra non admodum longam, sed succi plenam habuit concionem in illa Psalmi verba: *Ecce quam bonum et*

quam iucundum habitare fratres in unum: sicut unguentum in capite (1). Ubi succincte ostendit, mysticum Ecclesiae unguentum, non uno tantum odoramento, sed omnium temperamento constare, nec illius corpori posse communicari, nisi ab Aaronis summi Hebraeorum sacerdotis, qui typus fuit Romani Pontificis, Petri Apostolorum principis successoris et Christi vicarii, capite in totum vestimentum et omnes illius fimbrias diffundatur. Summa omnium fuit audientia et plausus instar miraculi, cum nemo esset in tanta multitudine (in qua non pauci centum annos excesserant) qui testaretur umquam a se ullum ex Abunis alexandrinis concionantem auditum, utpote quos et scientia et animarum salutis cura deficiebat. Nec raro Basilides, qui nunc imperat, et tunc aderat, suo Abunae hanc inscitiam et incuriam nunc exprobrat, idemtidem memorans, Patriarcham romanum numquam ad dicendum fuisse imparatum, sed extemporali semper facundia, vel ex itinere expromptum. Impertita benedictione et indulgentiarum largitione, in suum palatium Imperator, et Patriarcha in domum patrum Societatis Iesu se collegerunt.

Imperatorem adit Patriarcha.

13. Post modicum intervallum se ab Imperatore expectari Patriarcha admonitus, in regiam concessit, religioso patrum et militari Lusitanicae posteritatis comitatu honestatus. In augustiori aula, multis vestita tapetibus et curialium multitudine constipata, ipsum opperiebatur, et contuitus, ab assueto throno, suo nempe lectisternio, decessit, et prope iussit duas sellas sublimiores, ad omnia aequales, collocari, in quarum dextra ipse non prius quievit, quam simul Patriarcha in laeva consedisset; quem morem deinceps in omnibus congressibus intemeratum servavit. Ipsum quam familiariter et exacte de laboribus ac periculis diuturnae adeo expeditionis est percunctatus. In longum protracta et semper gliscentia optati huius occursus desideria exposuit; *quae cum tot cunctationes sopirent, addebat illud tantum solatii sibi suppetere, si postremum diem inter patres Societatis suae fidei doctores obiret; sed cum nec ipsos et Patriarcham in conspectu haberet, omnium se votorum compotem factum, nec habere, nec scire quid reddere possit bonorum omnium auctori, et, oculis in coelum coniectis et lacrymarum affluxu madentibus, aiebat: *Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, optatum exitum tot beneficiis concede. Agnoscat Aethiopia in-*

f. 71,v.

Imperatoris preces.

(1) *Psalm.* 132, n. 1.

fallibilem tuae sanctae fidei veritatem, sequatur in omnibus et obsequatur cathedrae divi Petri ipsiusque successori Pontifici Romano, qui solum, et unicum est Ecclesiae tuae caput. Eo statim loco praefixa est dies reddendae summo Pontifici in manibus Patriarchae generalis obedientiae et iuramenti fidelitatis ab omnibus ordinibus exigendi.

CAPUT II.

Patriarchae ad unionem cum Romana Ecclesia in regni comitiis adhortatio.

1. Illuxit tandem huic actui praestituta dies Martis, undecima februarii, anni millesimi sexcentesimi vigesimi sexti, quam, si quam aliam gemmeo calculo notare deberet Aethiopia et cunctis laetitiae significationibus celebrare; si quidem ipsi in ea lux clarissima fidei catholicae affulsit, quam omnes ordines, disiectis densis et palpabilibus Aegypti tenebris, demersis in mari Rubro monstrosis Dioscori et Eutychetis erroribus, et confracto vilissimo iugo imperitissimorum et liberrimorum Abunarum alexandrinorum, sunt professi et se mirata est Aethiopia elevatam in dignitatem filiae Altissimi; ideoque tripudians dicere posset cum Moyse et sorore ipsius Maria: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est: equum et ascensorem deiecit in mare* (1); et cum Psalte: *In exitu Israel de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro, facta est* Aethiopia *sanctificatio eius Israel* (sic enim in ea vocantur omnes qui masculina linea, ad regium sanguinem spectant) *potestas eius* (2).

Praestituta dies 11 februarii anni 1626.

2. Ad augendum tantae actionis dignitatem ornata est aula regia quanto maximo potuit apparatu; nec quisquam ex principibus, Imperatoris fratribus, proregibus, ducibus, senatoribus, inferiorum

Aulae ornatus et frequentia.

(1) *Exod.*, 15, n. 1. — (2) *Psalm.* 113, n. 1.

tribunalium iudicibus, doctoribus, cantoribus et gravioribus monachis, *qui romanae fidei nomen dederant, est desideratus. In suggestu, ubi imperatorius thronus visebatur, duae sellae augustiores eminebant, in quarum laeva, pontificalibus ornamentis et tiara sublimis, Patriarcha sic ad confertam concionem est exorsus. f. 72.

Hortatio.

Fundamentum totius concionis.

3. Obedientiae sanctissimo domino nostro Urbano divina providentia papae VIII et fidelitatis Ecclesiae Romanae iuramentum a monarcha potentissimo Seltan Seguedo et universo ipsius imperio exacturus, et omnes qui adsunt et in iis totam Aethiopiam ad unitatem et intimam cum eadem Ecclesia communionem hortaturus, quo potissimum utar, quam verborum illorum exordio, quibus Petrus Ecclesiae vertex tantum fastigium est promeritus, et aliis quibus Christus dominus ipsius confessionem approbans, eidem primatum in omnes Apostolos et Ecclesias concessit? Discipulos ille suos, non ut disceret, sed ut doceret, quid de se homines sentirent, interrogavit. Caeteris autem varia et omnino falsa referentibus, proprium ab ipsis suffragium requisivit (1). Illis autem vel ignorantibus, vel haesitantibus Petrus audentior et celerior pro omnibus respondit: *Tu es Christus filius Dei vivi* (2), qua sententia quidquid de Christo crediderat, unam scilicet ipsius esse personam duplicemque naturam, est amplexus, ut Pauli Emeseni ore homilia coram divo Cyrillo habita (3), post actum de Nestorii haeresi triumphum in Alexandrina ecclesia testatus est idem Cyrillus. Certum enim est, id a quocumque dici, quod coram ipso in ipsius gratiam et ipso plaudente, affirmatur. *Tu es Christus* (ait Emesenus) *natura duplex* (altera nempe divina, quae ungit, altera humana quae ungitur). Addens: *Filius Dei vivi, agnovit unicam personam,* eam vero divinam ex patre genitam et eidem consubstantialem. *Est* enim *generatio,* secundum Philosophos, *processio a principio vitae intrinseco ad similitudinem* (4) vel identitatem (in aliis generationibus specificam, in divina numericam) *in eadem natura,* cuius ratione dixit: *Ego et pater unum sumus* (5), et iterum: *qui videt me videt et Patrem meum* (6). Hanc personae unitatem *Tu,* pronomen demonstrativum, indicat, quod sermonem non ad plures extendit, sed ad unum singulare et incom*municabile individuum (sicut f. 72.v.

Verba Petri unam Christi personam et duas naturas praeseferunt.

(1) *Matth.*, 16, n. 13. — (2) Ibid., n. 16. — (3) Homilia I coram divo Cyrillo. — (4) Arist., 7, *Metaph.*, cap. 8, text. 28. — (5) *Ioann.*, 10, n. 30. — (6) *Ioann.*, 14, n. 9.

loquuntur dialectici) definit quod in naturis rationalibus, quarum apicem tenet divinitas, persona nuncupatur.

Petrus Ecclesiae fundamentum a Christo proponitur.

4. In confessionis huius, non humano labore excogitatae sed aeterni Patris revelatione inspiratae, remunerationem, Petrum Christus caementitium et primarium Ecclesiae suae lapidem verbis illis ante caeteros Apostolos declaravit. *Et ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (1). Hoc est: Sicut tu dixisti: *Tu es Christus,* agnoscens me illum esse, qui olim Moysi dixeram: *Ego sum, qui sum,* sic ego dico: *Tu es Petrus,* ut quae mihi propria est, ob divinae naturae constantiam, immutabilitas (2), tibi et tuae cathedrae mecum sit participatione communis. Et sicut ego sum, ex vi meae generationis, *Filius Dei vivi,* sic tu sis mea largitate *Simon Bar Iona*; id est filius columbae, quod tuae cathedrae, ne umquam labatur, oppigneratam habiturus sit Spiritus Sancti, qui columbae nomine et dotibus designatur, gratiam et assistentiam. *Ut ego habeo claves mortis et inferni* (3), sic tu regni coelorum claves ad illud aperiendum et claudendum, pro tuo arbitratu, nanciscaris. Ut ego Ecclesiae sum *petra et fundamentum praeter quod aliud nemo ponere potest* (4), sic *tu es Petrus et super hanc petram et fundamentum* a me caelatum et signatum, aeterna Ecclesiae meae aedificatio consurget (5) cum a vivis sublatus tibi post meam resurrectionem, agnos ovesque tradidero, quibus grex totus continetur.

Ecclesiam Christus habet, haeretici ecclesias.

5. Istius igitur lapidis coniunctionem, conglutinationem et coagmentationem, agni et oves meae, anhelate, quaerite et pervolutate, si vultis ad aliquam Ecclesiae partem attinere. Renuit enim cuiuslibet aedificii pars esse lapis ille, qui caementitio et primario, vel intima coniunctione, vel aliis intermediis, non copulatur. Nam *super hanc petram,* Christus ait, *aedificabo Ecclesiam meam. Ecclesiam,* dicit, non *Ecclesias.* Ubi enim scissurae sunt, ubi schismata, ubi dissensiones, ut divi Pauli tempore in Galatia flagrabant, ibi non est Ecclesia, sed Ecclesiae, et ideo, notante sancto Chrysostomo (6), Apostolus illius epistolae salutationem ab his verbis inchoavit: *Paulus et qui mecum sunt omnes fratres Ecclesiis Galatiae* (7). Haeretici enim et schismatici (inquit divus Hyeronimus) *unam in plures Ecclesias lacerant, quae, iuxta Apocalypsim Ioannis, synagogae magis diaboli appellandae sunt quam Christi conciliabula* (8).

(1) *Matth.*, 16, n. 18. — (2) *Exod.*, 3, n. 14. - (3) *Apocal.*, 1, n. 18. - (4) 1 *Corith.*, 3, n. 11. — (5) *Ioann.*, 21, n. 16 et 17. — (6) Homil., 1 in *Epist. ad Galat.* — (7) *Galat.*, 1, n. 1 et 2. — (8) Epist. 11 *ad Gerontiam*, cap. 2, n. 9.

Unitas fidei ex multis Ecclesiis unam facit.

*6. Scio tamen non infrequenter viros apostolicos, non tantum Ecclesiam, sed et Ecclesias nominare: ut eumdem dilectum discipulum Ioannem: *septem Ecclesiis, quae sunt in Asia* (1); Paulum: *Salutant nos omnes Ecclesiae Christi* (2) et plures alibi. Nec raro aecumenica concilia Ecclesiam in orientalem occidentalemque distinguunt. Sed orientalis et occidentalis Ecclesiae et coeterae toto orbe disseminatae, non multae, sed una sunt Ecclesia, si una sit fides, quae illius anima est, una doctrina et unum caput sive Pontifex. Quamvis enim multae sint oves, unum tamen ovile Christus vocat, si unus pastor illud moderetur. *Et erit unum ovile et unus pastor* (3). *Omnia membra corporis cum sint multa,* ait divus Paulus, *unum tamen corpus sunt* (4), ob animae et capitis unitatem. Ita omnes Ecclesiae terris, linguis ac nominibus distinctae, eadem sunt Ecclesia, si, ex eodem Apostolo, iis *adsit unus Dominus, una fides, unum Baptisma* (5). Quod ita docuit pereleganter Tertullianus: *Tot ac tantae Ecclesiae, una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primae et omnes apostolicae, dum unam omnes probant unitatem* (6). f. 73.

Omnes sedes Patriarchales semper Romanae subiectae ostenduntur.

Omnes sedes patriarchales Romanae semper subiectae.

7. Illa ab Apostolis prima (quae etiam in concilio Sinuessano et in Romano sub Silvestro, dicta fuit *prima sedes*) et ideo maxime apostolica, romana est Ecclesia, quae, teste divo Hyeronimo, *ab Apostolis fundata usque in hanc diem durat* (7). De qua ait idem Tertullianus: *Romanis evangelium Petrus et Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt;* et iterum: *Habes Romam unde nobis auctoritas praesto est, statu felix Ecclesia cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt* (8). Prima vero sedes dicitur, quia omnibus patriarchalibus dignior et antiquior et quia ipsa a Christo, cum Petro dixit: *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* (9), caeterae ab ipsa prodierunt, propter eaque Tertullianus adiunxit: ex qua omnes; sedes enim patriarchales sunt illae, quas Petrus viva sui corporis praesentia animavit, Romana, scilicet, et Antiochena, quibus adnumeratur Alexandrina, ab eodem suo nomine erecta, et Marco filio dilectissimo (sic eum vocat) (10) commendata; quam ille Petri adhuc viventis, et caelum meritorum suorum pretio iam pos-

(1) *Apocal.*, 1, n. 4. — (2) *Rom.*, 16, n. 16. — (3) *Ioann.*, 10, n. 16. — (4) 1 *Corinth.*, 12, n. 12. — (5) *Ephes.*, 4, 5. — (6) *Lib. advers. haeret.*, cap. 20. — (7) *Dialog. contr. Luciferian.* — (8) Lib. 4, *contr. Marcion.* et lib. *advers. haereticos.* — (9) *Matth.*, 16, n. 18. — (10) 1, *Petr.*, 5, n. 13.

sidentis, sanctitati dedicavit; nec illam tam Marcus ipse, qui eam velut alienam, coloni aut inquilini more procurabat, sed Petrus
f. 73,v. censendus *est insedisse, sicut olim Marci evangelium, quia a Petro dictatum et a Marco scriptum, Petri evangelium dicebatur, ut liquet ex Tertulliano (1). Nec hae cathedrae tres sed una tantum, Petri, Magni Gregorii iudicio (2), ob unicum earum conditorem Petrum existimandae. Sed tam duae illae: prima Alexandrina, et secunda Antiochena, quam duae, quae illis postea, temporis decursu, velut posthumae, accesserunt, Constantinopolitana et Ierosolymitana, a Romana sunt exortae et semper administratae, ex Domini verbo bis Petro dicentis: *Pasce agnos meos,* et semel: *Pasce oves meas* (3).

Divus Petrus pastor est omnium fidelium etiam episcoporum et patriarcharum.

8. Quid est « Pasce » nisi dirige, guberna, administra, legibus et suppliciis coerce? Ut in Psalmo: *Pascere Iacob servum suum et Israel haereditatem suam et pavit eos,* idest rexit, *in innocentia cordis sui* (4). Et ubi in latino codice legitur: *Reges eos in virga ferrea,* et iterum: *Dominus regit me,* haebraeus habet: *Pasces et pascit.* Pascit ergo Petrus agnos a Christo bis sibi eo loco commendatos, quia rector est Iudaeorum et gentilium, sive fidelium infirmiorum et robustiorum. Pascit oves, quia ipsius curae commissi sunt episcopi et Patriarchae, qui, instar ovium, caeterorum fidelium sicut agnorum, ob Baptismi, Confirmationis et Ordinum sacramenta, sunt genitores et educatores. Eusebius Emissenus: *Prius,* inquit, *agnos, deinde oves ei committit, quia non solum pastorem, sed pastorum pastorem ipsum constituit. Pascit igitur agnos Petrus, pascit et oves; pascit filios, pascit et matres; regit et subditos et prelatos. Omnium igitur Pastor est, quia praeter agnos et oves in Ecclesia nihil est* (5). Nec solum tunc viventes, sed quotquot omnium saeculorum posteritas fuderit, Petro sunt traditi, quia *grege alicui legato et quae postea accedunt ad legatarium pertinent,* ait Iurisconsultus (6). Cum igitur totus Christi grex, agnis et ovibus contentus, Petro legetur, indubitatum est, agnos, idest fideles, quibusvis aetatibus nascituros ad eum pertinere. Subtiliter ergo et graviter ad Eugenium summum pontificem scribit divus Bernardus: *Sunt quidem et alii coeli ianitores, et gregum pastores, sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae coeteris nomen haereditasti. Habent illi sibi assignatos greges singuli singulos: Tibi universi crediti: uni unus. Nec*

(1) Lib. 4, *contr. Marcion.*, cap. 4. — (2) Lib. 6, epist. 17. — (3) *Ioann.*, 21, n. 15, 16, 17. — (4) *Psal.* 70, n. 71, 72, 73. — (5) In Evangel. vigil. ss. apostolor. Petri et Pauli. — (6) L. Grege legato, ff. De Leg. 1.

*modo ovium, sed et pastorum tu unus es pastor. Unde id probem quaeris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico episcoporum, sed et Apostolorum sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves? *Si me amas, Petre, pasce oves meas* (1). *Quas? Illius vel illius populos civitatis aut regionis aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non est planum designari omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil* (2). Sic ille. f. 74.

Probatur exemplis ecclesiae Antiochenae.

Primatus Ecclesiae Romanae in Antiochenam.

9. Ut igitur probem, Petrum ipsiusque successorem Romanum Pontificem rectorem esse et iudicem agnorum et ovium, idest omnium fidelium etiam episcoporum, et sedium patriarchalium, servata interim ad finem Alexandrina, quae semper secunda fuit post Romanam, ab Antiochena quae tertio loco numeratur a concilio Nicaeno (3) et tertia vocatur a divo Anacleto (4), a sancto Innocentio (5), a Magno Leone (6) et Divo Gelasio (7) ordiamur. Quae, ut tradit divus Innocentius, *germana est Romanae et prima apostoli Petri sedes esse monstratur et urbis Romae sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se consummatumque gauderet.* Quae verba causam continent, cur Antiochia ecclesiae primatu non gaudeat, cum ipsam primum incoluerit divus Petrus; gaudeat vero Roma, ad quam posterius migravit. Quod nempe Antiochiam per transennam et Romam semper cogitans oculisque in eam conversis tenuerit et hanc Dei monitu et figendi aeternum in ea sedem destinatione quaesierit. Nam iuxta leges caesareas non ibi quis habitare aut domicilium contraxisse dicitur, ubi in transcursu pedem statuit, sed ubi semel fixit animo perpetuum manendi et ubi ipsum mors excepit (8). Licet enim David in Hebron septennio regnaverit, cum tamen impacatum ipsius cor esset, donec Ierosolymam transiret, in qua tandem placidus sedit et mortem obivit, ipsius sedes non Hebroni, sed Ierosolymae imputatur (9). *Ego,* inquit, *constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius* (10); ipsiusque successores non Hebronici sed Ierosolymitani reges audiunt. Similiter cum Petrus septennio Antiochiae, sed tamen discessurus sederit,

(1) *Ioann.*, 21, n. 16, 17. — (2) Lib. 2, *De consider.* — (3) Can. 6. — (4) Epist. 3. — (5) Epist. 20 et 21. — (6) Epist. 53 *ad Anatol.* — (7) Epist. ad episc. Dardan. — 8) L. Postiliminium et L. Nihil, ff. De captiv. et postlim. reversis. — (9) 3 *Reg.*, n. 11. — (10) *Psalm.* 2, n. 6.

sibique in ea Evodium suffecerit, hic primus illius Episcopus, non Petri successor vocatur; ipse vero primus Romae, in qua mortuus est pontifex, Linus secundus, Cletus tertius et Clemens quartus; qui et reliqui deinceps, dicuntur Petri haeredes et successores. *Haeres enim et successor,* ex placito iurisprudentium, *ille est, qui succedit in omne ius, quod defunctus mortis suae tempore habebat* (1). Petrus autem, cum caesus est, iam nuntium Antiochiae remiserat; nec in ea sed Romae martyrio coronatus est. Non igitur Evodius et reliqui patriarchae Antiocheni sunt illius haeredes et successores
f. 74,v. in omne ius, quod ipse *habebat; sed antistites Romani, qui haereditatem et cathedram a morientis ore cum ipsius corpore et doctrina acceperunt. *Haeredem vero eiusdem potestatis et iuris esse, cuius defunctus fuit, constat,* ut exploratae iuris regulae sanxerunt.

Dei monitu Petrus sedem Romae fixit.

10. Instinctum vero divina revelatione Petrum, Anthiochiam Roma commutasse, ut sedem in ea figeret, et crucem Christi imitator subiret, auctor est divus Athanasius in Apologia de fuga sua, *Cum,* ait, *Petrus et Paulus audissent, oportere Romae martyrium subire, cum gaudio abierunt* (2). A quo audierunt, nisi a Deo, qui solus praescius est futurorum? *Cur illos oportebat Romae martyrium subire,* cum illud aeque fructuose possent quovis alio loco exanthlare, nisi ut locandam ibidem cathedram apostolicam suo sanguine irrigarent, firmarent et gentibus omnibus, tamquam pharum, sequendam praemonstrarent? Eam vero praenotionem Spiritui Sancto divus Leo adscribens, ait: *Cum duodecim Apostoli, accepta per Spiritum Sanctum omnium locutione linguarum imbuendum evangelio mundum distributis sibi terrarum partibus suscepissent, Petrus princeps apostolici ordinis, ad arcem romani destinatur imperii, ut praedicatio veritatis, quae in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet* (3).

Patriarchae Antiocheni semper a Romanis Pontificibus iudicati.

11. Antiochenam sedem audiistis a divo Petro erectam, nunc a Romana semper edoctam et gubernatam auditote ex Iuvenale Ierosolymitano, qui in concilio Ephesino Ioannem antiochenum proterve pro Nestorio pugnantem, his verbis compressit: *Apostolica ordinatione et antiqua traditione in consuetudinem abiit ut sedes Antiochena perpetuo per Romanam dirigatur et iudicetur.* Paulum Samosatenum patriarcham Antiochenum, eadem fere cum Sabellio sentientem, et Christum puri hominis censu concludentem, anno eius-

(1) L. Nihil est 24, ff. De verb. signif.; L. Haereditas 62, ff. de regul. iur. — (2) Divus Athan. in *Apol.* — (3) Serm. 1. *De ss. apostolis Petro et Paulo.* — (4) Tom. 4, cap. 4.

dem 260 doctissimis scriptis confutavit et duobus conciliis ibidem celebratis, condemnavit Dionysius romanus; Paulum vero provocantem ad imperatorem Aurelianum (quod narrat Eusebius (1) ipse reiecit, episcopalem domum ei dandam decernens, quem Italiae episcopi et praecipue Romanus ipse Pontifex designasset. Vitalem (quem vos dicitis Natalisan) eiusdem sedis episcopum, vultum suum saepius instar Protei mutantem et nunc fidem catholicam mentientem, nunc Apollinaris volutabro se mersantem, sanctus Damasus anno 372 et sede et sua communione abdicavit. Meletii, Paulini, Flaviani et Evagrii, vel simul, vel succes*sive de illa sede contendentium dissensiones, f. 75.
idem Damasus anno 382 in concilio Antiocheno et Syricius in Capuano, cui adfuit sanctus Ambrosius (vestri libri vocant Aforisium) anno 389 et tandem sanctus Innocentius (dictus ab iisdem Ayocandius) ope divi Ieronimi anno 408 tranquillarunt, post annos quinque et octoginta ab illius schismatis exortu, et morte Eustachii, qui Nicaeno concilio interfuit, ad Alexandrum, quem Innocentius approbavit. Induci tamen non potuit, ut anno 404 annueret Porphyrioni haeretica faece polluto. Annuit tamen anno 432 Sixtus III Ioanni, de quo supra, ex Nestorii syrtibus egresso. Petrus Fullo, seu Gnapheus, mortem in omnes Trinitatis personas invehens, loco deiectus est a Simplicio anno 482: a Felice III anno 499; Severus (qui vobis est Sayrus) errorum omnium sentina et Antiochenae sedis opprobrium, ab Agapeto anno 536; Macarius aliique haeretici in sexta synodo, dannati anno 681, ad Romanum Pontificem veniam exoraturi perfugerunt. Magnus Leo Anatolio Constantinopolitano Alexandrinum et Antiochenum Praesules sibi per fastum subiicere molienti se generose opposuit anno 453, sicut et beatus Hormisda anno 519, alii eiusdem sedis antistiti electionem Antiocheni patriarchae sibi arroganti, negotium illud commendans Dioscoro diacono, suo Constantinopoli apocrysario, a quo responsionem illam excepit, quae post epistolam 62 eiusdem Hormisdae circumfertur. *Ego iussionis vestrae non immemor, contradixi, dicens: Iussit Dominus noster beatissimus Papa, secundum antiquam consuetudinem, Antiochiae eum episcopum ordinandum. Hoc obtinui quod praecepistis.* Petrus, anno 1053 in eam cathedram evectus, legationem communionis et subiectionis indicem cum fidei orthodoxae professione ad Leonem IX misit, a quo laudatus est et excitatus, ut sedis suae praerogativas

(1) Lib. 7, *Hist. eccles.*, cap. 24.

contra Michaelis Cerularii Constantinopolitani arrogantiam tueretur, pro qua Romani Pontifices strenue semper adversus Byzantinos decertarunt; anno 1136 Radulphus, qui ob Antiochenae ecclesiae antiquitatem et divi Petri in ea commorationem, se parem Romano Pontifici iactabat, ad Innocentium II supplex accessit, et pallium de beati Petri corpore sumptum reportavit. Sed rebellis iterum factus
f. 75,v. *post reditum ab Alberico episcopo Hostiensi, eiusdem legato, in exilium est coniectus. Anno 1274 in concilio Lugdunensi concors illius decretus repertus est Opizio patriarcha. Omni enim tempore, dum haeresum et Turcarum alluvies non redundavit, Antiochena sedes Romanam ut superiorem suspexit et supplex adivit. Unde validissimum est contra coeteros illud divi Marcelli I ad Antiochenae provinciae episcopos argumentum: *Si vestra sedes Antiochena, quae prima erat, Romanae cessit, nulla est quae eius non sit subdita ditioni* (1).

Probatur exemplis ecclesiae Ierosolymitanae.

12. Simile argumentum ex ecclesia Ierosolymitana, quae tempore prior fuit Antiochena, utpote in qua ipse Christus sederit et pleraque sacramenta instituerit, eique praepositus fuerit Iacobus, qui frater Domini vocabatur, mutuatus est divus Bernardus. *Ipse,* inquit, *Iacobus Christi frater, una contentus Ierosolyma, Petro universitatem cessit. Cedente Domini fratre, quis est, qui se ingerat Petri praerogativae?* (2) Tunc autem cessit Iacobus, cum vivus ipse vidensque in apostolorum concilio ob legalium quaestionem in sua ecclesia coacto, Petrum passus est priorem loqui. *Cum,* inquit Lucas, *magna conquisitio fieret surgens Petrus dixit ad eos* (3). Aecumenius: *Surgit Petrus, non Iacobus, velut is, cui fratrum praesidentia credita erat* (4). Et Chrysostomus, qui vobis est Afaorca, sive os aureum: *Ubique Petrus primus omnium incipit loqui: Iacobus Ierosolymis episcopi munus acceperat et tamen hic nihil loquitur* (5). Haec Iacobi taciturnitas, non ex urbanitate tantum profecta est, sed potissimum ex debiti agnitione; noscebat enim, ex Christi Domini institutione, non solum Romae, sed ubique terrarum observantiam et praesidentiam Petro deberi. Is enim septimus erat annus Claudii Imperatoris, quo Petrus, cum iam totidem annos Romae egisset, ea cum omnibus

Ecclesia Ierosolymitana, omnium antiquissima, Romanae cessit.

(1) Epist. 1. — (2) Lib. 3. *De consid.* — (3) *Act.*, 15, n. 7. — (4) In *Acta*, cap. 1 — (5) Homil. 3, in *Act. Apost.*

Iudaeis, eiusdem Caesaris decreto, exire iussus, Antiochiae morabatur (1); et tamen illi omnes in ea primatum detulere, et, ut ait sanctus Hieronymus (2), Iacobus ipse, et omnes presbyteri in eius sententiam transierunt. Iacobumque ipsum, tradit Chrysostomus, a Petro illi ecclesiae ordinatum (3).

Sedes Ierosolymitana post longum tempus facta patriarchalis.

13. Nec ideo tunc sedes illa fuit patriarchalis, sed subdita *Caesareae Palaestinae, cui suam metropolis dignitatem illibatam concilium Nicaenum reservavit (4), et illius iugum tentans excutere Cyrillus Ierosolymitanus, suo loco excidit anno 359, ab Acacio Caesariensi, quamquam falso, ob conficta crimina, damnatus; sed pro eiusdem cathedrae intra Palaestinam primatu in conciliis Ephesino et Chalcedonensi, Iuvenalis episcopus desudans, obtinere non potuit, reclamante in synodo Ephesina, divo Cyrillo Alexandrino et Romani Pontificis legatis; post Chalcedonensem divo Leone, in Ecclesiae Antiochenae defensionem, obnitente. Donec tandem in quinta synodo anno 533 pacifice Ecclesia Ierosolymitana patriarchatus nomine et dignitate donata, conquievit. Iuvenalis tamen ille in latrocinio Ephesino a Dioscoro corruptus, in Chalcedonensi a Romana Ecclesia veniam impetravit et postmodum, ab Eutychianis exagitatus et sua Ecclesia nudatus, eamdem ipsius auxilio recuperavit. Ioannem eiusdem sedis antistitem, Origenis et Pelagii fraudibus applaudentem, anno 402 censoria epistola divus Innocentius verberavit, in qua sic eum pro maiestate contundit: *Arripere auctoritatem Sedis Apostolicae, ad omne comprimendum nefas, festinavimus* (5). Cum Ioanne alio, ab Eutichyanis ordinato, et ad catholicam communionem redeunte, ut sedem retineret, orthodoxorum rogatu, Hormisda pontifex anno 519 dispensavit. Sophronius sanctissimus patriarcha, occupata a Saracenis Palaestina, Stephanum Dorensem episcopum cum mandatis ad s. Martinum primum dimisit anno 643, in quorum instructione haec verba cernuntur: *De finibus terrae usque ad terminos eius ambula donec ad Apostolicam sedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, pervenias* (6). Suas autem vices Martinus eidem Stephano in orientalibus provinciis delegavit. Annis postea 1104 et 1115, Daibertus patriarcha a Balduino rege et Arnulphus a concilio depositi, Romam venere, et suas causas ipsa praesentia commendabiliores reddidere. Ex quibus liquido agnoscere potestis, Ierosolymitanam cathedram Romanae semper fuisse obsequentem.

Iurisdictio Rom. Pontificis in Patriarchas Ierosolymitanos.

f. 76.

(1) *Act.*, 18, n. 2. — (2) Epist. 89, *ad August.* — (3) Homil. 87, *in Matth.* — (4) Canon 6. — (5) Epist. *ad Ioann. Ierosolym.* — (6) Divus Sophron.

Probatur exemplis ecclesiae Constantinopolitanae.

14. Fuit eodem pacto morigera Constantinopolitana sub nomine **Subiecta fuit metropoli Haeraclaeensi usque ad Constantinum.**
f. 76,v. *Bizantii ab Stachi [*sic*] discipulo divi Petri ad eam misso, fundata et Haeraclaeensi metropoli subiecta per viginti duorum episcoporum aetates usque ad Metrophanem et annum vigesimum primum magni Constantini, qui suum nomen urbi impertivit et novae Romae appellatione nobilitavit. Metrophanem tranquille consecuti sunt Alexander et Paulus, hos Macedonius divinitatis Spiritus sancti impugnator, mox Eudoxius et Demophilus arianae perfidiae sectatores, ad quam comprimendam ad tempus missus est illuc sanctus Gregorius Nazianzenus et in annum 381 indictum primum concilium Costantinopolitanum, in quo ab his, qui ardenter illius sedis honori inhiabant, et Imperatoribus, regiam illam urbem ac suum solium attollere cupientibus, palpum obtrudere satagebant, clandestine, post Romanorum legatorum et plurium episcoporum discessum, canon ille fuit exaratus, qui etiam ex ignoratione, in Decretum distinctione 21 irrepsit: *Constantinopolitanae civitatis episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Pontificem propter quod est nova Roma.* **Secundum locum post Romanum Pontificem Constantinopolitani [sic] civitatis semper ambierunt.** Quem postea legibus civilibus inseruit eiusdem ambitionis et gloriae veneno tinctus Iustinianus imperator (1). Sed cum in concilio Chalcedonensi canonis illius imbecillitatem, in Dioscori Alexandrini invidiam, extincto antiquissimo sedis illius privilegio, **Sed semper contra illos reclamatum.** tot ac tantorum episcoporum suffragio roborare contenderet Anatolius Constantinopolitanus, eidem obstitere divi Leonis legati et ipse postea illatarum in se iniuriarum a Dioscoro oblitus, et indignum censens beati Marci et Ecclesiae Alexandrinae privilegia unius flagitio hebetari dicensque *aliud esse cathedras, aliud praesidentes, nec fas esse illarum dignitatem istorum demeritis obscurari* (2). Quem tenorem coeteri deinceps Romani Pontifices eadem constantia servarunt, non quidem suae sedis gratia, cuius primatus nihil ea concessione deterebatur, sed ad conservanda iura Ecclesiae Antiochenae et Alexandrinae, ad quae, muneris sibi iniuncti ratione, tenebantur.

15. Annus esset, si vellem omnia exempla potestatis, a Romana **Iurisdictio Rom. Pontificum in Constantinopolitanos.** Ecclesia in Constantinopolitanam exercitae, percensere; breviarium

(1) Auth. *De Eccles. titul.*, cap. 2. — (2) Epist. 53, *ad Anatol.*

tantum compingam. Anno salutis 342 Paulus ea cathedra ab Arianis deiectus, ad divum Iulium Romanum, a vobis dictum Abolidis, et anno 404 divus Ioannes Chrysostomus a Theophilo Alexandrino et aliis epi*scopis in Concilio congregatis ad Innocentium appellarunt. f. 77. Innocentius vero nulla opera evinci potuit ut Arsacium Chrysostomo et Atticum (quem dicitis Atifos) Arsacio subrogatum, eo vivente confirmaret et Arsacium post ipsius mortem anno 407 exauctoravit, Atticum vero admisit, postquam, demisso animo, impositis conditionibus obtemperavit. Nestorium Caelestinus, et ipsius cum plena potestate vicarius Cyrillus Alexandrinus, anathemate percussum et cathedra exutum anno 431, in exilium compulerunt. Cum Proclo (vobis est Heraclis et Abraélis) post longam disceptationem indulgenter se habuit Sixtus III ut anno 434 a Cysico minori urbe, contra canonum decreta, Constantinopolim transferretur. Flavianum eiusdem sedis antistitem a Dioscoro et latrocinio Ephesino depositum, s. Leo Magnus eidem anno 449 redonavit. In cuius ab haereticis occisi locum a pseudo-synodo intrusum Anatolium anno 450 noluit confirmare, nisi prius certa fidei, Dioscoro damnato, documenta praebuisset; ablatamque ipso in officio dormitanti vicariam Romanae sedis praefecturam Iuliano Coensi vigilantissimo episcopo demandavit; quia (ut ait) in *Constantinopolitano catholicus vigor non esset nec multum aut pro sacramento salutis humanae aut pro sua esset existimatione sollicitus* (1).

Producuntur alia exempla.

16. Acacio, qui Zenoni imperatori Euthychiano auctor fuit impii Henotici promulgandi et antistites Antiochenum et Alexandrinum suis sedibus exigendi, ut vacuum haereticis immittendis locum faceret, anno 484 vadimonium indixit Felix III. Illud tamen prae contumacia deserentis, et in ea decedentis, nomen post annos aliquot Hormisda a sacris tabulis erasit. Euphemio, qui multa laudabilia gesserat, ob retentum nomen Acacii divus Gelasius anno 492 communionem denegavit. Ioanni tamen ob illud deletum, ubi in Constantinopolitanam cathedram est evectus, anno 519 illam Hormisda profuse concessit, et Epiphanium ipsius successorem, suae electionis et confessionis formulam ad se mittere cunctantem, anno 520 per epistolam extimulavit et, postquam misit, suas eisdem vices in Oriente delegavit. Quem cute tenus (nam intus Eutychiana vulpes erat) secutus est Anthimus, qui prius in speciem Chalcedonense concilium

(1) Epist. 56, alias 60.

approbavit, sed haeresi detecta, anno 535, ab Agapeto deponitur et a Severo Antiocheno impiissimo resipiscere impeditus, excommunicatione percellitur; damnatusque iterum in concilio Constantino-
f. 77,v. politano, Menna, ab eodem Aga*peto anno sequenti in ipsius loco ordinato et vicarii munere nobilitato, in solitudinem Imperatoris iussione relegatur. Mennas ipse, damnatis prius haereticis clarus, Imperatori postea indulgens, a Vigilio suspenditur anno 552 et post annum, peracta poenitentia, restituitur. Ioannem, quod se universalem pontificem inscriberet, divus Pelagius et Gregorius Magnus anno 587 et 595 a communione propulerunt. Pyrrhum, qui Romam veniens, oblato chirographo, Monothelitarum errores execratus fuerat, ad vomitum redeuntem et per legatos prius increpitum, et postea Paulum, eius successorem, Theodorus anno 645 et 646; Sergium cum duobus praecedentibus in Romano concilio Martinus anno 649; quibus divus Agatho et sexta synodus anno 680 et 681 Petrum addidere. Cum Tarasio, a regiis scriniis ad patriarchatum, contra leges ecclesiasticas, assumpto, et imperatoribus Constantino et Irene pro ipsius confirmatione deprecantibus, transegit Hadrianus anno 785, ut ipsius opera sacrae imagines per totam Constantinopolis ditionem in antiquum splendorem revocarentur.

17. Ignatium iniuste depulsum et ad Apostolicam Sedem provocantem, actis Photii rescissis, Nicolaus pontifex, prius anno 861 et iterum 868, suae cathedrae reddendum pronuntiavit; Photium vero secundo intrusum et fallacem ipsius synodum Ioannes VIII anno 880, Hadrianus III anno 884, et Stephanus VI anno 885 extra Ecclesiae cancellos proiecerunt. Idem Stephanus anno proximo erga alium sibi cognominem, a Photio praeter canonicas regulas ordinatum, ut eidem in caenobium detruso succederet, ad Imperatoris, cuius hic erat germanus, et Constantinopolitanorum preces, iuris rigorem relaxavit, in quibus ea verba continebantur: *Quoniam scimus quod a vestra Apostolica Sede corrigi et iuxta canones corripi debemus, hac de causa humilibus his nostris litteris tuam oramus venerabilitatem ut misericorditer nobiscum agas.* Michaelem Cerularium, multum linguae in Ecclesiam Romanam et nihil frontis habentem, Leo IX per legatos anno 1052 Constantinopoli publico anathemate traduxit. Concilio Lugdunensi anno 1274 adfuit patriarcha Pantaleon; Florentino Iosephus anno 1439, qui subita, non tamen imparata, morte praereptus, illustre suae fidei et primatus Ecclesiae Romanae testimonium posteris propria manu exaratum reliquit.

Exempla posteriora.

Probatur exemplis ecclesiae *Alexandrinae. f. 78.

Secundus locus huic Ecclesiae tribuendus.

18. Diu est cum aurem mihi vellit Ecclesia Alexandrina, Romanae semper dignitate proxima, et filiae affectu, ob Marcum evangelistam primum ipsius praesulem, *Petri filium* (1), impensius dilecta. Quamvi enim divus Innocentius Antiochenam, ex sancti Petri convictu Romanae germanam, et alios apostolos et episcopos Petrus ipse *fratres* appellaverit (2), profusior esse solet parentum in liberos affectio et largitio, cui, etsi multum excedat, legum patrocinio parcendum; cum ipsum Deum non tam filios quam *parentes in filiis honorare* sapiens testetur (3). Unde summo merito dixit Nicolaus I: *Alexandrinam Ecclesiam suam fecit beatus Petrus, per Marcum filium suum ac discipulum. Haereditas quippe filii in potestate patris existit* (4) *et gloria discipuli ad magistrum sine cunctatione refertur* (5).

Is locus ei concessus ab Ecclesia Rom.

19. Quam excellentiam Ecclesiae Alexandrinae, a divo Petro ex affectione erga Marcum filium suum collatam, coeteri Romani Pontifices ratam habuere et (si fas est dici) auxere; ita ut vere dici possit, in illos totum honorem ab istis diffluxisse, ut indicat his verbis canone 6 concilium Nicaenum: *Mos antiquus perdurat in Aegypto, Libia et Pentapoli, ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem et episcopo Romano parilis mos est* (6). Cuius rei parilis mos est Pontifici Romano? Num Aegyptum, Libiam et Pentapolim per se curandi? Frustra ergo illis praeesse dicitur Patriarcha Alexandrinus. Mos tamen est Romano, regiones illas per Alexandrinum Patriarcham administrandi, vel concedendi, ut ipse tributa sibi potestate a Romana Sede utatur. Quod aperte docet vestrarum synodorum textus eis verbis eo loco: *Quia sic placet Pontifici Romano.* Ergo tota iurisdictio Patriarchae Alexandrini ex nutu et placito Romani Pontificis dimanat. Quocirca, sic genuine citatus est hic canon a legatis Apostolicae Sedis in concilio Chalcedonensi. *Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum. Tenuit autem et Aegyptus ut episcopus Alexandriae omnium habeat potestatem; quoniam et Romano episcopo haec est consuetudo. Quod audientes iudices, ita sunt interlocuti: Perpendimus omnem quidem primatum et honorem praecipuum, secundum canones, antiquae Romae Archiepiscopo conservari* (7).

(1) 1 *Petr.*, 5, n. 13. — (2) *Act.*, 1, n. 16. — (3) L. Cum uno, ff. De re milit. — (4) *Eccles.* 3, n. 3. — (5) Epist. *ad Michael. imperatorem.* — (6) Concil. Nicaen. can. 6. — (7) Concil. Chalced., act. 16.

Romani Pontifices in Alexandrinos nunc clementiam nunc severitatem exercuere.

20. Cum ergo Pontifices Romani principes sint omnium Patriarcharum et Alexandrinae sedis parentes, hi vero exquisitissimi
f. 78,v. esse soleant filiorum *curatores et, si gravius delinquant, acerbi castigatores, mirum non est si indulgentiores fuerint in praesules Alexandrinos obsequentes et acerrimi vindices in seditiosos ac turbulentos. Divus Anacletus, a Petro quartus, Alexandrinam ecclesiam secundam vocavit; si secunda est prima inferior et illi subiecta esse debet. Anacleti successor Evaristus peracri epistola Egypti episcopos pupugit, quod sedium commutationes ambirent, eisdem ecclesiasticarum causarum ordinem et iura praescribens. Idem fecit s. Victor Demetrio Alexandrino paschatis rite celebrandi calculum : et divus Fabianus Alexandrinis et Aegyptiis chrismatis conficiendi caeremonias; et divus Marcellinus ac postea Eusebius rectas Ecclesiae administrandae regulas promulgans. An iterandus esset collatus ab haeretico quodam baptismus Dionisium Romanum consuluit eiusdem nominis Alexandrinus, qui postea erroris insimulatus, quod Sabellii sequax tres personas Trinitatis in unam restringeret, apud Romanum causam dixit, et absolutus est, teste divo Athanasio, et in eo iudicio patefactum, in Romana esse supremum Ecclesiae tribunal. Paulo Samosateno se opposuit Maximus, Dionisii successor, ad quem divus Felix I romanus, dictus in vestro Haymanot Abbau Feliquis,uc lulentam misit de Christi incarnatione epistolam, in Ephesino concilio (ut refert Vincentius Lirinensis) summopere laudatam. Ario presbytero Alexandrino, tamquam draconi, ex Nili paludibus prosilienti, obluctari non est ausus Alexander episcopus Alexandrinus; sed se et Osium episcopum Cordubensem multis Ecclesiae legationibus clarum Alexandriam missum, et concilium Nicaenum constanter obiecit s. Silvester, quem dicitis Solpetros et Selabastros. Sanctus Athanasius in eo concilio Alexandri diaconus et anno insequenti successor, ab Arianis atrociter exagitatus et diligentissime pervestigatus, nullum aliud toto orbe asylum nisi Ecclesiam Romanam (ad quam ter praesens confugit) et quinque ipsius pontifices Marcum, Iulium, Liberium, Felicem II et Damasum protectores invenit. Qua de re ita divus Caelestinus: *Athanasius, Alexandria fugatus, in nostris partibus roboratus est. Hic ei redintegratus est status et in hac sede requiem communionis invenit a qua semper catholicis subvenitur* (1).

Divum Athanasium semper Ecclesia Romana protexit.

21. Si vobis iucundius est, ipsum divum Athanasium, quam Caelestinum audire, illius verba ex ipsius epistola ad solitariam vitam

(1) Epistol. ad clerum et populum Constantinop.

agentes percipite: *Mei,* inquit, *accusatores a Iulio vocati, ubi semel audiissent, Romae Ecclesiasticum consessum fore, ubi nec comes affuturus esset, neque *satellites pro foribus excubarent, nec ex Caesaris praescripto omnia fierent (quibus rationibus et non aliis episcopos vicerant) ita inhorruerunt et metu contracti sunt ut presbyteros detinerent ultra condictam diem privatimque dicerent: quandoquidem ecclesiastico iudicio vincere non possumus, solita nostra vi agamus.* Sed cum iidem suis grassati fraudibus, sola imperatoris Constantii ariani auctoritate concilium Antiochenum coegissent, et in eo Athanasium Alexandria, obtruso in eam Gregorio Cappadoce, homine externo ac semipagano, proscripsissent, eumdem omni noxa liberum Iulius declaravit et ad exempla potestatis Romanorum Pontificum in Alexandrinos eosdem furorem anhelantes censoriam epistolam scripsit, quam refert idem Athanasius, eosque illis verbis, tamquam mucrone adamantino, configit. *Cur igitur et de Alexandrina civitate nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis, hanc esse consuetudinem ut primum nobis scribatur, ut hinc quod iustum est definiri possit?* (1) Quae verba in suum favorem Athanasius non produceret, nisi solemni more receptum esset, ut aliarum Ecclesiarum, et praecipue Alexandriae, provisiones ad Sedem apostolicam referrentur. f. 79.

Divus Iulius romanus ab haereticis ob defensum Athanasium excommunicatur.

22. Ut autem nobis compertum sit quam mercedem Iulius romanus ex Athanasii defensione collegerit, *et mali corvi malum esse ovum* (2), et *de radice colubri,* ut ait Isaias, *regulum oriri* (3), pessimi illi episcopi ova aspidum rumpentes, *os suum in coelum posuerunt et lingua* terram everrentes (4), divo Iulio impudentissimum anathema impegerunt; ut noveritis, quos magistros et antesignanos ad divum Leonem romanum etiam pontificem excommunicatione percellendum, tam dispar Athanasio in Alexandrina cathedra secutus sit Dioscorus. Extincto tamen ab Alexandrinis ob sua flagitia Gregorio, Constans Occidentis imperator ad fratrem natu maiorem Constantium in Orientem iura dantem scripsit, ut iuberet Athanasium secum in Italia permanentem ad suam Ecclesiam redire. Cuius precibus cum ille annueret discedere noluit Athanasius, nisi prius, ut ipse testatur, Romam ascenderet (5), *Ecclesiam et episcopum aditurus* (6) et Constantio quaerimonias postea in eumdem iactanti, quod a se in Italiam ad Constantem profugisset, ita respondit: Profectus sum Alexandria,

(1) *Apolog.*, 2. — (2) *Isai.*, 14, n. 29. — (3) *Isai.*, 59, n. 5. — (4) *Psalm.* 72, n. 9. — (5) *Apolog.*, 2. — (6) Socrat., lib. 2, cap. 18.

non ad castra fratris tui sed Romam dumtaxat, me meaque Ecclesiae commendaturus. Et narrationem praesentem sic ipse concludit: *Ingens igitur gaudium in Ecclesia, pontifexque Iulius, ut gratularetur nostrae restitutioni, litteras misit ad ecclesiam Alexandrinam* (1). Quae in ea postea lectae coram presbyteris et diaconis, metam
f. 79,v. Athanasii *laboribus imposuerunt. Quibus in sententiis illud liceat animadvertere a Magno Athanasio Ecclesiam antonomastice solam Romanam; Episcopum vero, solum ipsius Pontificem nuncupari, ut et Tertullianus dicit: *Episcopum Episcoporum,* quem ut viseret Romam adire operae praetium putabat; sicut et Paulus Ierosolymam ascendit, *videre Petrum.* Ubi, notante Chrysostomo, Apostolus utitur graeco verbo, quod tantum locum habet in spectandis insignibus urbibus ac theatris magno personarum et spectatorum numero confertis, quia et Petrus et Iulius, ipsius successor, urbes erant et theatra, propter omnium virtutum ac coelestium donorum multitudinem et augustae auctoritatis specimen, ut praecipuum orbis miraculum visenda.

Divi Athanasii et Iulii ac Liberii Pontificum Romanorum eadem fides.

23. Sed quia similitudo conciliatrix est amoris, eiusdem fidei unitas Athanasium Iulio et Iulium Athanasio conserebat. Nam antequam ipsum in communionem Iulius admitteret, hospitalem ab ipso tesseram poposcit; ille vero protulit symbolum a se compositum, quod Athanasii dicitur, eoque conspecto, Iulius intimas amicitiae fores eidem patefecit. Quo etiam usus est artificio Liberius, fidei formulam eidem offerens, eiusque subscriptionem exigens, hac addita peroratione: *Huic confessioni, frater Athanasi, quae vera fides in sancta catholica et apostolica Ecclesia censetur, si mecum sentis, coram iudice Deo et Christo, quaeso, subscribas quo certiores reddamur, num eiusdem nobiscum suffragii sis, idemque statuas de recta fide, ut et ego securior efficiar tuaque mandata sine haesitatione obeam* (2). Cui formulae cum Athanasius incunctanter subscripsisset, eius causam Liberius ita propugnandam suscepit, ut post innumeras vexationes, a Constantio inflictas, Roma tandem sit exactus, et in exilium Felice II eidem substituto, amandatus.

Fides Athanasii a Romana Ecclesia difluxit.

24. Videtis igitur fidem Romanorum Pontificum et divi Athanasii fidem tam indiscreta similitudine invicem connexas ac pene confusas ut difficile sit iudicatu, num suam illi ab Athanasio num Athanasius suam ab ipsis sit faeneratus. Sed vero propius est ut dicamus Athanasio suam a Romanis faenore acceptam; nam prior

(1) *Apolog.*, 2. — (2) *Lib. de confessione Athanasii.*

est mater filia, fons rivo, ignis flamma, sol radio et arbor erumpentibus ab ipsa floribus ac fructibus. Illud tandem memoriae mandandum, quod ad Theophilum patriarcham scripsit divus Hieronymus: *Semper oportet meminisse Romanam fidem apostolico ore laudatam, cuius se esse participem Alexandrina ecclesia gloriatur* (1).

*Ecclesiae Aethiopicae fons est Ecclesia Romana, ad quam redeundum. f. 80.

Ecclesia Aethiopica a divo Athanasio fundata.

25. Duo ex dictis hactenus corollaria leguntur. Primum, Alexandrinam Ecclesiam a Romana erectam et ipsius fidem ab eadem derivatam. Secundum, unam et eamdem divi Athanasii, et quinque Romanorum Pontificum ipsi patrocinantium, et cum iis omnium praecedentium, fidem extitisse. Restat, ut tertium ostendamus; Ecclesiam scilicet Aethiopicam a divo Athanasio fundatam et ab eo primum ipsius episcopum sacro chrismate delibutum, et eadem, quam ipse colebat, fide et doctrina institutum.

S. Athanasius in hac Aethiopia non praedicavit, sed eunuchus reginae Candacis.

26. Non enim prima vestrae fidei scaturigo emicuit a divo Mattheo apostolo et evangelista, qui non in superiori Aethiopia, quae vestra est, sed in inferiori, quae est Nubia, inter vestram et Aegyptum sita, evangelium divulgavit; sed ab eunucho reginae Candacis, Meroe, quae eadem est cum Goiama, imperantis, cum Ierosolyma rediret, a Philippo diacono aquis salutaribus lustrato (2). Verum ipse, cum nec episcopus esset, nec presbyter, nec divinis ritibus satis eruditus, utpote eos in via tantum edoctus, quamquam famam ultra mortalium tunc vitam agentium aetatem transmiserit, illam tamen ipsius fides non superavit, sed eam iam sopitam ac pene extinctam suscitavit post annum Christi 327 divus Frumentius a vobis dictus Fremonatos, vel Abba Selamâ, idest pater pacificus, quod primus ad vos missus a divo Athanasio episcopus, Aethiopiae cum Deo pacem et salutem apportaverit (3).

Docere non poterat divus Frumentius nisi quod ab Athanasio acceperat.

27. Vera ne haec sint, an falsa, quaeso respondeatis. Vester ne fuit apostolus Frumentius an alius aliunde petitus? Consecratus ne et ad vos ab Athanasio, an ab alio transmissus? Quis id poterit inficiari et tantam ausit a vobis gloriam evellere? Si ergo vester apostolus est Frumentius, si illius institutor et consecrator Atha-

(1) Epist. 68. — (2) Supra lib. 1, cap. 5, n. 1. — (3) Ibid., n. 5.

nasius, hic vobis fons et origo. Hanc oportet consectari et redolere. Nam, ut bene Tertullianus: Omne genus ad originem suam censetur (1). Quid vobis Frumentius tradere potuerit quam quod a suo magistro accepit? Quid illi magister instillare quam quod in suis ipse libris profitetur? Ecclesiam per antonomasiam Romanam esse: et praesidem ipsius episcopum: cuius convictum in fide et unionem
f. 80,v. cum ipsius Ecclesia, suis, si salvi esse *velint, affectandam. Hic enim vigere debet, quod ad Dioscorum his verbis scribit Magnus Leo: *Cum beatissimus Petrus apostolicum a Domino acceperit principatum et Romana Ecclesia in eius permaneat institutis, nefas est credere quod sanctus discipulus eius Marcus, qui Alexandrinam primus Ecclesiam gubernavit, aliis regulis traditionum suarum decreta firmaverit, cum sine dubio de eodem fonte gratiae unus spiritus fuerit discipuli et magistri nec aliud ordinatus tradere potuit quam quod ab ordinatore suscepit* (2). Cum igitur Ecclesia Romana unus idemque fuerit fons discipuli et magistri, idest Athanasii et Frumentii, et iste vel cum adhuc iuvenis esset, romanos negotiatores quaereret et cum iis conventicula romano more celebraret (3), nefas est credere aliud vobis tradere potuisse aut voluisse, quam quod ipse sua sponte factitabat et ab apostolico ordinatore susceperat.

28. Apostolicum enim fuisse Athanasium inscriptio ipsius fragmentis in Haymanot Abbau praefixa depraedicat, ideo vero apostolicum, quia ipsius fides b. Marci primi Alexandrinae cathedrae antistitis et b. Petri illam erigentis fidei congruebat. De illo enim sic ait in oratione de ipsius laudibus Nazianzenus: *Apostolice et spiritualiter ad Marci thronum Athanasius evehitur non tam primariae sedis, quam pietatis successor; quae quidem proprie successio est existimanda. Nam qui eamdem fidei doctrinam profitetur, eiusdem quoque throni particeps est, qui autem contrariam fidem amplectitur, adversarius quoque in throno censeri debet. Atque haec quidem nomen illa vero rem ipsam et veritatem habet successio. Neque enim qui per vim irrupit, successor habendus est, sed qui eadem fide praeditus est, nisi quis fortasse ita successorem dicat, sicut morbum sanitati et tenebras luci et tempestatem tranquillitati et dementiam prudentiae succedere dicimus.* Ut sincera fides Athanasium reddidit apostolicum et sedis b. Marci successorem, ita et Frumentium sancti Athanasii et reliquos antistites aethiopicos divi Frumentii sectatores reddet et

Divus Athanasius dictus Apostolus.

Fidei vera est successio.

(1) *Lib. advers. haeret.*, cap. 3. — (2) Epist. 81. — (3) Supra lib. 1, cap. 5, n. 4.

vestram Ecclesiam primam et apostolicam instaurabit, et qualis istius tempore vernabat, ex illustri oraculo Tertulliani lib. *Advers. haeret.* (1). Ubi cum statuisset apostolos ecclesias apud unamquamque civitatem condidisse, subiungit: *A quibus traducem fidei et doctrinae semina caeterae exinde ecclesiae mutuatae sunt et quotidie mutuantur ut ecclesiae *fiant per hoc et ipse apostolicae deputantur, et soboles apostolicarum ecclesiarum. Ad hanc quoque formam provocabitur ab illis ecclesiis, quae licet nullum ex Apostolis vel apostolicis auctorem suum proferant, tamen in eadem fide conspirantes, non minus apostolicae deputantur pro consanguinitate doctrinae.* Ergo licet vestra Ecclesia nec apostolum nec ullum ex apostolorum discipulis proauctorem edat, vinculo Fidei Frumentio, Athanasio, Marco, et Petro conglutinata, non minus apostolica initio deputabatur, quam Alexandrina et Romana ob eiusdem doctrinae sanguinem inter ambas commeantem.

Apostolicae sunt Ecclesiae quae vel apostolos vel apostolicos viros habent auctores.

f. 81.

Ad s. Frumentium, fidei suae fontem recurrere debet Aethiopia.

29. Nunc diligenter perscrutandum, an fides vestra Frumentii, Athanasii, Marci et Petri fidei et doctrinae, quae una fuit in omnibus, concinat, an ab illius regulis aberret et planum est in multis articulis exerrare. Illi enim patres Spiritum Sanctum a Patre et Filio, recentes a solo Patre profluere contendunt. Illi singularem Christi personam duabus naturis efflorescere, hi altera truncata deformem asseverant. Et sic in aliis fidei dogmatis. Aliunde igitur, non a primis illis patribus, hoc profectum est dissidium. Illud ergo agendum, quod monet in simili dissertatione martyr Cyprianus (2): *Si canalis aquam ducens, qui copiose prius et largiter profluebat, subito deficiat, nonne ad fontem pergitur, ut illinc defectionis ratio noscatur; utrum ne, arescentibus venis, in capite unda siccaverit, an vero, integra inde et plena procurrens, in medio itinere destiterit. Ut si vitio interrupti aut bibuli canalis effectum est quo minus aqua continua perseveranter ac iugiter flueret, refecto et confirmato canali, ad usum atque ad potum civitatis aqua collecta eadem ubertate atque integritate repraesentetur qua de fonte proficiscitur?* Hactenus Cyprianus. Indubitatum est primos fidei vestrae liquores a primis Alexandriae fontibus, Petro apostolorum principe et discipulo ipsius Marco, illimes et pellucidos exiisse, puros etiam et chrystallinos ad Athanasium pervenisse, illibatos quoque ab eo ad Frumentium, Petrum, Theophilum et Cyrillum transiisse; turbidos vero, lutulentos vel

(1) Cap. 20. — (2) Epist. 74 *ad Pompei.*

etiam aridos, apud Dioscorum, Timotheum, Aelurum, Mogum, Theodosium et alios eiusdem farinae repertos, et aureae venae perennitatem eosdem defecisse; et simul vobis catholicae fidei canalem aruisse et veritatem non solum nutasse et vacillasse, sed penitus afflictam corruisse. *Redeundum igitur* (concludit Cyprianus) *ad originem dominicam et evangelicam et apostolicam traditionem* (hoc est
f. 81,v. ad Christum, Petrum, Marcum, *Athanasium, Frumentium, Theophilum et Cyrillum) *ut inde surgat actus nostri ratio, unde ordo et origo processit.* Romana igitur Ecclesia ante Frumentium et Athanasium vestra est origo, ad illam censemini et revertimini.

Synodus Nicaena Aethiopica.

30. In vestris etenim synodis inter capita concilii Nicaeni illud reperitur: *Quatuor sunt praecipuae toto orbe sedes, sicut quatuor flumina quae e paradiso egrediuntur, quatuor venti universales et quatuor elementa. Sed super omnes habet excellentiam et primatum cathedra s. Petri Romae. sicut apostolum* [sic] *docuerunt; secundo loco est cathedra Alexandriae, s. Marci; tertio cathedra Ephesina, s. Ioannis Evangelistae; quarto cathedra Antiochiae, quae etiam est divi Petri. Ex istis omnes Ecclesiae episcopi procedunt.* Aeque vere dici posset, non solum omnes alias, sed etiam ex Romana istas processisse; quae ideo radix est et matrix omnium Ecclesiarum, ut eam vocant sanctus Cyprianus et Optatus Millevitanus. Sed illud capitulum, quod, caetera quidem verum est, valde mendosum evadit in asserendo Ephesinae Ecclesiae patriarchatu, quem nemo unquam somniavit praeter Timotheum Aelurum ab haereticis loco martyris Proterii in Alexandrinam intrusum, qui, Basilisci imperatoris eutychiani gratia inflatus, anno 476 Ephesum porrexit et asseclam quemdam suum Paulum in episcopali sede collocavit, iactans se illi Ecclesiae ius reddere patriarchatus, quo ipsam spoliaverat concilium Chalcedonense; cum de ea re in eo nec verbum incidisset. Idem vero Timotheus ex divi Cyrilli scriptis apud Dioscorum servatis necdum vulgatis, et ex pluribus aliis doctoribus multa loca truncavit et in vestrum Haymanot Abbau invexit (1), de quo aliquando plenius, et similiter in synodos fumeum Ephesi patriarchatum.

Error de patriarchatu Ecclesiae Ephesinae a Timotheo Aeluro in synodos obtrusus.

Oriens Ecclesiis primatum non confert.

31. Sed quidquid de eo mentitus fuerit Aelurus, Romanae sedis excellentiam et primatum non est ausus vel tantillum elevare, quod aliqui Alexandrini postea tentarunt, effutientes, illum Alexandriae tribuendum, quod civitas illa prae Roma magis sit orientalis. O

(1) Bran Haymanot, lib. 1, cap. 11, n. 16; lib. 7, cap. 24, n. 2.

insignem insipientiam! Orientem gemmis et aromatibus primatum dare notum est; urbibus et ecclesiis nunc primo auditum. Si vero daret, prima omnium Ecclesiarum esset Calaminae, sive Meliaporis, a divo Thoma apostolo inter extremos Brachmanas ad orientem metata, eique proxima Ierosolymitana a Iacobo fratre Domini curata. Si vero ad primatum Petri nomen poscitur, esset Antiochena, cum Syria propior sit orienti quam Aegyp*tus. Imo Christum Ierosoly- f. 82.
mae cruci affixum, et Petrum Romae, divus Maximus (1), dictus a vobis Pachimos, et divus Clemens (2) animadvertunt, ut quemadmodum *ipse Orientis regionem propria illustraverat passione, sic obscuriorem Occidentis plagam, ne quid minus esset, Petri apostoli, velut omnium potentioris, sanguine dignitus* [sic] *est illuminare.*

Romae nulla umquam fuit haeresis, multae in aliis sedibus.

32. Difficiliorem vero provinciam, Orientis curationem, in quo sunt duae sedes patriarchales genuinae, Alexandrina et Antiochena, et duae honorariae, Ierosolymitana et Constantinopolitana, Christus assumpsit, Romam cum Occidente Petro delegans, quia in illis a condensa haeresum ibidem subnascentium et luxuriantium silva expurgandis multum operae insumendum, in hac iucundius Petro et successoribus laborandum, quia, ut testatur Paulus, *eius fides annuntiatur in universo mundo* (3): ed ideo divus Cyprianus, *ad eam*, inquit, *perfidia non potest habere accessum* (4), et D. Gregorius Nazianzenus: *Ab antiquis habet rectam fidem* (5), et Ruffinus: Romae *nulla haeresis exordium cepit et mos ibi servatur antiquus* (6); et divus Cyrillus apud s Thomam: *Ab omni seductione et haeretica circumventione semper fuit immaculata* (7), et Theodoretus: *Tenet ista sancta sedes gubernacula regendarum toto orbe Ecclesiarum, tum propter alia, tum quia semper haeretici foetoris expers permansit* (8). At sedes illae orientales quot haeresum monstra, quot Patriarcharum illis infectorum portenta fuderunt? Antiochena Paulum Samosatensem, Eulalium, Eusebium, Eufronium, Flacillum, Euzonium, Vitalem, Porphyrionem, Petrum Gnapheum, Severum, Stephanum et Macarium, Constantinopolitana Macedonium, Eudoxium et Demophilum arianos, Nestorium, Acacium, Anthimum, Pyrrhum, Paulum, Sergium, Petrum, Photium et Michaelem Cerularium, praeterquam quod haeresis eutychiana suas ibi cunas posuerit. Ierosolymitanam fidem, *illibatam usque ad illa tempora virginem* ut loquitur Eusebius Caesariensis (9), repulsae

(1) Serm. 5 *De ss. apostolis Petro et Paulo.* — (2) Epistol. 1. — (3) *Rom.*, 1, n. 8. — (4) Lib. 1, epist. 3. — (5) In carm. *De vita sua.* — (6) *In symbol.* — (7) In opusc. *Contra errores Graecor.* — (8) In epist. *Ad Renat.* — (9) Lib. 4, *Hist. Eccles.*, cap. 21.

impatiens quidem Thebules, illius Ecclesiae candidatus, sua ambitione corrupit et alii deinceps episcopi haeretica contagione polluerunt. Quid Alexandria? Natale solum fuit Arii, Dioscori, Timothei, Theodosii, Themistii, Cyri et Cayani. Nec propriis contenta finibus externos etiam, Severum Antiochia et Iulianum Halicarnasso adoptavit et propugnavit, et olim tempore divi Athanasii praeter Lucium, duos cappadoces Georgium et Gregorium Antiochenae Ec-
f. 82,v. clesiae pres*byterum et Arii veneno contaminatum, eo eiecto episcopum arrogavit.

Conclusio.

33. *Quid ergo vobis est in via Aegypti ut bibatis aquam turbidam?* (1) *Quid arundineo* illius *baculo* confiditis, qui vobis saepe manus et semper animas, post haereticorum successionem, vulneravit? (2) *Attendite ad petram unde excisi estis* (3); ad Frumentium et Athanasium qui rationabili et romano *vos lacte et frumento electorum* (4) quale nunc vobis apportamus, non lolio, nec avena vitiato, nutrierunt. *Rationabile lac* istud a multis annis concupivistis, illius, *absque dolo* (5) nunc oblati, uberibus satiamini. Nam anno salutis humanae 1174 is qui Aethiopiae praeerat Imperator europaeum quemdam medicum, qui huc accesserat, Philippum nomine, cum mandatis misit ad Rom. Pontificem, quibus docebat nihil sibi magis esse cordi, quam doctrinae catholicae et apostolicae sub romanis doctoribus insistere et, sicubi deflexisset, in viam revocari; se quoque discupere templum aliquod Romae habere, in quo Abassini possent romanis legibus erudiri, ut eas postea cultiores in patriam inferrent. Quae legatio oblata est Alexandro III, Venetias tunc colenti, et Philippus cum epistola remissus quam eminentissimus cardinalis Baronius eo anno exscripsit (6). Eiusque legationis fructus est domus Abassinorum ab eo tempore apsidi templi Apostolorum Principis affixa, cuius vicinia aliquo modo Aethiopia cum Romana Ecclesia coagmentatur. Arctiorem nexum curavit anno 1294 Nicolaus IIII, missis ad aethiopicum Imperatorem legatis. Et vicissim Zera Iacob Davidis imperatoris avus, alii ad pontificem Eugenium IIII et Concilium Florentinum anno 1438 expeditis. Ex quibus unus, cui nomen Abbati Nicodemo, ita scribit in epistola ad Eugenium: *Regem Aethiopum*

Legatio Imperatoris aethiopici anno 1174 ad Rom. Pontificem.

Abba Nicodemus in concilio Florentino.

(2) *Ierem.*, 2, n. 18. — (2) *Isai.*, 36, n. 6. — (3) *Isai.*, 51, n. 1. — (4) *Zach.*, 9, n. 17. — (5) 1 *Petr.*, 2, n. 2. — (6) Tom. 2, an. 1174.

tanti facere Romanorum nomen et latinam fidem ut nihil aeque in votis habeat, atque ut cum Romanis iungantur Aethiopes, et se Pontificis subdant pedibus, avidissimeque amplexurum esse, quae in synodo de concordia ineunda statuentur. Pontificem autem omnium Ecclesiarum caput fateri suoque splendore orbem illustrare, cui omnes Patriarchae, Episcopi, Reges et Imperatores inclinantur. Haec Nicodemus Aethiops in publico orbis theatro, non ut ille alius in nocturno angulo propter metum Iudaeorum (1).

Davidis et Claudii legationes et epistolae ad Rom. Pontificem.

34. Ad Clementem VII anno 1524 legatum misit potentissimus Impe*rator proavus tuus David, aliter Onag Seguedus, Zagaza- f. 83.
bum, cum duabus epistolis, in quarum prima haec verba continebantur: *O felix Sancte Pater. Ego tibi reverenter obedio, cum sis pax omnium et cuncta bona merearis, et ita aequum est ut omnes tibi obedientiam praestent, sicuti sancti Apostoli praecipiunt.* In secunda: *Cupio ingenti desiderio consequi sacrosanctam benedictionem a Vicario Domini nostri Iesu Christi. Nam procul dubio Sanctitas vestra est Dei Vicarius.* Idem Zagazabus in confessione fidei edita anno 1548: *Nostri certe ab exordio primitivae Ecclesiae Romanum Pontificem ut primum episcopum agnoverunt.* Abbas Petrus aethiops in fronte dedicationis evangeliorum Paulo III, eodem anno excusorum: *Sciant per te omnes, nos ab Ecclesia Rom. non abhorrere quin imo illam ut matrem omnium Ecclesiarum amplecti ac venerari. Quod facile ex multis epistolis, quae ad hanc sanctam sedem a Regibus nostris missae sunt, videri potest.* Asnaf Seguedes, sive Claudius Davidis filius, tuus patruus maior, sic ad eumdem Pontificem anno 1549: *Audi nos, Paule pater noster, Paule princeps patrum Romae cui subiiciuntur septem Reges christianorum.* Eisdem se votis distineri patruelis tuus Zadenguilius Pontifici Clementi VIII per litteras significavit, sed indignissima caede sublatus, laboris sui fructum colligere non potuit. Ipsammet viam instituit Maiestas Vestra, potentissime et felicissime Imperator, non semel ex patrum Societatis Iesu consilio (quibus, secundum Deum et ardentem V. Maiestatis zelum, primae partes debentur in Aethiopiae ad sedem apostolicam revocatione), per epistolas urgens romanum pontificem Paulum V et Catholicum Regem Lusitaniae ut Patriarcham et evangelicos praedicatores isthuc quantocius impelleret.

Solvenda fides olim praestita Lusitanis.

35. Venit tandem hora, potentissime Imperator, et nunc est, qua V. Maiestas suam et maiorum suorum fidem, ac manus trabali

(1) *Ioan.*, 3, n. 2, et 19, n. 39.

multiplicis sponsionis clavo apud serenissimos Lusitaniae Reges defixas, liberare potest. Nemini enim non est pervulgatum in Aethiopia proavum tuum Davidem et patruum Claudium Lusitanos in suum auxilium concivisse sub ea conditione eis se tertia imperii parte cessuros, et romanam fidem amplexuros, si suos fines a Mahometanorum et aliorum hostium iniuriis vindicarent. Quae conditio ab Imperatoribus adiecta, et a dynastis ac popularibus tunc
f. 83,v. admissa, in omnes posteros *obligationem derivavit. Igitur quater centum ex Lusitanis velut totidem leones, sub clarissimo et praestantissimo duce Christophoro a Gama, huc se intulere, qui prius universam Aethiopiam suo sanguine conserentes, Mahometanorum iugum et gladium ab ipsius cervicibus depulerunt, caeso Granha Adelensi, qui iam per annos quatuordecim totum imperium instar fulminis attriverat et devoraverat. Huius sanguinis, adeo generose et liberaliter effusi, debitores estis, Abassini. Nec mediam necdum tertiam partem, neque adeo pedis passum vestrorum finium umquam Lusitani quaesierunt: tota ipsorum merces et stipendium fuit romana fides; hanc amplectimini et toto vos debito exsolvistis.

Tabernaculum David hic reaedificandum.

36. Praeter Davidis et Claudii promissionem (siquidem alterius Davidis, Salomonis et Menilec ab eo iuxta vestram traditionem ex regina Saba editi, sanguine gloriamini) curate ut in vobis impleatur illud Amos Prophetae vaticinium (1): *In illa die suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, et reaedificabo aperturas murorum eius et ea quae corruerant instaurabo et reaedificabo illud, sicut in diebus antiquis*. Satis dilaceratum fuit hactenus vestrum (non Ecclesia) sed arena fixum tabernaculum, multis scissuris et hiatibus deformatum. Imo non iam tabernaculum; sed ob multas scissuras, tabernacula in quarum punitionem, quae appendix est iniquitatis, vates alius dolet, se *pro iniquitate vidisse tabernacula Aethiopiae* (2). Hoc tabernaculum tempus est consuendi, sarciendi, instaurandi et reaedificandi, *sicut in diebus antiquis*. Qui sunt dies antiqui, nisi Apostolorum et fundationis Ecclesiarum apostolicarum tempora, ut sub Petro et Marco, Frumentio et Athanasio? Nec quod tanta fuerit annorum et errorum intercapedo, animum dispondeatis. Has scissuras romana fides consuet, sarciet, redintegrabit et cicatricem ita obducet, ut Ecclesia vestra absque ullo scissurae vestigio, antiquae Ecclesiae, tam Alexandrinae sub Athanasio, quam Romanae coaptetur, quin ab illis

(1) Cap. 9. — (2) *Habac.*, 3, n. 7

eiusdem fidei merito dignoscatur. *Ubi enim fides est,* inquit Chrysostomus, *ibi Ecclesia, ubi non est fides, neque Ecclesia* (1). Et divus Ambrosius: *Ubi est Petrus ibi et Ecclesia* (2). Ego sane quamvis non sim *sapiens architectus,* Petrum et romanam cathedram, quae ipsamet est Christi Ecclesia, importo, sciens, ex ipsius et Apostolorum doctrina, nullum ali*ud fundamentum esse, et qui extra illud aedificat, f. 84.
destruere; nec lapides colligere, sed dissipare, nec murum, sed scissuras ruinamque moliri. Scio Alexandrinam Ecclesiam nunc Christi ovile non esse, sed caenosum volutabrum et vulpium vineas demolientium luporumque cubile. Scio illam vobis hactenus fuisse novercam exitiabilem, et cum Cypriano, *non habere Deum patrem qui Romanam Ecclesiam non habeat matrem* (3). Ad huius brachia et amplexus properate, huius papillas appetite, ut Deum parentem nanciscamini et eiusdem filii sitis et cognominemini. Ab illius enim communione avulsi sitietis, anhelabitis, concidetis. *Avelle,* inquit idem pater, *radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte praecide rivum, praecisus arescet* (4). Illi adhaerete, vos conserite et conglutinamini: mox vivetis, florebitis et uberes in aeternum fructus feretis.

Deum non habet patrem qui Romanam Ecclesiam non habet matrem.

(1) Homil. 6 oper. imperf. in *Psal.* 40. — (2) 1 *Corinth.*, 3, n. 10. — (3) Lib. *De unit. Eccles.* — (4) Ibidem.

CAPUT III.

Imperatoris ratiocinatio et ab eodem praestitum obedientiae et fidelitatis iuramentum.

1. Patriarchae orationem arrectis auribus omnes hauserunt, sed nemo attentior quam Imperator, qui, post modicum silentium, sequentem responsionem ductim proregi Melcâ Christôs in aurem suggerebat, ille vero contenta voce in frequentem concionem efferebat. **Ore Melcâ Christôs locutus Imperator.**

2. *Omnes quotquot adestis, auditote. Imperatoris Claudii tempore Adelensis Granha falsi Mahometis sectator totam fere Aethiopiam sub suum miserat hastile: suas copias in angustum compactas cernens Imperator, Lusitanos in auxilium accivit, pollicitus illis a se tributum iri tertiam regni partem et romanae fidei, quam solam veram norat, cum tota sua ditione nomen daturum addito iureiurando et solemni anathemate, ne pactio vacillaret. Lusitani, non lucri cupidine, sed solo fidei amore illecti, cuius ut sequaces sunt, ita tenaces, ad quatercentenos advolarunt, et illa gessere facinora quae nostris et saluti et miraculo fuere. Multa Mahometanorum millia regemque et ductorem ipsorum Granham internecioni dederunt, sanguinis sui pretio facti nostrae libertatis, et regni assertores.* **Abassinorum erga Lusitanos obligatio.**

f. 84,v. *3. *Imperator tamen ipsiusque clientes ingrati, dirarum et sacramenti fidem solvere noluerunt, nec subesse Patriarchae a Lusitania transmisso. In cuius perfidiae poenam Deus in nos ferreorum dentium formicas, Gallas nempe, immisit, qui discincti et seminudi* **Claudii ingratitudo et aliorum Imperatorum morae.**

quotidianus nostrorum finium terror sunt et vastitas. Procedente deinceps tempore, extincto Malac Seguedo, ipsius filius Iacobus legitimus regni haeres successit, adhibita ad servandam fidelitatem imprecatione, et divini nominis in testem invocatu. Pauci tamen anni excesserant, cum rebelles regno exutum exilio manciparunt. Malac Seguedi prolem non esse causati et potestatis insignia fratri meo patrueli Zadenguilio detulere; sed eumdem ante annum immaniter et indigne trucidarunt. Tunc ab iis ad me itum, apud Xaoam in coenobio Debralibanos longe diversa cogitantem (nam otii captandi et harum litium vitandarum gratia, eo me collegeram) deprecantibus ut imperio deserto subvenirem. Quibus respondi: Vobis mos vel morbus antiquus haeret, ut sacramenta ed adiurationes violetis, Reges e medio tollatis, et populum in seditiones distrahatis: me quaeso, sinatis vitam tranquillam agitare. Institerunt, me ipsorum Regem nec alium futurum ac fidem solito iuramento et imprecationibus munierunt. In regnum, multis titulis mihi debitum, quod nec ambitu nec cogitatu quaesieram ingresso idem facere, quod aliis, sunt connixi, Iacobum ab exilio revocantes et me dominatu exigentes. Ipsis tamen tunc serio edixi, turpius hospitem domo expelli quam non admitti, et me pro viribus nomen, quod invito et reluctanti obtruserant, adstipulante Deo, defensurum. Nec me festinum ipsius auxilium defecit; Iacobum enim primo certamine fudi ac fugavi, caesis pluribus, qui ipsius causam tuebantur.

Seltan Seguedus imperium invitus suscipit, sed susceptum fortiter defendit.

Aethiopiae errores in propriis ipsius libris agnovit Imperator.

4. *Mox in fidei disceptationes diligenter inquisivi ab iis qui inter nos sunt peritiores causam nostri dissidii a Romanis sciscitatus; librosque nostros evolvens, deprehendi, aliud ab ipsis aliud a magistris eos ad palatum suum interpretantibus, doceri. Ideo penes me constitutum fuit, solam fidem romanam veritatis solium, absque titubatione et vertigine insidere; eam vero, quam sectamur, versatilem esse ac fallacem et haustam ab impio Dioscoro, qui, Eutychetis deliria secutus, Christum, una natura truncata, *in alterius solitudinem* f. 85.
compegit. Quod par haereticorum damnatum fuit in concilio Chalcedonensi a. 630 patribus congregatis iussu divi Leonis rom. pontificis Christi Vicarii et Petri Apostolorum principis successoris. Eorumque errores prius anathemate perculsi fuerant a ducentis patribus concilii Ephesini et a 150 Constantinopolitani et tempore Sylvestri pontificis romani, et imperatoris Constantini, a tercentis decem, et octo concilii Nicaeni. Ob quam doctrinam mendacem ac morbosam Dioscorus fuit excommunicatione fulminatus et a Romana Ecclesia

dissectus; et quidem ipsius auditor Iacobus Zanzallus syrus, eamdem Alexandriae disseminavit et in nos omnium haeresum tabem pestifera contagione diffudit.

5. *His omnibus mature pensitatis et perspecta rerum nostrarum mobilitate et inconstantia et dolosa magistrorum doctrina cui, cum deesset solidum petrae, tam Christi, quam Petri fundamentum, nulla poterat inesse firmitudo. Catholicis fovendis animum adverti, et Romanam fidem sum amplexatus, atque ob illius tuitionem vitam saepius in apertum discrimen conieci, multis exoticorum et domesticorum persecutionibus petitus. Quos inter fuit Ionael, quem in regni Bagamedrini proregem evexeram, generque meus Iulius, cui filiam nuptui et in ipsum ingentia beneficia collocaveram. Omnes tamen mihi adversantes divinum brachium prostravit et meis pedibus subiecit. Quamobrem velim intelligatis, hanc meam esse mentem et, sive regnem sive regni sim exors romanam fidem credere et profiteri et in illius defensionem paratum esse, si opus fuerit, mortem oppetere, nec quidquam fore, quod me, Dei gratia opitulante, possit ab illius prosecutione dimovere, et ideo fidenter assero cum divo Paulo* (1) *nec famem, nec sitim, nec persecutiones, nec labores, nec angustias, nec praesentia, nec futura me posse a vera fide romana et Christi amore separare.* Hactenus orator auricularius.

Romanam fidem Imperator profitetur et amplectitur.

6. Post mediocrem moram, Patriarchae dixit Imperator: *Ne credant* (haec solemnis est formula allocutionis per tertiam personam numeri pluralis, omnium ad Imperatorem: huius et universorum ad Patriarcham et inferiorum ad nobiliores) *novum esse et insolens quod a me reposcunt et illico sum praestaturus. Multum est ex quo S. Sanctitati obedientiam spopondi in manibus patris Antonii superioris, qui hic adstat.* Et cum surgendi indicium fecisset, sedens pro maiestate Patriarcha apertum evangeliorum librum prae mani-
f. 85,v. bus sumpsit, et Impe*rator obedientiae et fidelitatis iusiurandum in haec verba concepit.

Fidem non primum suscipit, sed antea susceptam renovat.

7. *Nos Seltan Seguedus, Aethiopiae imperator, credimus et confitemur s. Petrum apostolum principem totius Ecclesiae christianae caput a Christo Domino nostro constitutum eique principatum super totum orbem concessum, cum eidem dixit: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et tibi dabo claves regni caelorum, et iterum: Pasce oves meas. Ulterius credimus et confitemur*

Formula iuramenti.

(1) *Rom.*, 8, n. 39.

Romanum Pontificem legitime electum esse vere divi Petri in administratione successorem et super universam Ecclesiam habere eamdem potestatem, dignitatem et primatum. Tandem Sanctissimo Patri Urbano Domino nostro divina providentia papae VIII ipsiusque in Ecclesiae principatu successoribus spondemus, vovemus et iuramus veram obedientiam et fidelitatem et cum omni submissione nostram personam, haeredes et totum imperium ante ipsius pedes substernimus, sic nos Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Iusiurandum caeterorum.

8. Imperatorem suo ordine consecuti sunt principes, ipsius fratres, proreges, dynastae, et ecclesiastici tam monachi quam clerici singuli verba illa proferentes: *Ego idem spondeo, voveo ac iuro, sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.* Verum Ras Selâ Christôs dignum sua fide et animi celsitate auctarium adiecit. Cunctos enim gravissimis verbis ad praestiti sacramenti observationem est cohortatus, et fervore abreptus, gladium vagina nudavit et in haec verba prorupit: *Eia, somnum excutite universi. Praeteritorum aeterna sit oblivio. Si quis tamen in posterum a concepti iurisiurandi tenore recesserit, hoc* (gladium tunc vibravit) *sciat se, quin ad aliud tribunal provocet, iudicandum.* Quae verba extulit intuitu aliquorum qui umbilicum ab haeretica pravitate nondum penitus avulserant, cuius indices litteras rebellionis et perfidiae ulterius protrahendae instigatrices apud Capraelis filium in sacculo repererat. Quibus illae comminationes terrorem, ut firmis catholicis solatium et calcaria subdiderunt.

Faciladas seu Basilides princeps iuratur.

9. Istius actionis celebritati cumulus accessit, principis Faciladas mortuo parenti in haeredem subrogandi sacramentum, quod summis votis optabat Imperator, plurium liberorum multitudine gravatus, ut in hoc, natu maiore et ante coeteros dilecto, regni spem apud Abassinos maxime volatilem firmaret. Sed cunctis iuramentum absolute proferentibus, magnus Ras Selâ Christôs, ut genuinus Ecclesiae Romanae filius, appendiculam subiecit, *tamdiu se illum pro Rege habiturum, *quamdiu ille sanctam et catholicam fidem coluerit, foverit* f. 86.
et propugnaverit; nam si contraria via grassatus fueris, spondeo, voveo ac iuro (addebat) *me non pro te sed contra te gladium districturum et bellum velut hosti indicturum.* Qua conditione praecipui ipsius duces et senior filius sui iurisiurandi formulam consignarunt.

Praeconia in fidei favorem.

10. Fine duabus his actionibus perquam solemnibus imposito horrendum maioris excommunicationis fulmen in eos, qui pactis, et sacramentis illius diei non starent, Patriarcha contorsit, adiu-

vantibus ipsum multis clericis et monachis. Tenet enim communis Abassinorum sensus intentata anathemata multorum in eadem conspirantium adiuratione roborari. A duobus regiis senatoribus, geminis etiam patribus adstantibus, praeconis voce, pulsatis prius tympanis et tubis edictum, ne monachi vel clerici rem sacram facerent, aut divina munia publice administrarent, nisi prius, se sisterent Patriarchae vere ne an secus essent ordinati examinaturo et ut omnes sub capitis poena romanae fidei se dederent, nec quisquam rebellium esset occultator vel defensor, utque in adeundo ieiunio quadragesimali et celebrando paschate romanus ordo servaretur. Haec diem illum solemnitas terminavit, alio ad foeminarum sacramenta praestituto, qui omnium essent felicissimi nisi eorum laetitiam cauta superventurae mutationis opinio contaminaret.

CAPUT IV.

Patriarchae domicilium constituitur et p. Antonius Ferdinandius eidem vicarius generalis addicitur.

1. Post publica istaec pietatis documenta totum se ad Patriarcham quieti tradendum et commoda sede collocandum convertit Imperator, speculatoribus ad explorandum praemissis. Et antelatum fuit latifundium, cui nomen Enfrazio, in ultimis Dambaeae versus orientem finibus, ubi haec cum regno Bagamedrino conseritur: salubritate praestans, frumento abundans, quinque monachorum caenobiis illustre et celebre, frequenti per singulas hebdomadas nundinatu, Dancazio ad aquilonem relicto, quindecim; Ganeta Iesu ad zephyrum octodecim; Gorgorra ad occidentem viginti septem mil-
f. 86,v. liaribus divulsum: in sena *latitudinis ab aquilone ad austrum et in novena longitudinis ab oriente in occidentem diffusum. Illud ab oriente et aquilone praealti montes cingunt; in Dambaeam angustus in illius mare et Goiamam, longe post illud sepositam, latissimus patet prospectus. In eo mari Mechareca insula attollitur ad confugium, bellorum tempore utilis, et clara monachorum sub Teclae Hâimânot disciplina se exercentium caenobio.

Enfrasii latifundium Patriarchae tributum.

2. Frumentum Patriarchae convictoribus et externis assectatoribus (quorum pars maxima lusitani hinc inde collecti) sua quique agrorum portione distributa, affatim latifundium illud suggerebat.

cha concionabatur, quamvis aliquando et patres intermiscerentur. Gratissimae sunt curialibus divinae paginae allegationes, et plures congerentem et admirantur et credunt doctiorem. Poplitum in orando flexionem in Lusitanis nescio quis aliquando taxavit; et alius aras portatiles esse debere ligneas effutiit, cum tales essent, quae in arca testamenti claudebantur. Utramque rem falsam esse et ineptam Patriarcha multis sacrarum litterarum testimoniis probavit. Quae res ut nobis triviales, sic illis visae mirabiles et ad prodigium abstrusae.

Romanarum synodorum liber compositus a Patriarcha.

6. Multum tempus in castris salutantium officia, clericorum et matrimoniorum lites conterebant, multum quoque Imperatori tribuendum; gratior ad Depsan quies, licet perpetua ibi esset omnium ordinum ad sua negotia expedienda conversatio. Quod temporis supererat, scriptioni dicabatur. Id enim pensum patres et Patriarcha inter se partiti fuerant, ut alia opera ipsi fingerent et lamberent, Patriarcha synodorum silvam expurgaret et catechismum aethiopicum, rem omnium maxime necessariam, concinnaret. Synodos primum aggressus est, easque cum notis ad sextam generalem tantum provexit, quia praecipui Abassinorum errores circa Domini incarnationem grassantur, quorum fere nihil pos*teriores synodi, re iam f. 88.
debellata, meminere. Eas vero p. Antonius Fernandius, comite assumpto Epiphanio presbytero, aethiopicorum librorum satis perito, in idioma ecclesiasticum convertit, usque ad concilium Nicaenum, nam ulteriorem versionem imminens persecutio abrupit.

Et catechismus aethiopicus.

7. Catechismus in duodecim libros digestus, nec tantum Abassinorum, sed omnium haereticorum orientalium, qui instar vulpium Samsonis implexas habent suorum errorum caudas ad quintum, ubi omnes de Christi incarnatione quaestiones apud eos maiori contentione, quam scientia agitatae dissolvuntur, ab ipso Patriarcha, et p. Antonio translatae, Theseo ad nodosa linguae Aethiopicae fila explicanda vel Iethro ad difficiles viae anfractus demonstrandos electo regio senatore Olda Christôs ex familia Ras Selâ Christôs, qui iam in libris aliis vertendis cum p. Francisco Antonio ab Angelis egregiam operam navaverat. Cuius tanta erat capacis mentis vastitas, ut quamcumque theologicam quaestionem, licet difficillima esset, sibi de improviso explicatam, non secus, quam eximius apud nos theologiae candidatus aquilina perspicacitate penetraret, et aurea styli perspicuitate explanaret. Quod opus cum ille hero suo domi Patriarchae delibandum obtulisset, cum illac in Goiamam iter di-

rigeret, Ras post unius vel alterius paginae lectionem materiae amplitudine et patrii idiomatis elegantia delenitus: *Quod*, inquit, *huic operi nomen impositum?* Cui senator Olda Christôs: *Temirte Haimanot*, idest doctrina fidei. Tum Ras quasi ex templi oraculo: *Ne ulterius dicatur* Temirte Haymanot, *sed* Bran Haymanot, *hoc est, lux fidei, quia in eo, dimotis omnino tenebris, fidei difficultates in lucem liquidissimam eruuntur.* Haesit nomen, utpote a tanto viro editum et cum libro perennabit. Plures illius chartae tam latini quam aethiopici idiomatis in nostra expulsione, ob custodum in grassatores conversorum rapacitatem perierunt, quas proinde in India opus fuit resarcire, et liber, quibus potuit numeris, absolutus, anno 1646 Romam dimissus fuit Sacrae Congregationi de Propaganda Fide Catholica dicandus, e qua illud Patriarchae missum fuit in laboris gratiam rescriptum.

Epistola sacrae Congregationis de Propaganda Fide ad Patriarcham.

f. 88,v. *8. *Perillustris et reverendissime Domine uti frater. Libros ab Amplitudine Tua magna diligentia et studio (quod frequentissima in eis posita sacrarum litterarum testimonia plene indicant) compositos et elegantissima epistola huic sacrae Congregationi de Propaganda Fide dicatos, alacri animo eminentissimi Patres eiusdem Congregationis susceperunt, et circa illud duo potissimum facienda esse censuerunt; quorum alterum fuit ut Lusitaniae Assistenti Societatis Iesu praefati libri restituerentur, cum mandato ut quae in eis de Abassinorum erroribus ac pro illorum confutatione Amplitudo Tua scripsit ad partes annotarentur et postquam ea in uno libello ordinate digesta fuerint in typographia sacrae Congregationis praedictae ad usum missionariorum Aethiopiae imprimerentur. Alterum fuit ut nonnulli viri docti, vel saeculares vel regulares, quorum copia habetur in urbe deputarentur, qui illos recognoscerent diligentissime et referrent de eisdem eorum sententiam. Quae omnia Amplitudini Tuae iidem eminentissimi Patres significari et plurimas illi gratias agi iusserunt de librorum praedictorum sacrae Congregationi dedicatione. Quod praesentibus eorum nomine facio libentissime et Amplitudini Tuae officia mea offero paratissima; et simul a Christo Domino nostro cuncta prospera ex animo precor. Romae, die 14 octobris anni 1647. Amplitudinis Tuae uti frater studiosissimus.*

ALOYSIUS *cardinalis* CAPPONIUS.

Duo alii libri a Patriarcha compositi.

9. Praeter duos illos plusquam iustae magnitudinis libros, duos alios minutiores Patriarcha composuit, alterum *de Veneficiis*, occa-

sione calumniarum quae contra ipsum et patres disseminatae sunt; de quibus infra cap. 17, quod veneficorum grassaturas insectarentur; alterum in exordio persecutionis, quo ostendebatur, romanam fidem causam non esse bellorum Aethiopiae sed nativam gentis inconstantiam, ambitionem consuetudine roboratam, et licentiosam peccandi impunitatem.

Pater Antonius Fernandius vicarius generalis.

10. Rei domesticae et agrariae curatio demandata fratri Emmanueli Ludovici fido et indiscreto Patriarchae a Lusitania contubernali; plena rerum ecclesiasticarum administratio cum vicarii generalis nomine p. Antonio Fernandio Ulissyponensi, viro religione, scientia, canis, tricenni rerum aethiopicarum experientia et *auctoritate inter caeteros commendabili quique hanc Ecclesiam Ro- f. 89.
mani Pontificis nomine, ex indulto Gregorii XIII ad Patriarchae accessum integerrime procuraverat. Quem non minus aequum erat ab eo ad sua munienda latera consultorem deligi, ac suspici, quam a divo Ambrosio a secularibus infulis ad sacras raptim tracto et ecclesiasticorum rituum inexperto, venerabilem senem Simplicianum ad eumdem ob illam causam Roma a sanctissimo pontifice Damaso instructorem dimissum, ut tradit oculatus testis magnus Augustinus (1). Ita vero se, ac sua omnia illi Patriarcha crediderat, et in illius dicta, factaque iuraverat, ut crebro dicere solitus fuerit, p. Antonium ex vero Patriarcham esse, se illius ad sacros ordines conferendos et rescripta subscribenda episcopum titularem.

Quotidianae patris Antonii exercitationes.

11. Ut vero explorate noscatur, quanta inconfusibilis istius operarii in Aethiopicam Ecclesiam fuerint merita, eumque sibi caeteri missionarii ut primarium exemplar exprimendum proponant, operae pretium fuerit, quotidianam ipsius vitae imaginem hic delineare. Ad galli cantum, qui tertia post mediae noctis articulum hora in Aethiopia auditur, a somno surgebat et ante omnia corpus quotidiana flagellatione inscribebat, et cum dies illucesceret, noxas, si quae inhaeserant, ad confessarii aures expiabat. Sacro deinceps plena semihora ab ingressu in altare demensa, operabatur, et actis post illud per integrum quadrantem gratiis, suam se in cellam colligens, minorum horarum pensum exsolvebat. Inde ordinandorum examini clericorum et monachorum institutioni, dissidentium in matrimonio litibus (quae hic sunt ex antiqua licentia innumerabiles) et caeteris causis ecclesiasticis indefessus incumbebat. Si quid otii ante pran-

(1) Lib. 8, *Confess.*, cap. 2.

dium dabatur, et totum tempus pomeridianum post modicam quietem, librorum compositio insumebat. Unde variae ipsius prodiere lingua aethiopica lucubrationes.

12. Prima fuit volumen inscriptum *Magsef Assetat,* idest flagellum mendaciorum, adversus libellum mole parvum sed vastum mendaciis in romanam fidem et illius Patriarchas editum a Ras Athanateo, imperatoris Malac Seguedi genero, quem, cum esset omnium errorum velut in sentinam collectio, ille nobili *Masgueb Hâymânot,* idest thesauri fidei, inscriptione velavit. Hoc volumen paulo ante patris mortem Goae excusum in lucem exiit aethiopicis characteribus a sanctissimo domino nostro Urbano VIII ad Patriar- **Libri ab eodem exarati.**
f. 89,v. cham missis ut videatur Deus illi vitam proro*gasse quo videret laborum suorum frugem in horrea collectam. Secunda, Beatissimae Virginis, cui medullitus erat affectus, vita, lectissimis historiis et digressionibus ad confutandos Aethiopiae errores et mores componendos tessellata. Quod opus tanti faciebat (nec sine magno merito ob insignem ipsius praestantiam) ut illud morti proximus fratri Emmanueli tradens dixerit: Defer tenue hoc mei erga ipsum amoris monumentum Patriarchae, et affirmato, meorum oculorum pupillas ipsi in eo a me legatas. Curatum ut typis statim mandaretur; sed iam caepta pendet editio ob inductam a naufragiis papyri egestatem. Tertia, *Biane Cassaust,* idest instructio sacerdotum, omnes conscientiae casus in confessionibus apud Abassinos occurrere solitos exponens. Quarta *De opere sex dierum* in gratiam Imperatoris, et aulicorum hyeme anni 1628 in regia explicato et postea in omnium utilitatem vulgato. Quinta, *De iurisdictione ecclesiastica.* His accessere, correctio Haymanot Abbau aethiopici, quod est omnium illius gentis errorum scaturigo; et romani missalis ac ritualis in vernaculam linguam conversio et alia opera tenuiora non tenui tamen labore nec utilitate exarata.

13. Illius cibus, cibi potius erat delibatio quam iustum corporeae necessitatis alimentum; potus aqua egelida ob stomachi lassitudinem. Tota pene ipsius vita ieiunium dicendum; nam feriis quadragesimalibus, quartam, sextam et sabbatum cuiusque hebdomadae, adventum et quindecim ante Virginis assumptionem et totidem ante Michaelis Archangeli festum, dies addebat. Ita totus ipsi annus erat tanto vigore esurialis, ut ieiunii diebus raro piscibus, quia rari sunt, et numquam ovis, lacte et butyro, ob inolitam genti consuetudinem, uteretur; illudque semper per quadragesimam in ipso solis accubitu, **Continua ipsius ieiunia.**

reliquo anni tempore post horam nonam solveret, et non infrequenter solis placentis semiustulatis et lentibus modica olei aspergine decoctis, idque in viis, quas longissimas confecit, illa praesertim, qua per invias et barbaricas regiones in Europam tendebat, ubi se, inter Mahometanos, Gallas et infinitam torti crinis colluviem, formicae componebat, quae in medio campo sita praetereuntis exercitus pedes et equorum ungulas nil moratur, sed operi suo intenta semper ulterius contendit, et fruges nunc ore, nunc postremis pedibus et humeris obnixa molitur, donec condat in horreum. Haec plane tota vita fuit p. Antonii contentio et sedulitas, numquam a suscepto *semel perfectionis tramite recedens, nec arcum remittens, f. 90.
sed illum, ut in fine celeriores solent esse motus, ad senectam amplius intendens.

Caelestis vita Goae ab illo acta.

14. Nam post exilium coelestem vitam in Goano Societatis Iesu collegio spiritualis illius praefectus per annos septem agitavit exactissimum virtutum omnium exemplar. Potens erat in opere et sermone, privatis colloquiis et publicis, in sacello cohortationibus domesticos ad pietatem inflammans. Nullam omnino diem umquam recreationi seposuit, nec cum aliis ad villam levandi capitis ergo perrexit. Audiendarum in templo confessionum subsellium domesticis occupationibus interponebat, adeo in spiritualibus exercitationibus exactus, ut cum in suprema aegritudine a valetudinario ad refectionem sumendam urgeretur, eumdem sit deprecatus ut paululum sisteret, donec examen conscientiae absolveret, nam illam, dixit, toto vitae spatio bis singulis diebus ante prandium et cubitum, everri. De media nocte surgens duas minimum horas in fenestella, sacrae Eucharistiae proxima, orando transigebat, et ne a sociis, ipsam illico ubi stratum relinquerent, visitaturis cerneretur, citius suum se in cubiculum subtrahebat, in quo sic in meditatione ignis inardescebat ut summae fidei testis affirmet, se, cum ipsum quaereret et ter vel quatuor fores pulsasset et ad eum alibi vestigandum frustra vestigium torsisset, ad easdem iterum regressum, absque ulla pulsatione, de repente aperuisse, eumque a se inventum duos cubitos a pavimento elevatum. Quod illis, qui eum noscerent, mirum non est visum; illius enim spiritus adeo vehemens erat, corpus vero ob assiduam macerationem adeo extenuatum ut in proclivi fuerit istud ab illo in sublime raptari. Eo etiam tempore quo in viam illam longinquam se dedit, ad profluentem venit, qui nando tantum poterat superari; sed natandi ipse ignarus in citeriori ripa cum vesti-

bus et calceis haerebat, cum extemplo in ulteriori est conspectus vel ab Angelo custode, quem unice colebat, vel a suo spiritu Deo vegetante impulsus.

Felicissima illius mors.

15. Illum mors Goae die 12 novembris anni 1642, velut solius spiritus compotem et corporis omnino expertem, non invasit sed excepit, qualem Adami futuram creditur, si in statu innocentiae percalluisset. Nullo enim afflictatus morbo, nulla febre correptus, nullo membri alicuius dolore vexatus, sed solo naturae deliquio paulatim emarcuit, tanta animi tranquillitate, et aequabilitate, ut nemo ullam
f. 90,v. in eo turbatio*nem umquam dispexerit nec obiturus videretur, sed in villam aut a conducta domo in propriam mansionem abiturus ut quem nullius flagitii conscientia, quae mortis est aculeus, exstimulabat. In tanta doloris immunitate caudae antiqui serpentis verbera non defuere. Quadam enim die decumbentem maligni spiritus calcibus et pugnis valenter contuderunt, nec raro postea spectris et terriculis infestarunt. Gemitus et lachrymae a moriente in adstantes et assidentes transierunt et in nullum uberiores, quam in Patriarcham, quem et communis et privata iactura et arctior ex diuturno convictu amor commovebat illiusque pherethrum iuniores socii, quos instruebat, eiusdem virtutum conscii, variis floribus, ut coelestium indicibus, exornarunt. Tres supra septuagenos vitae exegit annos, quinquagenos quinos in Societate, in Aethiopia tricenos, in illius hominum et nostrum et Dei memoria ducet aeternos; unus enim est inter primos ex illorum censu qui ad missionum ministerium *tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Iesu Christi* (1), ut Apostoli in sua ad cunctos fideles epistola dixerunt. Hic eum mittamus sed frequenter adhuc in hac expeditione nobis occurret, et associabit.

(1) *Act.*, 15, n. 26

CAPUT V.

Diversae patrum Societatis Iesu residentiae et ecclesiae eriguntur.

1. Octo residentias Societas Iesu ante Patriarchae adventum in Aethiopia numerabat: Fremonensem omnium antiquissimam in regno Tigraeo; Dancatii, Ganetae Iesu et Gorgorra in Dambaeensi; Collelensem, Serquensem, et Gabramensem in Goiamensi: Athquanensem in Bagamedrino. Sollicitus tamen in catholicam molitionem ubique promovendam et firmandam Ras Selâ Christôs insigni diligentia satagebat, ut patrum residentiae atque ecclesiae, quas fidei arces et propugnacula dicebat, ubique locis tutissimis erigerentur, et cum hoc tempore molles ad Imperatorem aditus haberet et ab eo benevole audiretur, ipsi instinctor fuit ut ad aliquas extruendas sumptus et fundos suppeditaret. **Patrum residentiae numerantur.**

2. Earum prima fuit templi et residentiae in Gorgorrae peninsula architectatio, quae dicta est Nova Gorgorra ad distinctionem veteris, ab ea ad duo vel tria milliaria disiunctae. Summa voluptate et contentione hanc substructionem aggressus est Imperator, ut eo loco quo p. Petrus Paezius primam domum, quam viderat Aethiopia contignationibus sublimem, ipsi extulerat, nobilis ad ipsius tumulum fratrum eiusdem domus viseretur, quae tutissima esse **Novae Gorgorrae residentia et templum.**
f. 91. posset, si terrae lingula, *quae isthmum efficit, exiguo muro secaretur, et ubi Deus ipsum a Iulii et eunuchi Caflo insidiis eripuerat, ibi

illustre templum in gratiarum tanti beneficii actionem ipsius nomini tolleretur. Tantum cum p. Antonio tunc superiore duriter obnitente propter clamores illorum, quibus vicini agri essent avellendi, hac de re certavit Imperator, ut ipsi fuerit annuendum, et eodem cum aulicis praesente, primus lapis a Patriarcha solemni ritu iaciendus post paschales eiusdem anni 1626 ferias, operis daedalo fratre Ioanne Martinio architectonices admodum perito, qui augustum e fornice templum, et cui simile nullum ad ea tempora Indiae notum fuerat, in Diensi collegio erexit.

Maioris sacelli dedicatio.

3. Novembri anni 1627, maius templi sacellum opere fornicato absolutum pluribus caelaturis et floribus picturatum, ad cuius contemplationem, ceu rei adeo insolentis, plures undique mortales accurrerunt, sed maiori prae caeteris alacritate Imperator ad aram portatilem in illud inferendam, quae in Aethiopia fundatorum est praerogativa. Electa est ad illud solemne dies 25 eiusdem mensis, virgini et martyri Catharinae sacra, et Imperatorem secuta ingens principum et summatum multitudo et aliquae militum legiones, quae in colle adverso prope paludem, ubi ipsa in sinum arcuatur, sua tentoria fixere. Omnes etiam patres ex Dambaea et Goiama et Patriarcha, sacrum facturus et concionem habiturus ab Enfrazio advenit. Iucundum pariter et mirum omnibus hic fuit spectaculum lembus ligneus ab eodem architecto compactus, remis ac velis instructus, et in dulce illud mare iactus, qui, si velis opus esset, bene minimam ad auram volabat; si remis, iter expedite remigibus carpebat. Nemo enim in eo mari vel aliis, quae regiones aliquas mediterraneas alluunt, unquam lintrem e lignis, sed plicatiles tantum, papyro et iunco nexos, est conspicatus.

Sacelli ex opere fornicato novitas et elegantia.

4. Noctem illam multa ignis factitii machinamenta illustrem reddidere, crinitis arundinum internodiis, pulvere tormentario fartis, in altum volantibus et inde post ingentem crepitum plures stellas vibrantibus, et aliis humi repentibus, et in negligentium pedes erratico lapsu insidiose assultantibus et tandem aliis rotae substrictis, et in gyrum ignis impatientia convolutis. Sequenti die Imperator procul a templi foribus, equo exscendens, in illud se intulit, et post oblatas Deo preces oculos non ut alii in bracteatum parientum [*sic*] ornatum sed in fornicis tesseras incrustationemque defigens, operis novitatem et excellentiam mirabatur. Inde ad antiquum templum culmeum et suo more rotundum digressus, in eo aram portatilem, multis obvelatam tegumentis prae manibus sumpsit, et aequali gradu f. 91,v.

cum Patriarcha pontificalibus ornato, et argenteam reliquiarum thecam gestante, sub umbraculo ab imperii magnatibus sustentato, illam in novum sacellum invexit. Ubi a Patriarcha sine cantu litatum, ut tempus suppeteret dramati postea exhibendo et concioni ab eodem texendae, de Arcae testamenti (quae apud eos, ut et ara portatilis, Tabot dicitur) a Davide in montem Sion suamque in domum transvectione, cunctis peraccommode translatis ad Imperatorem Davidis nepotem et templum ab eodem domi suae aedificatum, nec non ad Beatissimam Virginem assumptam, a patribus animatam testamenti arcam appellatam, cui illud dicatum. Quod dramati etiam materiam subiecit.

5. Fuit autem illud varium, grave, nec nimia longitudine morosum. Prologum egit Aethiopia suas inpraesens felicitates in spiritualibus et temporalibus recensens. In primo actu de arca, stabili sede locanda, a Davide consultatum. In secundo processit Idololatria, daemonum satellitio fastuosa et impudens magnitudinis sui imperii buccinatrix. Sed illius arrogantiam compressere Archangelus Michael et divinus Cultus, ob suam in orbe solitudinem maestitia confectus. Eum tamen Archangelus solabatur, praedicens Dei arcam a Davide suam in aulam inferendam, eiusque honorem illo hospitio augendum et insignes victorias a Philistaeis et aliis hostibus, contritis ipsorum simulacris, reportandas. Quod ubi ad Idololatriae aures pervenit, illa in septicipitem belluam conscendens, et Luciferum ac caeteros manipulares cohortata, Archangelo et Cultui divino bellum indicit; a quibus ipsa truncatis septem belluae capitibus, et vinctis militibus, in tartarum fumeos vapores et flammas eructantem, praecipitatur. Egressa illico est Arca, ipsam undique cingentibus castrensium templorum cantoribus, qui se illorum nepotes praedicant, qui cum Menilec Salomonis filio huc concesserunt, Davide citharam ante illam pulsante, et scitissimis motibus saltante. Erat enim indus adolescens, quem nemo in sua patria pedum levitate et artis dexteritate praevertit. Ante illam sub velo conditam David iussit ut sui quoque milites pyrrichen saltarent. Exiere duodecim iuvenes

Dramatis materia et dispositio.

f. 92. ferreos acina*ces manibus vibrantes, galeis et thoracibus aheneis [*sic*] formidabiles, qui, cum ad ludendum essent producti, se adeo atrociter petebant, ut spectanctium corda arte ludrica [*sic*], prae formidine subsilirent. In tertio actu David ante Arcam precatus, ab oraculo suorum posterorum, et maxime Aethiopicorum gloriam edoctus, nubem est intuitus, in qua Christi filii sui matrem in coelum assumendam

eidem dictum; eaque dispansa, illam contemplatus est sensim conscendentem, donec penitus ex oculis evanesceret. Imperatoris et multorum spectantium oculi saepe visi sunt lacrymis irrorati, et nemo inventus cui drama non sit probatum.

Ecclesiae dos et ornatus.

6. Imperator ex curia quinquaginta auri uncias, quae quingentos aureos reddunt, ad prosequendum opus misit, et tria vel quatuor tapetia belluata ad gradus altaris vestiendos. Postea aeconomo suo Melca Christôs et proregi Caba Christôs in mandatis dedit ut novam Gorgorram accederent, et adiacentes campos in ecclesiae patrimonium addicerent. Diu fuit iterum a patribus, sed frustra, obluctatum, ut qui probe scierent, primos et centesimos agrorum ab aliis in alios translatorum redditus, esse priorum possessorum contra novos, simultates et quaerimonias. Anno sequenti post colophonem templo impositum ab Imperatore, Patriarcha et patribus pari solemnitate fuit illius dedicatio celebrata.

Nebessaea residentia.

7. Secunda residentia noviter erecta fuit Nebessaea. Est autem Nebessaeus mons in interiori Goiama, reginae quondam Helenae, Davidis, ad quem proavum Imperator suam referebat originem, aviae mansio, in quo magnifici templi, ab ea constructi, cadavera tantum apparent, in quibus restaurandis a multo tempore animus erat Imperatoris. Nec deerant subsidia in duabus tabulis aureis, quae altaris portatilis vices subibant et Granhae ac Gallarum rapacitatem effugerant, uncias millenas quatercentenas, aureorum vero quatuordecim milia pendentes. Demandata fabricae et residentiae curatio patri Bruno Bruni romano, in Aethiopia dicto Bruno sanctae Crucis, qui postea fuit, si non crucis, suspendii tamen gloriam in catholicae fidei defensionem adeptus. Fabricae pater ante omnia ex quadrato lapide et calce murum cum propugnaculis, ad templi et vicinorum munitionem circumduxit, ad Gallas arcendos, qui, superato Nilo, licenter in quaeque proxima irrumpunt. Tem*plum brevi f. 92,v.
tribus ambulacris divisum et utriusque lateris parietes ad iustam altitudinem educti. Cum vero tria sacella in adversa ambulationum fronte anno 1628 absoluta essent, Za Marianum, proregis Caba Christôs fratrem, ipsi catholicae religionis ardore quam simillimum Imperator illo misit, ut aras portatiles in illa suo nomine inferret, assistente alio Za Mariano praefecto Tambennensi, de quo largus inferius sermo redibit, Imperatoris, ut et ille primus, ex nepti progenero, cum quo P. Bruno tanta ibi contracta necessitudo, ut hic ad eam colendam, extremam sibi perniciem conflaverit.

8. Degebant in eo monte, ipsiusque confiniis non pauci litterati, illius ecclesiae ministerio obstricti, et redditibus victitantes, a catholica fide admodum alieni non tam ex pervicacia, quam ex agnitionis indigentia, cum procul essent a regiis castris et patrum residentiis. Hi cum modo patrem ad manus et ante oculos haberent, ita in catholicam doctrinam fuere bene animati, ut pauci remanserint qui in illius albo non fuerint centuriati. Territorium illud Pater excurrens anno 1630, ultra centum ecclesias invenit, graviter curatas a parochis, quos Patriarcha sacris ordinibus auctoraverat, et aliqua monachorum caenobia, in quibus iam religiosae observantiae et clausurae instituta vigebant, et pueri sanae doctrinae lacte, cum maxima expectatione futuri proventus, educabantur. In templum quoddam pater incurrit, de quo vulgatum erat, in quemvis, qui in eo peierasset, statim a Deo graviter animadvertendum, ideoque plurimi in litibus conveniebant, ut adversarii, qui quidquam negaret, dicto staretur, si illud sacramento ibidem praestito firmaret. Pater igitur, facto sacro, concionem adornavit et audientibus fidei misteria accurate instillans, ad eos ita in fine est prolocutus: Omnes mihi attentas praebete aures. Firma vobis insidet opinio, eum qui in hoc templo periurio se alligaverit, festinam Dei ultionem experturum. Deum ego immortalem et huius templi sanctitatem contestor, solam romanam fidem veram esse et aeternae salutis conciliatricem. Eiuro insuper captiosas profanae doctrinae fabulas, quas vobis obtendunt Alexandrini illorumque sequaces, verae Christi fidei ipsiusque Evangelio pugnare. Admiratio pariter et commiseratio
f. 93. ob iam conceptum erga patrem amorem ad lacry*marum profluvium, omnes incessit, pro comperto habentes, statim ante ipsorum oculos interiturum. Sed cum vegetum valentemque viderent, catholicis firmitudo, schismaticis vero adiecta est confusio, nec pauci ex iis ad veritatis portum appulerunt.

Fructus a patre Bruno Sanctae Crucis in ea collectis.

Lepidum et efficax eius iuramentum.

9. Residentiam Gabramae anno 1625 in Damotum regno auspicatus fuerat insignis catholicus Buco illorum prorex, sed pertaesus viciniae Agaorum Sacalae, qui Nili fontem bibunt, et crebrae infestationis Gallarum illum de praefacili traiicentium, communicato cum Imperatore et Ras Selâ Christôs consilio illisque in suam sententiam adductis, illam statuit in oppidum Ligenegus, idest, Filiorum Imperatoris (quod aliquis antiquorum suos ibi locaverit) transmovere. Acclivis ea res visa p. Emmanueli Almeidae, cui ea provincia demandata, ad exulcerandos illorum animos, quibus aliqui

Gabramae residentia Ligenegus transfertur.

fundi in ecclesiae dotem essent auferendi. Sed aequabiliter res composuit Imperator, fundos alios uberes ereptis commutans, qui prioribus dominis non displicerent. Per quadragesimam anni 1626 tertia haec Gabramae residentia Ligenegus est translata, et actum de ecclesiae caementis, quibus inchoandis prorex duas non exigui pretii armillas ex auro lectissimo suis brachiis detraxit.

Adaxae situs et opportunitas.

10. Adaxa mons est, quem a Collelensi sede viginti quatuor, a Nebessaea triginta milliaria divellunt, ovali in summo culmine undique penitus abrupto planitie, praeter duas cuspides, quibus tantum est pervia, sed callibus adeo angustis ut exiguo muri cinctu claudi possint; longitudinis iactus in incertum [*sic*] duorum scloporum, latitudinis unius. In rupis latere fons ebullit, qui satiendae [*sic*] multitudini sufficiat. Aquilonarem mucronem latissimi campi excipiunt, fossa, naturae magis providentia quam arte cavata, a monte seiuncti; australem, scalae gradatim ultra sesquimilliare in Nilum descendentes, ubi propter opportunitatem Goiamae proreges solent hibernacula collocare; Collelam et Adaxam fluvii scrupei et praecipites interfluunt, ex quibus aliqui in eam profunditatem urgentur, ut aquae in medio aere in spumas et asperginem evanescant. Sed eorum rapidissimus est Abea, quod nomen taurum iugi impatientem significat, a quo pene haustus fuerat p. Franciscus Antonius ab Angelis, loris, *quae cratitiam ratem ab altera in alteram ripam trahebant, f. 93.v
diffractis. Hoc loco insignem residentiam Ras Selâ Christôs ad patrum et catholicorum securitatem animo molitus fuerat, obnitente semper clanculum Imperatore, ob illa diffidentiae nutrimenta, de quibus infra. Nunc visus est connivere et illi sedi deputatus est p. Antonius Brunus Siculus, qui tam valide in conversionis opus incubuit, ut tempore quam parcissimo plures ad Christi ovile perduxerit, et pueris, quos parentum socordia tartaro devoverat, baptismo coeli fores patefecerit. Ecclesiae fabrica non multum surrexit propter levem illam in Imperatore displicentiae nubeculam, donec, adultis inter utrumque fratrem offensionibus, anno 1629, quarta illa residentia contabuit et p. Brunus alio commigravit.

Residentiae Adegadae Imperator infensus.

11. Quintam communibus sociorum suffragiis in regno Tigraeo parabat p. Emmanuel Barradius, sed inauspicato. Medio itinere inter Mazuam et Fremonam Debaroa interiacet ordinaria statio Barnagazii seu praefecti maris, qui illius orae et bello et commercio praeest: Sedem nostram hic defigi omnibus erat in votis ad litteras et commeatus nobis ex India missos facile excipiendos et nuntios hinc ex-

pediendos: patrum commoditatem et necessitatem alte introspexit prorex Caba Christôs, idemque patribus impulsor fuit, ut p. Barradium eo dimitterent. Sed sinistro factum est aliter ut mox illa praefectura in Teclam Gueorguis, Imperatoris generum ex Onguelavi filia, transferretur, et caninae sagacitatis sycophantae, Imperatori ad aurem allatrarent, posse illam residentiam multum suo imperio inçommodare; Lusitanos omnium mortalium robustissimos esse, patres vero solertissimos, nec ecclesias, sed arces moliri, si illi ingruant ex India, hos fore ipsorum receptatores; si semel has munitiones armati occupent, in aeternum haesuros, id iam experientiam in Turcis, tempore Malec Seguedi, docuisse. Si Lusitani propter viae longitudinem venire detrectent, Turcas ex propinquo advolaturos. Imperatoris parum interesse Lusitanorum an Turcarum sit vectigalis. Tantum phaleratae istae rationes erga Imperatorem valuere, ut Debaroae sedem negaverit, cum nausea tamen permiserit ut Adeguedae, quod oppidum illi ad tria milliaria adiacet, et patribus ante
f. 94. aliquot annos ab ipso concessum fuerat, ex*trueretur. Aemuli tamen, exploratum habentes aegrum Imperatoris animum erga nostram cum mari viciniam, ubi pater aedes ad primum tabulatum evexit, illas disiecere, simulato Imperatoris rescripto, quod ut ille semper negaverit, ita se frigide cum demolitoribus egit, ut videretur ipsorum ausum ex illius nutu, vel dissimulatione profectum. Utcumque tamen id gestum fuerit, ibidem aliquot annos pater permansit et uberem ex suis laboribus fructum collegit, eumque Deus ut hilarem datorem diligebat, sic enim amoena facie cum omnibus se in hac missione gerebat, ut ab iis Facatae, id est pater laetus diceretur.

CAPUT VI.

Quanta fuerit post adventum Patriarchae fidei propagatio.

Patrum et clericorum multitudo.

1. Ut sata, tempestivis imbribus in radices appulsis properato pullulant, ita fides principum favoribus irrigata. Igitur post publicam ipsius in aula professionem, iuramenti fidelitatis conceptionem et iacta ad regiorum tympanorum ac tubarum sonitum praeconia, mirum in modum Romana visa est augeri, quin quisquam errores Alexandrinos propugnare aut illis palam abblandiri auderet. Et multi, exuberante iam sacerdotum numero (patres enim Societatis erant septeni supra denos et presbyteri a Patriarcha ordinati vicenos superabant), se ad illorum aures peccatis exonerabant, et divina Synaxi muniebant. Qui vero eorum sacramentorum compotes esse non poterant ob sacerdotum intercapedinem, ad medicinales baptismi aquas accurrebant, ob probabilem in primi susceptione, ex verae formae ignorantia, errorem.

Magnae Hebdomadae solemnitas.

2. Quadragesimae ieiunandae initium factum est a feria quarta Cinerum, cum antea inchoaretur a feria secunda post sexagesimam, ob sabbata, quibus ab omni opere servili, non tamen etiam in quadragesima, a cibis consuetis abstinebatur. In Paschate sic a rituali norma deerrabant, ut, cum nostrum anno superiore ineunte aprili celebratum fuerit, eorum festivitas in maium sit protracta. Sacrae
f. 94,v. hebdomadae officia a Patriarcha ritu pontificali *peragenda Imperatorem et aulam universam in Ganetae Iesu templum exciverunt.

Ibi dominica die spectata palmarum ad nostrum morem benedictio, et Passionis ad plurium vocum inflexiones decantatae modulatio. Feria quarta consueta tenebrarum officia; quinta sacri chrismatis benedictio et pedum lotio a Patriarcha exhibita. Mandatum vero a p. Didaco Matensi, castrorum curatore et cunctis valde accepto, praedicatum. Eucharistiam publice tunc expositam vicissim Ras Selâ Christôs et Cabâ Christôs spontanei excubitores cum fidissimo domesticorum satellitio, diem noctemque vallarunt. Die veneris tota Christi passio a patre Ludovico Cardeira cum lacrymis perpensa et eodem animi sensu ab auditoribus percepta. Crucis adoratio secuta et Christi corpus ab ea depositum et in ferale ferethrum illatum, ductumque ad tumulum praeeuntibus omnibus inflicti doloris instrumentis et tergemino Mariarum choro flebilibus carminibus et vocibus consequente. Sabbato paschalis cerei et fontis benedictiones festivo plausu repraesentatae.

Laetitia in dominica resurrectione.

3. Laetitiam tamen exauxit antelucana Resurrectionis pompa et puerorum ad nostros modulos saltantium tripudium et lepidi histrionis gesticulationes, qui parvi cuiusdam daemonis sed admodum volatilis ac turbulenti persona larvatus, obvios iocose impetebat uncinoque trahebat. Haec omnia vel etiam levicula, cum numquam vel per umbram Abassinis essent spectata, sic nova et mira ab ipsis iudicata, ut a coelo lapsa viderentur et catholicis essent excitamento, schismaticis confusioni et tepidis ardori concipiendo. Dux illustris ex familia Ras Selâ Christôs, dictus Emana ¡Fecur, idest niger, ad alterius dilutioris distinctionem, qui suum postea vexillum proprio sanguine in fidei defensionem effuso purpuravit, absoluta Resurrectionis pompa lacrymis a laetitia expressis diffluens ad Patriarcham: Vere, inquit, die veneris vidi morientem, vere hodie vidi resurgentem.

In templum Collelae ara introducta.

4. In patrum templis frequentes erant nundinae, qui scelerum condonationem et coelestem panem ac vinum sine auro et argento, vel alia commutatione, emebant, quorum multitudo in calculum non venit. Ex Goiamensibus Agais, idolorum cultui man*cipatis, dena f. 95. millia ad Christi obsequium, suscepto baptismo, traducta die 31 Iulii anni 1626, quo s. Ignatii patris nostri festum recolitur, in novum Collelae templum ipsi dicatum ara portatilis immissa a Ras Selâ Christôs consociante Buco Damotum prorege. Ad vesperum datum est in theatrum Abrahae sacrificium, quod omnibus ita fuit probatum, ut cum octobri proximo Ganetae Iesu celebrandum esset

festum beati Francisci Borgiae, eo elogio paulo ante Romae condecorati, illud eo, honestante Imperatore et toto ipsius comitatu, secundo edendum videretur, actoribus in eum finem a Goiama convectis. Lusitanus puer, qui tunc Isaacum egit, postea sumptis ordinibus, sacrificium et sacrificulus Dei redditus, Patriarcham in Indiam est prosecutus, in qua honestissime vitam traducens praebenda in Diensi arce donatus fuit, unde ad procuranda ecclesiasticorum commoda Goam ab iis missus, nuper ab Indiae prorege electus est ut ad maiora status negotia pertractanda ad Idalcanis regiam se conferret, ob aliquam necessitudinem, quae illi cum Abassino intercedit, qui secundus est a Rege, quae ille satis dextere et honorifice confecit et propterea Goae fuit parochiae cura donatus.

P. Francisci Antonii ab Angelis ossa transferuntur.

5. In templum hoc Collelae aedificandum symbola contulere Ras Selâ Christôs et universi ipsius duces eo animo, ut in illud ossa p. Francisci Antonii ab Angelis transferrentur, quem ipsi et totum Goiamae regnum, ut fidei et conversionis suae apostolum venerabatur. Felix sane regnum, quod ut Nili fonte, origine ex terrestri paradiso per subterraneos meatus ducta gloriatur, et celebri gyro quo totum pene dulcibus aquis irrigat et tuetur, multo magis in superbiam efferri potest, quod angelico illo coelestis eloquentiae flumine ex romanis fontibus derivato irrigatum fuerit et expiatum. Prima augusti die ossium facta translatio novo lacrymarum solemni, quas Ras prorex et coeteri ubertim fundebant, ex tanti viri desiderio; quod merito in eum diem incidit, quo sancti Petri vincula memorantur, quod illos ipse a peccatorum vinculis absolverit et divo Petro ipsiusque Ecclesiae catenis arctioribus alligaverit.

Templum Fremonae et conditorium b. patriarchae Andreae renovata.

6. De conditorio patriarchae Andreae Oviedi Fremonae non minus curatum. Nam in loco, ubi quondam erat ipsius domuncula et oratorium, in quo ipse et quinque ipsius socii, quibus dignus non
f. 95,v. erat mundus, litare *solebant, extructum fuit templum quadraginta palmos latum et commodae iuxta hanc dimensionem latitudinis [*sic*], ad cuius fabricam spectatus catholicus Apte Iesus Samagarad, de quo alibi, triginta auri uncias erogavit. Non calce sed luto nexum est hoc opus, tum quod calcis copia non esset, tum quia lutum fremonense latis et laevibus lapidibus trium et quatuor digitorum altitudinis, qui illic reperiuntur, adiectum adeo tenax est, ut aeternitatem aemuletur. Ad dexteram conditum sacellum, erectusque in medio pavimento tumulus egregie tectorio vestitus, in quem Patriarchae et sociorum ossa coniecta, quibus semper maximam venerationem, non

solum catholici, sed ipsi schismatici et Mahometani, ob insignia beneficia a Deo ipsorum patrocinio impetrata, impenderunt.

Locustarum infestatio causa multorum conversionis.

7. Locustas forsan maximam Dei fortitudinem vates dixit (1), quia quos ad rectum trahere multiplicata ipsius beneficia nequeunt, locustarum infestatio adduxit. Tot enim duobus hisce annis in austro in provincia Cabecaâ Nili scatebris finitima: et in aquilone in Burensi tractu, Erythraeo mari vicino, sunt conceptae, ut suum ipse nidum et omnia ipsius armenta, omnibus arborum comis, fruticibus, herbis et stirpibus erosis consumpserint; deinde finibus illis egressae Amacenum et Agameam pene vastaverint. Australes, quia minores, minus Goiamae nocuere: aquilonares, quia grandiores, omnia serratis dentibus demetebant. Intra paucos dies gregatim quinque semimortuorum hominum millia Ganetam tenuere, cum vias sociorum cadaveribus constratas reliquissent. In quos illico Imperator duo pannorum millia et multa frumenti onera dispertivit, et centenos ac centenos iussit diversis territoriis hospitari. Ut autem pinguis venter non gignit mentem tenuem, sic vacuus acutissimam et aures propitias reddit. Turmis illis praedicatum et nemo erat, qui cum victu fidem non admitteret. Summi supra omnia solatii res erat tam in via quam in accessu infantes intueri, mox ubi lustrati essent baptismo, vel post modicum intervallum, in coelum avolantes. In Tigraeum regnum per illud tempus p. Almeida, sociorum tunc superior, Fremonam visitaturus, descendit et ubique in semineces illos famelicorum greges incidens, infantes et multos ex adultis baptismo, et coelo statim donabat; ut verum esset, quod a vate dictum: Deum de se nihil interrogantibus occurrisse et a non quaerentibus inventum (2).

Monachi et presbyteri a Patriarcha in diversas partes missi.

*8. Lustrandarum ecclesiarum votis Patriarcha distinebatur, sed f. 96.
immaturum adhuc tempus esse prudentiores consulebant. Et commodius visum est, ad Christi Domini exemplum, qui discipulos suos binos mittebat in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus (3), aliquos spectatae vitae et doctrinae presbyteros (si quidem patrum parcitas omnia complectendo non erat) ab ipso inunctos in loca remotiora praemittere, ut ignorantibus Romanae fidei dogmata proponerent, mollius ab iis utpote indigenis et eiusdem linguae quam ab exoticis audienda, ne iam duriori apud eos Patriarchae nomine et festinato adventu terrerentur.

(1) *Ioel.*, 2, n. 25. — (2) *Isai.*, 65, n. 1; *Rom.*, 10, n. 20. — (3) *Luc.*, 10, n. 1.

9. Diversa paria in diversas regiones, ad quatuor ventos patriarchalis domicilii, dimissa: ex quorum rationariis constat, hos manipulos ab iis collectos: Monachus in Dambaea ad occidentem quatuor millenos Ecclesiae ovili aggregavit; quatuor presbyteri in regno Bagamedrino ad austrum, duce Imperatoris vernaculo, triginta mille et tercentas animas ab haeresum labyrintho extricarunt, et viginti et octo millia et sexcentas communione roborarunt. A duobus aliis in eodem regno, ab eiusdem Imperatoris domestico deductis, baptismo lustrata viginti earum millia, et coelesti pabulo recreata totidem millia, et quatercentenae quinquageuae. Alius ibidem baptismo quater millenos septingentos, et sacra sinaxi bis millenos quatercentenos Deo adiunxit. Idem in provincia Oinadeguensi, ad orientem, mille quatercentenos infantes baptismo, sacra Eucharistia millenos quingentos sexagenos candefecit. Ibidem alter baptismum vicenis millenis sexagenis, communionem sex millibus et tercentis impertivit. Clericus, qui fidei doctrinam a patribus Gorgorrae hauserat, et ibi postea constitutus fuerat ludimagister, altius ad orientem in Agaorum Tigraeorum regione, Lastae contermina, triginta quatuor millia et viginti quatuor originali contagio salutaribus aquis abstersit, et Eucharistiam millenis ternis erogavit. Monachus et presbyter Ogarensi provinciae ad septemtrionem adscripti, sedecim millium et septingentorum, alius sex millium lucrum fecere; alius baptismo quatercentenis, alius nongentis sexagenis, alius ducentis vicenis coeli fores patefecit et ulterius hic posterior millenos centenos coelestis panis saturitate saginavit. Monachus in provincia Olcait, ad zephirum, septemdecim millia et octingentos catholicorum gregi sociavit. Qui si particulatim supputentur, adulti sub conditione
f. 96,v. baptismo *lustrati reddunt centum et septem millia ducentos et quatuor; infantes millequatercentenos, sacra communione pasti septuaginta et unum millia quatercentenos et tredecim: ad fidem ab erroribus traducti quinquaginta quinque millia. Qui omnes in unam summam copulate redacti ducenta viginti quinque millia et septemdecim baptizatorum, conversorum et communicantium integrabunt. Quod ut nobis iidem monachi et presbyteri ex suis diariis retulerunt sic volumus fidem esse penes eosdem calculatores. In hanc computationem non veniunt, quos Societatis Iesu patres hoc anno suis laboribus Deo genuerunt, nec incolae sexaginta oppidorum Seminis montibus adiacentium, quos egregius quidem monachus fidei mysteriis instruxit.

Ab iis conversa ducenta viginti quinque millia et septemdecim.

Felix duorum caedes in fidei defensionem.

10. Omnium fortunatissima sors obtigit duobus, Emana Christôs, idest Christi dexterae, et Tensa Christôs, idest illius resurrectioni, in Segadeam provinciam in occidentali parte regni Tigraei sitam, dimissis, quibus cum mandatum esset ut Christi corpus et sanguinem popularibus exhiberent, suum ipsi gratissimam hostiam obtulerunt. Post mille et tercentas animas baptismi poenitentiae et sacrae synaxeos sacramentis Christo partas, ad templum venere, in quo schismatici antiquo ritu operabantur, et cum aram vellent romano cultu adornare, obnixus est praepotens quidam et factiosus cum famulis et propinquis, monens ut alio facesserent, suum enim patrem, qui in veteri Aethiopiae fide obierat, ibi esse humatum; seque super tumulum proiecit, ipsum corpore tecturus. Modeste Dei servi responderunt, siquidem templo exigerentur, plicatile altare ante illius fores locaturos, et ibi rem divinam ab ipsis factum iri et eos, qui accurrerent, sacris mysteriis participatum. Ille eos pecunia tentari iussit, inde porro ut abirent; quam illi respuentes dixere, non illuc se venisse ad pecuniam corradendam, sed ad animas, quae totae sunt Christi divitiae, illius thesauris impertiendas. Cernens pertinax haereticus optimos illos presbyteros avaritiae puros, et pietatis plenos, suis artibus expugnari non posse, noctem praestolatus, in aeconomi ecclesiae domum, in quam illi se receperant, cum famulis irrumpit et illorum capita bolatis (quae clavae sunt in cingulis portatiles et missiles) contundit, additis aliquibus pugionum ictibus, ut hoc vel illo immanitatis instrumento e vita tollerentur. Sic verum redditum est fortunatum horum presbyterorum nomen, quibus caedes adeo gloriosa contulit, ut cum Christo resurgerent, et *ad illius dexteram f. 97.
considerent. Incidit is triumphus in diem decimam ianuarii anni 1627. Quae primitiae fuere sanguinis large postea in fidei catholicae propagationem in Aethiopia proseminati. Imperatorem graviter illa atrocitas et sacrilegium irritavit ducemque illico cum militibus ad poenas expetendas dimisit, quas tunc carnifex ille effugit, eas tamen postea dedit in castra raptatus, in quibus monitus, imminenti iam securi, ut se Romanae fidei in extremo illo discrimine traderet, negavit ullum sibi esse posse cum illa commercium, postquam duos illos presbyteros in ipsius odium sustulisset. Quo testimonio quid robustius?

Scripturae lectio et fervor in regiis castris.

11. Imperatoris castra per illas hyemes nec arida, nec frigida fuere. Nam pater Almeida singulis diebus post liturgiae oblationem, Sacrae Scripturae difficultates imperii proceribus, monachis, cantori-

bus, et ipsi Imperatori, qui crebro aderat (ut Abassini rerum novarum sunt perstudiosi), exponebat et utile dulci miscens, litterae expositioni moralem doctrinam et arma ad haereses debellandas subtexebat. Qui lectione discedebant, suo more ad Imperatoris aulam et principum domos itabant, quid illic auditum esset, referebant, et sermo miscebatur de Scriptura et controversiis quae fuerint serio pertractatae vel carptim insinuatae. Quo illicio et concionibus, quae frequentissimae erant, tantus ardor multis iniectus, ut non pauci eos, qui fidei rebelles essent, explorarent et ad patres Imperatoremque deferrent; qui plures monachos ex diversis latibulis in castrorum lucem pertraxit, et factum ut aliqui sincero corde fidei se dederent, etsi alii ob rebellionem constitutis poenis subiacerent.

CAPUT VII.

Ecclesiae a Patriarcha visitantur et sacrum chrisma confertur.

1. Lustrationem ecclesiarum episcopis a Deo et conciliis inter prima commendatam mox adoriri voluit Patriarcha ubi in Aethiopiam est ingressus, sed eam tantulum procrastinavit ex eorum consilio, qui nondum satis exploratis et pacatis rusticanorum animis lentius festinandum censuerunt. Cum visa appetere tempestivitas, auspicia sumenda a Dambaea ab ipsius domo in occidentem porrecta, iudicatum. Sed cum unam vel alteram ecclesiam fervido tempore adiisset, oculi adeo pertinaciter sanguine sunt suffusi ut in proprios f. 97.v. lares redire, et postea duos annos ob rebellionum *rumusculos expectare sit coactus, donec certa allata sunt nuntia electionis et proximi adventus episcopi Nicaeni, quo invecto, si qua vetustioris ramalis avulsio contigisset, propero surculi alterius aurei succrescentis subsidio pensaretur.

Oculorum dolor Patriarcham a visitatione retraxit.

2. Prora postmodum conversa in provinciam Ogarensem, longam quinquaginta quatuor milliaribus, decem et octo latam, positione sublimem ideoque praefrigidam, et tritici atque hordei feracem; a mucrone aquilonari Lamalmone, ab australi Dancasio finitam. In ea ultra septuagenas sunt ecclesiae et aliqua coenobia. Laboris consors assumptus p. Emmanuel Almeida Societatis Iesu superior, omnibus clarus virtutum et scientiae ornamentis. Coeterum comitatum

Ab Ogarâ coepta visitatio.

(cum de alieno vivendum esset, neque enim cibaria convehi poterant, aut in oppidis ubi nullum est forum pecunia parari) sic contraxit Patriarcha, ut nec oppidanis oneri esset, nec sui muneris auctoritati deesset.

Instructio confirmandorum a patre socio.

3. Quadraginta diebus illud spatium decursum nec umquam ullibi bis pernoctatum, praeterquam sabbato et diebus dominicis, quibus apud Abassinos grande est piaculum convasare. In unum templum duorum vel trium paroeciani prius praemoniti satis diligenter confluebant, nec modicus labor fuit in tanto temporis intervallo. Ara matutinis horis non intra templum, quia omnia tenebricosa sunt, et noctuarum ac vespertilionum receptacula, sed luminoso loco, more nostro erecta, et imaginibus eleganter exornata, sacrum Patriarcha, mox p. Emmanuel, et aliquando quispiam ex capellanis faciebat. Postea domum vel in tentoria redibatur, et post minorum horarum recitationem refectiuncula sumebatur. Ad tertiam plus minusve horam confertae multitudinis plenum erat ecclesiae impluvium, quam pater per horam, non exornative, sed more catechetico, praecipuis fidei christianae mysteriis imbuebat. Eam praeterea fidei, spei, charitatis erga Deum et contritionis actibus et Deum non amplius offendendi, sed omne peccatum vitandi et vitae in futurum corrigendae proposito muniebat. Aliquam etiam de Beatissimae Virginis laudibus vel miraculis narrationem subiiciebat, tam quod gens haec universim in illius cultum quam maxime sit propensa, quam quod pervicaces monachi, ad conflandum nobis odium, imperitae multitudini persuaserint illius nos hostes esse capitales; cum ipsius cultum et honorem et in cordis fibris et in oculorum pupillis alte impressum habeamus. Hanc doctrinam interdum opus erat *iterum et tertio f. 98.
repetere propter eos, qui ob distantiam essent ad conveniendum tardiores.

Patriarchae conciuncula et ordo sacri chrismatis conferendi.

4. Mox Patriarcha eodem loco, pluviali, tiara et baculo verendus, per semihoram de sacramentis Dei et Ecclesiae mandatis et distinctius de dispositione ad sacram confirmationem et illius dignitate atque emolumentis disserebat, et impertita benedictione et indulgentiis, sacri chrismatis officium inchoabat et ad illud conferendum in eum locum, ubi constituta fuerat ara, se colligebat, cum enim esset angustior, occursationum et tumultuum occasio praecidebatur. Nam ad sinistram inungendi et illorum susceptores locabantur, iique monebantur ut, cum quisque suum filium spiritualem ad Patriarchae pedes sisteret, manu ad illius humerum applicita, ex-

templo, nequa mora fieret, illius nomen ederet, et ut singulatim procederent, Patriarchae capellani in duas macerias hinc et inde distributi medium callem adeo angustum relinquebant, ut solius confirmandi et susceptoris ipsum a tergo subsequentis capax esset. Quo factum, ut nulla in accessu in dexteram partem omnino expeditam cunctatio esset, nec amplius temporis cum quovis insumeretur, quam quod opus erat ad formulam proferendam. In hac lustratione Ogarensi ultra quadraginta millia sacro chrismate sunt peruncta; quae coniuncta illis, qui postea in aliis excursionibus, Oinadeguae, Enfragii et Dambaeae divinum idem signaculum acceperunt, longe centena millia excedunt. Nulla dies minus septingentis insignivit, plures octies et novies centenos, una mille centum et triginta sex et multae plures millenis.

Ultra centena millia in hac et aliis provinciis consignata.

5. Dum Patriarcha sacro chrismati applicando incumbebat, pater et capellani infantibus, quibus baptismus nondum collatus fuerat, omnibus caeremoniis, quas Romana Ecclesia praescribit, abluendis operam navabant, qui in hoc lustro quingentos octoginta quinque expleverunt. In Oinadeguensi et Enfrazii a p. Antonio, qui comes fuit, ad sexcentos et viginti numerati. Dambaeenses, ubi primum cum Patriarcha p. Damianus Calaça et postea cum episcopo Nicaeno, qui visitationem illam a Patriarcha coeptam absolvit, p. Antonius, reperti in supputationem non venere, sed iidem ferme fuere, qui in superioribus. Multa tamen illorum infantium nomina scripta sunt
f. 98,v. in libro vitae, qui vestimenta sua nullius *peccati inquinatione polluerunt, cum ante rationis usum et saepe ante abluentium oculos a mortali vita ad beatam sint translati.

Puerorum eo tempore baptizatorum numerus.

6. Hora nona vel paulo ante confirmationi finis addebatur, et mulabus conscensis, in aliam ecclesiam migrabatur, in qua post orationem modicam de fabrica disquirebatur, et ad matutinas horas persolvendas et noctes transigendas, in domum aliquam mundiorem vel papilionem tendebatur. Illae tamen plerumque insomnes et inquietae agebantur, tum ob frigoris vehementiam, tum ob cimicum in hospites ingruentium examina, quae ut vitarentur, a mapalibus in tentoria saepius fuga capessebatur, spreta frigoris inclementia, prae illorum graveolentia et edacitate. Quae incommoda et acerbitates tot animas Christi caulis adiungendi, et illas sacramenti gratia roborandi, voluptas leniebat.

Transitus ab una ecclesia in aliam.

7. Praesens Dei numen Patriarcha in postremo limite visitationis Enfrazii expertus, beneficium illud p. Antonii comitatui et precibus

Patriarcha cum p. Antonio ab incendio liberatur.

acceptum referebat. In eadem domo culmea, ut sunt pleraeque in Aethiopia, ambo pernoctabant. Portatilem Patriarchae lectum et patris grabatum bovini corii institis textile velum dirimebat, aliud vero ex vili panno gossipino patris mulam retinaculis alligatam, ab ipsius grabato. Domus enim aethiopicae aeque sunt bubilia et equilia in quibus domini pariter et armenta stabulantur. Post parvum a caena colloquium, Patriarcha divino labore fessus cubitum discessit; pater vero, ut longior erat in precibus et examine conscientiae, paululum moratus, ceream candelam in grabati crepidine reposuit et nescio, an eo dormitante, an orationi efficacius attento, mula, ut solebat, capitis in velum obiectum motibus hordeum pascebat, illudque tantum impulit ut ad candelam provexerit ignemque conceperit et momento in tectum culmeum transmiserit. Sed cum primum adhuc esset conticinium, domestici adolescentes ignem erumpentem contuiti, festinato advolarunt et patrem ac Patriarcham totamque supellectilem periculo exemerunt, praeter mulam, quam, in illius turbationis poenam, ignis undique cinxit, quin lora potuerint dissecari.

A fulmine idem pater divina ope servatur.

8. Haud satur idem pater laborum tam longae visitationis, alios duriores anhelabat. Solus (ne quis illius siti pro Deo patiendi officeret) aliquos Dambaeae vicos tenuiores et doctrinae egentiores lustrare voluit, *cum iam hyems appetiisset, cumque in pauperem ca- f. 99.
sam duceretur, ingruens tempestas coegit ut in alia propinquiori illius iniurias arceret. Vix ingressus erat, cum fulmen, ex obscura et densissima nube cum tonitru displosum, in priorem domunculam descendit, et boves per eam noctem ipsius comites futuros (ut et mula saepius fuerat) absumpsit; Deo semel et iterum providente ne tam incorruptus ipsius servus et insomnis operarius ab hac vinea tam insignibus infortuniis auferretur. Sed, cum optimus sit in re quavis modus, duratum illud laboribus p. Antonii corpus horum nimietate et cibi defectione ita est emaciatum, ut vix pellis ossibus haereret, nec pedibus niti posset, domumque repetere, et baculo uti (quod nunquam alias vidimus) sit compulsus, prae sui odio haud memor illius praecepti divi Hieronymi: *In perpetuo ieiunio curandum ut itineri longo vires perpetes superent, ne in prima mansione currentes, in mediis corruamus. Monachus sic suos admittat equos ut sibi meminerit, semper esse currendum* (1).

Quis Imperatoris et caeterorum sensus fuerit de hac lustratione.

9. Quid de Patriarcha actum esset crebro Imperator quaeritabat, et ad aulicos dicebat: Quis nostrum, vel etiam Abunarum per

(1) Epist. 7 ad Laetam.

quadraginta dies regionem aliquam tam lente percurreret, quin ad nos de eo et ipsius asseclis propter violentias et rapinas multiplicatae querelae deferrentur? Sed nihil hactenus de Patriarcha praeter encomia audivimus. Componebat vero ipse et curiales has lustrationes, omni avaritiae naevo liberas, cum excursibus Abunarum, qui nihil umquam docuere, nullam concionem habuere, neminem chrismate perfuderunt, nec quidquam in animarum lucrum patrarunt, sed solum ecclesias visebant, ut tres vel quatuor pannos ex iis colligerent, vel famulos ad idem everriculum submittebant. Et nemo fuit, cui haec ecclesiarum peragratio magnam puritatis et munditiae nostrae fidei opinionem non ingeneraverit.

CAPUT VIII.

Bucô Damotum prorex a Gallis occiditur et Ras Selâ Christôs in discrimen coniicitur.

1. Secundis rebus tristia Deus frequenter intermiscet, ne mor- Gallarum ad bellum praeparatio.
f. 99.v. tales pros*pero illarum cursu efferantur; sed congenitae infirmitatis conscii suas in illum spes conferant et a coelo praesidium implorent. Feliciter igitur adhuc impulsam Ecclesiae navim Damotum gubernatoris interitus a Gallis illatus retardavit. Illis enim lustricus est annus octavus, quo praefectos, Lobas ab ipsis dictos, et militum delectum, quem vocant Delaguto, ad terras imperio subiectas invadendas, instituunt, quo Tigraeos, Bagamedrinos et Goiamenses solitis comminationibus vastandos designarunt. Tigraeorum et Bagamedrinorum damna, coortae inter ipsos dissensiones et mutuae caedes avertere. Integrorum furor in Goiamam, castris ad ulteriorem Nili ripam metatis, conversus.

2. Ras Selâ Christôs, Goiamae custos, et Bucô Damotum prorex Damotum proregem aggrediuntur.
illis ad duo Nili vada magis contrita occurrerunt, stationibus ad viginti quinque, vel triginta milliaria seiunctis. Gallae copiarum citra flumen dispositarum certiores, ut sunt in rebus bellicis non tantum validi, sed nimium astuti, dolose in Naraeam, a tergo relictam, pedem retulere. Ad cuius fabricae nuntium plures imperialium, qui multum peditatus et equitatus in auxilium proregis contulerant, domum abscesserunt; nec pauci de exercitu Ras Selâ Christôs, impellente

necessitate, pabulatum et frumentatum sunt dispersi. Gallae, suarum technarum haudquaquam obliviosi et ab exploratoribus de militum abitione admoniti, frontem ad Nilum vertentes, et vado noctu traiecto, maioribus copiis proregem sunt adorti, dimisso levioris armaturae manipulo, qui Ras cohortes distineret, ne proregi suppetias ire possent.

Proregis christiana ad bellum praeparatio.

3. Illum octingenti vel milleni ad summum pedites et ducenti equites comitabantur, et cum ea die ab eo loco in vicinum tutiorem secedere constituisset, et hostes adventare ab exploratoribus audiisset, haudquaquam credidit totas illorum esse copias, omnium opinione in Naraeam digressas, sed exiguam aliquam velitum cohortem. Audito sacro et animo confessione repurgato, se divina Eucharistia cum toto familiarium (qui ad heri exemplum spectati erant catholici) globo praemuniit et viae commisit. Adeunda fuit planities longa et lata et equorum ungulis, propter latentes sub herba cuniculos, insidiosa. Cuius medium cum tenuisset, obvios habuit aliquos Gal- f. 100.
larum manipulos, ad quorum cons*pectum suos in ordinem digessit, laudibus alacres excitans et meticulosos verbis, et aliquos fugam apparantes conto perstringens, et impetu in hostes facto, illorum aciem perfregit et plures trucidavit; iisque se expeditum intuitus, bellica tympana inflari iussit, et viam ulterius protraxit.

Prorex, cum evadere posset, fortiter occumbit.

4. Gallae, qui plures erant et vicinis oppidis effusi ad praedandum palabantur, eo sonitu in unum collecti, exiguam proregis aciem cinxere. Se ille perditum expendens ut infracto erat animo lectissimum quemque suorum adhortatus, fortiter in dexteram hostium alam incubuit, eaque multorum caedibus perrupta, viam patefecit et vallo excessit. Ubi cum vitae parcere posset, sicut plures alii, qui eum fuerant assectati, confessario, qui inter eos erat, dixit, ut vitae consuleret. Eidem vero monenti ut eodem ipse consilio uteretur, expiato iterum brevi confessione animo, subridens respondit: Abito felicibus auspiciis, pater; aequum enim est, me socium adiungi tot fidis clientibus et militibus, quorum corpora hac planitie sternuntur, sine quibus nec vivere velim, nec inter homines possim, minus enim gravis est fusus e corpore cruor, quam suffusus ori rubor; maxime cum meum vexillum ab hostibus ventiletur et tympana festive pulsentur. Post quae verba, hastam manu quatiens et calcaria equo subdens, se in confertissimam Gallarum alam, ubi densiora erant hastilia, coniecit, et quatuor vel quinque ex principibus letho dedit. Sed cum pullus equinus, quo vehebatur, fraenos et calcaria prae

dolore non audiret, gladium dextera tenens, in terram sine clypeo desiliit (hic enim loricati et galeati eo non teguntur) et sic per longum intervallum multos offendit et se ipsum defendit, donec crebris missilium petitionibus confossus occubuit.

5. Quintum supra quinquagesimum aetatis agebat annum; vesco corpore, sed eximiis viribus, unde a Gallis, a quibus puer captus est et eviratus, sua lingua dictus est Bucô, id est parvula illa clava, quae Abassinis Bolota vocatur, ex durissimo quovis ligno vel rhinocerontis cornu compacta. In bellis omnibus Imperatoris latus vallavit, semper ab eo propter fortitudinem et prudentiam magni factus. Antequam fidem catholicam amplecteretur, corporis castigationi, ieiuniis et aliis pietatis operibus impense studebat; et ideo quasi rectam viam institisset, difficilis fuit superatu; sed, postquam lente veritatem introspexit, illam sic in cordis fibras indidit, ut qui de f.100,v. sola animi salute cogitaret. Bonam noctis partem in *suo sacello, egregiis imaginibus ornato, orationi vacabat, somnumque ante altaris suggestum, vel in tapete suppedaneo, vel in tegete libabat. Duo tantum sui amoris erga ipsum documenta poposcit a p. Emmanuele, spiritus sui magistro, cilicium et ex retortis fidibus flagellum. Pauperum pius pater erat; fidei tam sollicitus curator, ut illam omnium cordibus insculpere laboraret, et prius in regno Bagamedrino postea in Damotensi, templo intra annum erecto et privatis fundis aliisque ab Imperatore obtentis donato, mirifice prorogarit.

Proregis virtutes.

6. Noster et Imperatoris dolor tantae iacturae par fuit, ob amissam adeo stabilem fidei atque imperii columnam, cuius ruina nisi obtigisset (1); nihil opimior fuit Gallarum conditio cum ipsis in eo praelio magna gregariorum multitudo, et validissimi milites, ducesque praestantissimi defuissent. Sed cum areae ac spoliorum possessione fruerentur, victoria hilares, se ultra Nilum receperunt, ubi etiam cohortem illam, quae vadum, copiis Ras Selâ Christôs oppositum, tentaverat laetam invenere, quod manum aliam, quae sibi obvia fuerat, valide retorserit et vulneribus fatigatam in castra compulerit; cum iam anno transacto eximium ducem ipsiusque vices tenentem, Adera Mariam, vulgo dictum Adarô, e vita deiecissent.

Alius Gallarum manipulus victor.

7. Cum igitur convenissent, duplici victoria feroces, tertiam addere constituerunt, Nilo iterum superato et Ras Selâ Christôs in certamen provocato, quem si pessumdarent, certi ad minimum erant Goiamae regnum sibi submittendum. Hic se Ras conspexit in ultimam per-

Ras Selae Christôs extremum periculum.

(1) Hic profecto apodosis desideratur.

niciem compulsum omnique ope humana destitutum. Ipsius enim copiae, si non numero, animo tamen et confidentia Gallis multo erant inferiores; certamen vero nec detrectari, nec differri poterat, cum inconsulta procrastinatio vires addat adversariis vererique posset, ne hostes castra aggrederentur et aggeres cespititios perrumperent, et militibus in fugam versis, ipse inglorius periret. Obfirmatus igitur in pugnam sequenti die Gallis repraesentandam, Imperatori per litteras ultimum vale dixit, gravissime cum eodem de auxilii tarditate conquestus; et colle cui affixus erat hoc animi destinato exscendit: sed in maiori discrimine praesentius Dei numen assistit. Ea die Gallarum exploratores ad vesperum tenues quasdam cohortes ab Imperatore missas e longinquo speculati, ampliores credidere suisque retulerunt; qui illarum opinione, et tanti ducis fama (quae sola ma*gnas f. 101.
parare solet victorias) commoti, illa nocte in fugam se dedere nec eorum quisquam die postera citra Nilum est conspectus.

Omnia missae sacrificio tribuebat.

8. Ingentes gratiarum cumulos Ras Deo reddidit ob illustre adeo beneficium, quod pro eo pugnam subierit et victoriam comparaverit. Vincit enim qui hostes in fugam propellit, iique dum terga vertunt se victos fatentur. Id vero sacrosancto missae sacrificio tribuebat quod singulis diebus in uno et altero castrorum tabernaculo sexies vel septies litabatur. Post panicum illum Gallarum terrorem, Imperator cum totius Imperii viribus in Goiamam contendit, iisque fratri traditis, ut Nilum transgressus cum Gallis, pede collato, praeliaretur, ipse in Dambaeam ad agendam quadragesimam redivit. Sed Gallae, foeminis, infantibus et armentis introrsum in longinquas regiones amandatis, adolescentiores tantum et robustiores morti devotos imperialibus obiecerunt, quibus cum videretur in aggressu plus esse aleae, quam adoreae, prudenter illo vere substiterunt; stultum est enim bellorum impendiis ingloriam tantum mortem nundinari.

CAPUT IX.

Quinque patrum Societatis Iesu in Aethiopiam ingressus; rebellio Teclae Gueorguis; et abbatis Iacobi in odium fidei Romanae caedes.

1. Succosa aethiopicae conversionis per hosce annos nuntia ita socios ex India et Europa ad messem colligendam prolectabant ut Lusitaniae provincialis ad Patriarcham scripserit, si vellet quadraginta operarios, omnium lectissimos, se extemplo, nil morantes, sed claustra ad exeundum perrumpentes, missurum. Ut enim in steriles agros renuunt iuga ferre iuvenci, sic in pingues ardent, in quibus, ut lassentur, iuvat ipsa lassitudo. Nec Lusitanos tantum, sed et Italos, in omnibus expeditionibus fidei propagationem contingentibus fidissimos atque iuratissimos Lusitanorum comites, haec alacritas pervasit. Ex quibus reverendus p. Mutius Vitelleschius Societatis Iesu praepositus generalis, quatuor Memphim *dimisit, ut inde terrestri peragratione Aethiopiam vestigarent. Illa tamen paululum digressi, a Turcis odio in christianum nomen et avaritia instinctis retracti sunt, nullo alio, praeter merita in Deum, sui laboris fructu decerpto, quam sex millium nummorum solutione ab iis mulctae nomine extorta.

Patrum Mazuae mora et illius causae.

f.101,v.

Quatuor patres, Roma terrestri itinere in Aethiopiam missi, in Turcarum aviditatem inciderunt.

2. Ex Lusitanorum censu quinque in Mazuam, die quinta maii anni 1628, appulerunt: Antonius Fernandius iunior, viennensis [*sic*] ex dioecesi Eborensi; Ioannes Souza ulissiponensis; Ioannes Pereira a Cela Alcobatiae; Franciscus Roterigius lumiarensis, ambo ex eadem

Praefecti mazuani falsitas.

dioecesi Ulissiponensi, et Damianus Calaça goanus. Sed eosdem ibi per duos menses omnium maxime aestuosos duae causae sunt remoratae. Prima Bassae Suaquenensis, a quo iam facultatem ad exeundum pretio impetraverant, mutatio, et alterius, a quo etiam venalitia potestas quaerenda fuit, successio. Altera, falsus rumor, quem praefectus Mazuanus, qui cum priori Bassa depositus fuerat, et lucri a patribus obtinendi spem amiserat, in Arabia sparsit, quingentas fistulas ferreas ab iis convehi, ut Turcarum arces expugnarent. Sed cum mendacia fumo nitantur, facile difflatus fuit ille rumor, navi intus et foris pervestigata. Non tamen minimae fuerunt patrum anxietates hoc et aliis Turcarum machinamentis, quae tandem, ipsorum ad Imperatorem legato in comitatum adiuncto, die 23 augusti sunt eluctati.

Tecla Gueorguis tigraeus prorex.

3. Omnia tamen illa maris et Mazuae turbamenta tenues fuere prolusiones fluctuum terra exorbendorum. Tigraeam ditionem pro Rege moderabatur Tecla Gueorguis, id est planta Georgii, Imperatoris semel gener ex filia praemortua, et iterum ex Onguelavi, seu Evangelizatrice (non quidem Christi, sed Satanae), quae prius extincto eiusdem fratri, et post eum Bellae Christôs, adhuc viventi, sed repudiato, locata fuerat (1); nec tot saturata nuptiis quiescebat, sed Za Christôs ex Mellacotavi ipsius sorore, et Iulii quondam uxore viduum, adeo procaciter deperibat, ut mero meridie sola castrorum plateas decurreret, et in illius domum se palliolata inferret. Huius rei indignitas hominem coquebat, et licet multis beneficiis ab Imperatore cumularetur, omnia quisquilias ducebat, dum ille *filiae licentiam f. 102.
non frenaret. Bis iam Tecla Gueorguis tigraeo regno praefuerat, eratque in omnium linguis, eum, cum tertio illi praeficeretur, rebellem futurum. Quod Imperatorem non latebat, nam et nos, qui saepe audivimus, haec inter Heliodori aethiopici fabellas computabamus. Prorex renuntiatus, totis viribus institit, ut uxorem secum deferret, et nos, pro nostro munere, summa vi fuimus enixi; sed omnia incassum, castrorum licentia et illecebris apud illam et apud Imperatorem indulgentia in filiam plus valente. Ex castris cum ea doloris impatientia prorex discessit, illi a nobis in confessarium et totius ditionis magistrum ac vicarium adscripto abbate Iacobo semilusitano, sed filio Romanae fidei germano. Cum tamen apud Tigraeos audiisset gliscere in dies uxoris impudentiam, et Imperatorem

(1) Sup. lib. 1, cap. 12, n. 10.

summam maioris aeconomiae praefecturam, quae proxima est Ras, sive capitis, dignitati, proco detulisse, desperatione (cui nihil est invium) abreptus, ad rebellandum se proiecit.

4. Proregi aderant duae faces rebellionis instigatrices, Gabra Mariam sirensis et Ioannes Acay debaroensis, ambo natura factiosi et clientium ac propinquorum numero praeferoces. Illi cum his convenerat, ut secessio per hiemem ornaretur, et illa exacta, qua data occasione, pervulgaretur; sed, Gabra Mariam in medio illius cursu aegritudine extincto, funiculus triplex redditus est infirmior. Opportunus tamen proregi oblatus est articulus suae destinationi maturandae. Ad eum scripsit Imperator ut Mazuae quam proximum se faceret, et patrum, qui a Turcis in ea ad quatuor menses detinebantur, exitum urgeret. Cui ad aurem Ioannes inspiravit, commodum id fore ad conventa inchoanda; posse enim patrum et Lusitanorum suppellectilem, stipis ad eos vestiendos Catholici Regis largitione comparatam, expilare, et suam rebellionem illorum quinque patrum sanguine dedicare. Prompte igitur leonem ab Imperatore missum et alia vaccarum, frumenti, butyri ac mellis dona ad Turcas expedivit, quibus obtentum ut patres citerius emitterentur.

Rebellans quinque patres occidere conatur.

5. Ioannis tamen consilium perquam facile Deus dissipavit, missis ab Imperatore litteris Amdae Michaeli genero suo, Barnagazio, ut patres ad Mazuam exciperet, ac tuto deduceret. Quod mandatum ille, ut spectatus erat catholicus, alacriter admisit, et
f.102,v. tantas copias ad *illos associandos conflavit, ut par illud coniuratorum a proposito tunc exequendo abduxerit. Imo prorex insignem in patres amorem simulans, opiparo illos convivio excepit, et vaccas duodecim in asseclarum victum et singulis ad iter prosequendum mulas singulas erogavit. Sic Deus primas illas Teclae Gueorguis molitiones disiecit et Patres Fremonam, cadente augusto, incolumes perduxit.

Primam illius molitionem Deus impedit.

6. Primam hanc occasionem dilapsam ille dolens, cum sorore sua Adaro, pertinaci haeretica cum Zaolda Mariam, regis Malac Seguedi nepote, et germana ipsius Christosavi, aliisque, quibus maxime credebat, quid consilii sibi capiendum esset consultat; constitutumque inter eos ut Fremonam propius accederet, ubi indubitato a patribus visendus esset et sine cuiusquam obiectu perficere posset suscepti concilii executionem. Sex patres Fremonam tunc incolebant: quinque hospites et p. Gaspar Paesius antiquus illius habitator. Omnibus erat animo proregem officiose visitandi, cum nulla eos structarum

Secundam similiter.

insidiarum suspicio vellicaret; sed percommode accidit ut duo leviter aegrotarent et soli quatuor abirent; qui mox, ut sunt ingressi, sex clypeos et totidem hastilia, in suam carnificinam destinata, tentorio incumbentia viderunt, et proregem gladio, cuius in tentoriis nullus est usus, a puero tunc primum allato, munitum. Illico nuntia inter proregem et supra nominatos, coniurationis participes, intercursare coeperunt, quibus Deus, servandis patribus attentus, in cor immisit, haud sanum esse consilium quatuor obtruncare, duobus superstitibus, qui statim arcis Fremonensis ostia essent occlusuri, Lusitanos convocaturi, et ipsi manubias, quibus arx oppleta credebatur, amissuri. Utilius fore pacificum ipsis reditum permittere et post tres vel quatuor dies, ad visitationem persolvendam in arcem cum toto proregis satellitio contendere, eosque, foribus et propugnaculis ad unum praeoccupatis, simul contrucidare: proclive id factu futurum, cum nemo quidquam adversi suspicaretur.

Tertiam per fratrem ipsius iuniorem.

7. Semper tamen cunctatio non bonis tantum, sed impiis etiam incoeptis incommodavit. Pridie diei ad visitationem designatae, ad vesperum, in proregis castra devenit minor ipsius frater, sed christiana pietate et prudentia maior, Suatle Ab (id est gloria Patri) et perspecta *fratris insania, illam cohibere destinavit. Et sequenti die, f. 103. cum sciret ipsum iam equum ad iter conscendere, illi, quanta potuit, celeritate renuntiari iussit: si Fremonam peteret ad patres occidendos, videret quid tentaret, se enim et suos, rebus imparatis, perditum abire. Optimum factu, si milites ex suis oppidis conciret, eos enim firmiores coeteris futuros; peregrinos et collectitios instar avium, gregalium ad primum obsistentium clamorem, avolaturos. Patres, si primo illo impetu caesi non essent, semper, ut succidaneas victimas cultro cervicem praebituros. Proregem ea verba continuerunt, et simulato stomachi cruciatu, in tentorium est reversus. Cuius morae excusationem patribus obtendens, duos, ad audiendas confessiones et synaxim conferendam appulsos, ita comiter et benigne tractavit, ut inter se statuerint, omnino falsa esse quae de illo in vulgus iactarentur.

Rebellionem caeso abbate Iacobo manifestandam decernit.

8. Ille, vel quia animus scelerum furiis agitatus quiescere nescit, vel quia patres e vicino arbitros habere pudebat, relicta specie indignationis Fremona, quod Lusitani ipsum rebellionis infamia conspergerent, ad orientem castra movit, ubi consultor ipsius Zaolda Mariam, praeter alia ex armentis Ascae Gueorguis, qui sororis suae coniux erat, sexcenta boum capita abegit et ipse iustas ad rebel-

lionem pandendam copias instruere parabat; utque suas machinationes cautius tegeret, patres invitavit ut ad se pergerent, inde ad varia loca, ubi plures confessionem et sacram Eucharistiam anhelabant, dispergendi. Lusitano quodam internuntio, patres responderunt fidum sibi non esse, turbatis rebus, in ipsius castra proficisci, nec esse cur ipse patres vel Lusitanos ut famae illius auctores traducat, cum Zaolda Mariam, ex ipsius latere, tam manifeste praedaretur. Nuntium ille e medio tollere cogitabat, sed hic doli conscius nocte decessit. Inter gnaros coniurationis sederat, proregem oportere ad colligendam et oppignerandam militum multitudinem, hostem se Romanae religionis, quam dicerent fidem Lusitanorum, et Alexandrinae, quam Dioscorus et Iacobus tradiderant, defensorem profiteri, et parum interesse, patres ne, an aliquem, qui patrum esset loco, trucidaret. Castris adesse abbatem Iacobum, lusitanum, a patribus educatum et institutum, ipsique magistrum a Patriarcha consignatum; hunc caedi iuberet, et in eo patres et Patriarcham vita disturbaturum, cum enim quis laeditur, qui vicaria alterius potestate fun-
f.103.v. gitur, illata ipsi iniuria tran*sit in delegantem. Posterioris huius consilii potissimus auctor fuit monachus Frita Mascal, id est pretium crucis, haereticae nequitiae camino recoctus, in cuius poenam, cum paulo post Ierosolymitanam peregrinationem suscepisset, elephas ex coeterorum armento decedens, eum solum in magno commeatu, quasi ex compacto quaesitum, proboscide, velut in ostentum suspendit et pedibus obtrivit.

Abbatis Iacobi gloriosa caedes.

9. Die quinta novembris, quae fuit dominica, post sacrum a Iacobo Abbate factum, cui prorex adfuerat, ut tertius esset, parricidium et sacrilegium iussit ad tympanorum et tubarum clangorem promulgari, se ad Alexandrinam fidem reversum, et coeteris concessam eiusdem regressus impunitatem. Mox industria cuiusdam emissarii qui vocabatur Nassarane, collecti ex catholicis globuli precarii, cruces et icones, quae a patribus in illos fuerant distributae, et publice in ardentem pyram, novo proregis mandato, iactatae, et loro valido (qui soli apud eos sunt funes) religatus est Abbas Iacobus; ad quem plurimi accedebant, monentes ut fidem Romanam posthaberet, ne vitae iactura multaretur. Quibus ille hoc tantum: Egone, inquit, Iesu Christi servus id patrarim? Sequenti die coram prorege et tota multitudine productus, et pallio ac pileo nudatus, constanter ad eum: Quid istud est prorex? Et quae istius causa novitatis? Cui ille, non voce responsum dedit, sed parvo hastili hamato et uncinato

constantis guttur transegit. Et confestim, qui proregi adulabantur, ictus ultra octoginta impresserunt, cum ex fortunato Christi confessoris ore ad ultimum anhelitum nihil aliud, praeter sanctissimum Iesu nomen audiretur.

Illius genus educatio et virtutes.

10. Natus erat Iacobus optimo sene Ioanne Alexandro, qui patrem habuerat Alexandrum italum, a Turcis in Tyrrheno mari captum; sed ab iis Debaroam perductum, cum de sede ibidem figenda, sub Malac Seguedo, agitarent; qui, audito Lusitanorum nomine, ad eosdem profugit et ab iis fuit in suorum censum cooptatus. Baptismo lustratus fuerat a p. Francisco Lopezio, supremo Andreae patriarchae socio Iacobus et in Fremonensi seminario eductus; preclarum omnium virtutum, et singillatim castimoniae specimen, quam creditur Agno coelesti illibatam obsignasse, cum se lento illo ac diuturno martyrio proluderet ad veram sanguinis pro illo effusionem de qua multus erat in loquendo. Sub patre Lau*rentio Romano do- f. 104.
mus Fremonensis procurator, inde a p. Francisco Antonio ab Angelis, Agaorum apostolo, ad illam provinciam est pertractus, et tribus vel quatuor annis, quibus in eadem moratus fuit, octodecim millia baptismo, propriis manibus applicato, candidavit. Post sacros ordines a Patriarcha susceptos, Tigraeo regno redditus, quinque hominum millibus suo labore Romanae Ecclesiae conciliatis, sacram Eucharistiam impertiit; sexta die novembris anni 1628, quadragenario [*sic*] aetatis suae anno, coronatus.

CAPUT X.

Tecla Gueorguis a Cabâ Christôs in bello superatur et in regiis castris suspenditur.

Teclae Gueorguis contentiones male verterunt.

1. Quam fallaces sint hominum spes, fragilis fortuna et inanes contentiones manifeste in hoc Teclae Gueorguis facto demonstratum. Cum enim putaret, verae fidei repudiatione, innocentis sanguinis effusione et sacrarum rerum combustione innumeros sibi milites adiungendos, illa dies spem eius omnem et consilia pervertit. Omnes enim pene, qui tam immanis sacrilegii spectatores fuerant, ab eo sensim sunt dilapsi, et sola eum comitata est execratio et solitudo. Germanus ipsius Suatle Ab pullatus deinceps incessit et ipsius uxor pellibus male maceratis operta, quod foeminis principibus familiare est in summo luctu operimentum. Haec vero inter primas censebatur, cum patre gloriaretur Bellâ Christôs, summo catholicae fidei in primordiis fautore (1).

Cabâ Christôs prorex renuntiatus intra triginta dies negotium confecit.

2. Ubi Imperator talium portentorum factus est certior, Cabâ Christôs ad se accersito hanc expeditionem commisit, tamquam ipsi debitam ob singularem fortitudinem et ob illam solicitudinem, qua catholicam fidem, a rebelli impugnatam, inter Tigraeos, a quibus unice diligebatur, disseminandam proxime curaverat. Brevi se suosque instruxit, evocato ex Goiama suo Bellatina Goita, sive aeco-

(1) Sup. lib. I, cap. II, n. I.

nomo, et quater centenis hastatis ac cetratis qui ibi erant in stativis. Quibus Imperator addidit millenos ex suorum numero, qui dicuntur Cocabes sive stellae, quae tunc clare micantes in ordine suo viriliter contra sacrilegum pugnaverunt. Intelli*gens vero Cabâ f. 104, r. Christôs primam in bello bonae fortunae tesseram esse celeritatem, tantae se dedit ut, cum ille tercentum milliaribus Dancazio abesset, decima quinta die novembris ab eo discedens intra mensem venerit, viderit, triumphaverit.

Patres ex India appulsos et Fremonam adit.

3. Longiorem et flexuosam viam per Syrensem et Auxumitanam regiones capessivit, ut obvios haberet quinque patres, qui ex India appulerant. Quibus conspectis, summum laboris fructum cepit, eosque sufficienti stipatu munivit, ut grassatorum, qui deserta loca infestant, insidias contemnerent. Fremonam deinde accedens, et patriarchae Andreae tumulum veneratus, coram Sanctissimae Virginis imagine, quam in altari conspexit, votum nuncupavit, se, si victor reverteretur, ut ipsius intercursu et potentissimi eiusdem filii concessione sperabat, illi se templum eo loco ex lapide calce colligato aedificaturum. Die proxima egressus, ne qua interponeretur mora a p. Gaspare Paesio petiit, ut se ad vesperum ibi conveniret, ubi pernoctandum esset. Hic peracta generali confessione et coelesti viatico, in pignus auspicati successus post octo dies obtinendi, participato, tam longis deinceps itineribus contendit, ut trium dierum viam in unam colligeret, quo rebellem interciperet, antequam rupe fortissima, Masbâ dicta, se ac suas copias tueretur, in quam audierat iter iam convertisse die lunae duodecima decembris. Ignavi enim magis pedibus quam manibus nituntur.

In rebellem incurrit.

4. Non nihil impedimentorum iubens eo loco sistere Cabâ Christôs militibus edixit ut, sumptis armis et duabus in eam diem placentis, viam tota contentione emetirentur. Tantumque sunt connixi, ut altera die duo equites, qui praecurrebant, obvios quinque habuerint ex rebellis commilitio, qui eidem novi proregis adventum nuntiarunt. Quibus ille, qua erat inscitia et arrogantia: Quamvis, ait, alatus esset Cabâ Christôs, hic adesse non posset, nec ille mecum aequo marte decernere audebit. Aliqui ex nostris segniores erunt, quos nobis hora vespertina repraesentabit.

Aciem disponit.

5. Cabâ Christôs, cum proximum esse hostem certo ab exploratoribus comperisset, aciem tripartito disposuit: in priori agmine domesticos *suo dicto et nutibus audientes, collocavit; in secundo f. 105. stellatam Imperatoris cohortem; in tertio Tigraeos ex itinere colle-

ctos, et in clementem montem ascendit, obiectum colli in quo Tecla Gueorguis consederat, quos modica planities dividebat. Ut rebellis adversarium agnovit, cum iam defugere non posset, suam aciem in duos ordines dispertiit (sed malo omine) in altero Cherequas statuens, idest milites lunae, quae defectionem paulo post erat habitura, in altero eos qui dicuntur Seltan Bâ Christôs, id est potentia in Christo, quae quidem sola vera est, sed tunc ad catholicorum exercitum transitura; quibus Gallas aliquos sibi devinctos adiunxit. Cabâ Christôs, ut largus erat manuum et verborum parcus, sic paucis ad suos praefatus.

Caba Christôs concio.

6. *Alias, comites et filii, ad colligendas manubias et laboris nostri mercedem ab Imperatore evincendam pugnavimus. Hodie nobis pro sola fide Romana, apostolica et catholica, quae sola vera est, et ad ulciscendas iniurias huic Domino* (Christi a cruce pendentis et collo gestati imaginem indicabat, et pedes osculabatur) *irrogatas proeliandum. Haec nos causa, hoc patrocinium servabit.* Tunc, contra tendens, et ultra stellarum cuneos procedens, excussa de capite galea, dixit: Me noscite, qui non mediam aciem ut dux teneo, sed primae frontem ut gloriae candidatus et antesignanus; vos ante sum pugnaturus, vos ante mortem obiturus. Ad haec hostis ferreas aliquas, quas habebat, fistulas displosit, et unus ex fortissimis Cabâ Christôs commilitonibus, ante ipsius oculos coesus, in terram est devolutus et Gallae, facto impetu, in domesticos animose irruerunt. Ille, ne sui animo deficerent, ab stellarum cuneis discessit, et se primum longe ante ipsorum agmen collocavit, et prae omnium oculis Gallam ante caeteros exultantem, lancea transverberatum, ad terram afflixit. Quod tantum ardorem domesticis adiecit, ut, facta in Gallis impressione, eos ad terga vertenda compulerint, audentissimo quoque illorum primitus trucidato.

Hasta Gallam transverberat.

Hostes funduntur et fugantur.

7. Haudquaquam tamen cedebat Tecla Gueorguis, sed vultu irretorto constanter obnitebatur, et suos terga dantes, frontem et hastas in instantes vertere cogebat. Quem conspectum Cabâ Christôs, equum calcaribus acriter exstimulans, pertinaciter est insecutus; ille
f.105.v. vero, retorquendo *impar, fuga sibi consulendum censuit, ad eam usus equo per totam diem feriato. Sed Cabâ Christôs, obfirmatius insectatus, eius tandem terga missili telo pupugit, sanguinem tamen propter intervallum et trilicis loricae munimentum non expressit. Illum milites usque ad castra persecuti, evadendi spatium dedere, ad colligenda spolia dispersi. Ibi consistere proregi visum, tum ob

militum digressionem, tum ob viae, ex praeteritorum dierum festinantia, fatigationem. Brevi ad eum illata rebellis mula, ensis et cassis, et tercenta caesorum, maxime Gallarum, et duodecim monachorum haereticorum capita, qui praecipui fuerant illius rebellionis et caedis abbatis Iacobi instigatores. Ducta quoque Adarô illius soror, gutture, magno merito, ob iactatas per illud in Romanam fidem blasphemias cruentato, et Goito Tafâ (qui caput erat cuiusdam familiae, callosae apud Fremonam in Lusitanos hostilitatis) quem, quod beati illius Iacobi immolandi, ex odio inveterato in Lusitanos, praecipuus auctor fuerat, illico iussit obtruncari.

Tecla Gueorguis vinctus ad proregem trahitur.

8. Tecla Gueorguis, cum tres vel quatuor dies latuisset, die sabbati (quae erat decima septima decembris, cum hoc bellum finem accepit) in spelunca repertus cum suo perfido sodale Zaolda Mariam èt monacho Sebô Amlac, inter haereticos famoso. Duobus capita statim dimissa et ipse vivus ad victorem perductus, et in regia castra ab eodem remissus. In quae Imperator, post actas Deo pro tam maturata victoria gratias, eum iussit a cingulo ad humeros nudum, et duorum sociorum craniis ex utroque brachio suspensis, ad ignominiam inferri. Illico ad causam discendam raptatus, et defensionis expers, igni est adiudicatus, ut qui igne sacras imagines et reliquias absumpserat, vivus igni devorandus traderetur, isque ad illud supplicium expetendum fornaci calcariae iniectus.

Tecla Gueorguis peracta confessione errores eiurat.

9. Catholicum ille confessarium poposcit ut cum Deo in gratiam rediret, missusque ea de re nuntius ad Patriarcham, Gorgorrae tunc in patrum conventu morantem. Ille vero sui loco p. Antonium dimisit, suas ei vices, ad relaxandas censuras et ad veniam ab Imperatore suo nomine exorandam, delegans. Sua flagitia et sacrilegia Tecla Gueorguis ad Patris aures prius damnavit, et postea solemni eiuratione errores, in templi vestibulo *est detestatus. Inde ad Im- f. 106.
peratorem pater cum multis aliis perrexit, et omnia, quae ipsum ad misericordiam impellere possent, supplex denarravit. Quae omnia ille paucis sic dissolvit: *Multae me, pater, ad ignoscendum Teclae Gueorguis rationes permovebant, nec alias opus est producere, quam quod bis ex duplici filia meus sit gener, et duos ex iis filios eduxerit, qui mihi semper apparent, et euntem ad bellum expediti iam equites comitantur. Eam iniuriarum partem, quae ad me attinet, iam dimisi, sed si in iis, quae Dei honorem lacerant, conniveam, vereor ne in me, in meam familiam et regnum poenae illi debitae vertantur.* Sic patrem dimisit, submonens ut Gorgorram regrederetur, et ignis

supplicium, in factae confessionis praemium, suspendio in privatā domo commutaretur, sic Deo disponente, ut qui loro abbatis Iacobi pedes vinxerat, substricto ad fauces loro strangularetur.

Palinodiam recantans e rhamno suspenditur.

10. In executionem huius sententiae mitioris, manus illi constringi coeperunt, quod cum intelligeret, quidquid prius ad templi fores eiuraverat, praecipiti desperatione retractavit, duas Christo naturas subtrahens, unam concedens et divinitatem aeque cum humanitate extinctam contendens. Capitales tamen vindices illius dicta nihil morati, loro a praealta domus trabe deiecerunt. Sed audiens inconcinnam stolidi hominis palinodiam Imperator, praecepit ut, quoquo modo se haberet, domo educeretur et publice infelici rhamno, qui vicinus erat, appenderetur. Illi singultantem et palpitantem raptim extrahunt et senticosae arbori addicunt, ut qui Iudae proditoris aemulator fuerat, nec terra, quam foedaverat, nec coelo, quod irritaverat, caperetur, sed in aere, siquidem aereum posuerat suae rebellioni fundamentum, interiret.

Imperatoris verba ad aulicos de hac re.

11. Ad huius suspendii spectaculum, lectissimum aulicorum globum vocans Imperator, sic est elocutus: *Fides romana novum quid non est in orbe, nec Aethiopiae nova eius suscipiendae obligatio. Nam proavus noster, Onag Seguedus, auxilium sub illius profitendae pollicitatione a Lusitanis poposcit, si nobis adessent, et nostros fines ab Adelensium mahometanorum infestationibus vendicarent. Venere et vendicavere et sola promissionis nostrae solutio est desiderata, sed in hoc*
f 106,v. *tempus reservata; non tantum ut maiorum *nostrorum fidem liberaremus, sed quod hanc indelibatam esse fidem agnoverimus. Ab hac igitur die suo quisque capiti caveat et qui altero, vel potius utroque, pede claudicant, ore in Romanam fidem et corde in Dioscori et Eutychetis deliria euntes, intelligant, Seltan Seguedum, qui Teclae Gueorguis duplici secum affinitate connexo non pepercit, nulla in eos conniventia usurum.*

In eodem rhamno eiusdem soror suspenditur.

12. Qui summam Aethiopiae in peccantes impunitatem et principum in ignoscendo indulgentiam (quae merito dici possit ad graviora audenda invitamentum) mature perpenderit, agnoscet hoc supplicium in Teclam Gueorguis exercitum, non minimum fuisse miraculorum, quae in ea a multis annis sunt patrata, illiusque admirabilitatem auctam simili suspendio in eodem rhamno post dies quindecim Adaro ipsius sorori impacto, quin liberandae quidquam proficerent supplices Reginae et omnium illustrium foeminarum, quae tunc in castris versabantur (penes quas summa est potentia), obsecrationes; quas lepida narratiuncula Imperator elusit. Capularis,

inquiens, senex erat, cui quoties diceretur puerum aliquem obiisse, placide respondebat: Pueri molles sunt et delicati et cuilibet aurae penetrabiles, nil mirum, si sit extinctus. Cum narraretur, iuvenem e medio sublatum, dicebat: Iuvenes audaces sunt et temerarii, forsan hic se in suam mortem praecipitavit. Si vero audiebat, senem aliquem traditum Libytinae, caput manibus tundebat, crines velabat et genas unguibus inscribebat addens: Vae mundo, vae pueris, vae adolescentibus. Omnes perierunt: nam mens, ratio et consilium in solis senibus est. Ita vos, Teclae Gueorguis socios extinctos audiistis, ipsumque suspendi vidistis et ora compressistis, nunc, cum de foemina efferenda agitur, mussatis, perstrepitis et cornicamini. Scitote igitur, illud lorum, quod abbatis Iacobi pedes praeligavit, satis esse illi suculae (sic eam dicebat propter inconditam obesitatem) et aliis consimilibus suspendendis.

Nassarane, ob crematas sacras imagines, in ardentem pyram conicitur.

13. Eodem tempore Cabâ Christôs, apud Tigraeos, omnes rebellionis concitores et amplificatores diligenter perquirebat et inventos capite plectebat. Sed attentius in Nassaranem, qui fuerat in sacras imagines eo tempore quaesitor, afflictor et proditor. Quem cum sciret, *in petram Masbâ aufugisse, sic illius praesides fatigavit, f. 107.
ut hominem tradiderint, sed enixe deprecati ut mortem remitteret, mille vaccas in illius compensationem persoluturi. Sed in Cabâ Christôs tanta erat animi celsitudo, opum despicientia et catholicae fidei ardor, ut eadem generositate maiora, si offerrentur, contempturus esset, qua Constantinus a Brigantia, omnium Indiae proregum vertex, simiae dentem, in cuius redemptionem (quod suum esset idolum) legati Regis Bengalae tercenta nummorum millia offerebant, mortariolo contusum, illorum in conspectu igni comburendum dedit. Vinctum igitur Nassaranem Cabâ Christôs iudicio subiecit: eoque ad flammas damnato (ut qui proterve in sacras imagines bacchatus fuerat, in proterviae sacrificium invitus offerretur), edixit, ut omnes castrenses, quo se mundos ab imaginum incendio testarentur, et meriti iustitiae mox exercendae participes essent, ligni alicuius symbolum in pyram conferrent. In quam alte constructam subito miser ille, ligatus pedes et manus, est coniectus. Hic postremus fuit actus luctuosae tragoediae et persecutionis, quae prima catholicam fidem aperte impugnavit, tristi multarum consequentium praesagio, quas Deus permisit, ut constantes catholici tamquam aurum in fornace probarentur et qui fidem mercenariam ad temporales tantum quaestus simulabant, paulatim detonderentur.

CAPUT XI.

Quantum fides catholica et Patriarchae auctoritas hoc tempore sit aucta.

1. Multae Patrum manus (iam enim uno vicenos superabant) tredecim residentiis et illarum confiniis dispersae et plurium presbyterorum a Patriarcha inauguratorum accessu roboratae, facilius onus et laetiorem frugum collectionem reddebant. Schismaticorum ad chatolicam fidem advolantium per hoc tempus centena millia: dena Agaorum Goiamensium, inanium deorum cultu et pluribus uxoribus ablegatis, baptismum suscipientium recensita. E quibus homo praedives in duodecim pellices antea solutus, coeteris reiectis, unius se nuptiis alligavit.

Fructus hoc anno ex conversione collectus.

f.107,v. *2. Divina officia diversis locis hoc anno, aliquibus ecclesiis iam ad fastigium erectis et egregie exornatis ac pleno symphoniacorum numero instructis, ut Gorgorrae, Collelae et potissimum Ganetae Iesu repraesentata. In quam Imperator et aulici a Dancazio et Patriarcha a Depsan descendit prius ad natalitias et postea ad funebres Christi ferias eo ritu, quo priori anno celebrandas. In nativitatis dominicae pervigilio, quae dies erat dominica, Patriarchae a patre superiore impositum fuit pallium a beati Petri Apostoli corpore sumptum et a quinque patribus allatum, nec sine sua tempestivitate, ut illa die in cuius conticinio Dei Agnus ex Matre ove prodiit, humano vellere indutus et se pastoribus contrectandum obtulit, Patriarcha pastoralis muneris plènitudine indueretur. Praesepe in templo concinnatum

Pallium Patriarchae additum, et divina officia Ganetae celebrata.

fuerat, multis illustratum sacrarum litterarum historiis ad excitandam pietatem accommodatis, quas Patriarcha Imperatori, singula lente percurrenti et expendenti, non sine mellis ac butyri temperamento ex divi Bernardi apothecis hausto explicavit.

Ecclesiae patriarchali iacta fundamenta.

3. Octava septembris die, Beatissimae Virginis nativitati consecrata, quae prima est anni aethiopici, ecclesiae patriarchali, in ambulationes ad maiorem capacitatem tripartitae, Dancazii, inter patrum domum et templum Ganjabet, iacta sunt fundamenta, Imperatore et Patriarcha primarium lapidem hinc et inde sua sede collocantibus. Magna in omnibus conspecta est hilaritas et in Imperatore liberalitas, nam ultra ducentas auri oqueas, plus duum mille nummorum millibus continentes, quas prius comparandae materiae erogaverat, ea die detractam suo capiti coronam in coementa condixit, quam postea ad auri pondus, ducentis aureis redemit. Pueros ad nostras fides quam apposite saltantes centenis muneravit.

Patriarchae auctoritas et Ecclesiae iurisdictio aucta.

4. Hoc Imperatoris favore, et aliquo Patriarchae illustrandis ecclesiis et familiarium ac publicarum in castris concionum labore, illius existimatio et ecclesiasticae iurisdictionis auctoritas invalescebat, cum prius iaceret in Abunis et cuncta ex regiorum magistratuum (quibus semper odio fuit Ecclesiae immunitas) arbitrio aut libidine regerentur. Ubi enim fidei vigor hebet, auctoritatis etiam cura marcescit. Aegiptii vero Abunae, cum nec pastores essent, nec canes, gregem non tondere, sed *deglubere, nec contra lupos latrare, sed f. 108.
ipsi in lupos conversi, ovium sanguine saturari curabant. Multi, qui in Teclae Gueorguis rebellione fidei desertores fuerant, in ecclesiae foribus, iis diebus quibus plurimi ad eam confluebant, accensum cereum manibus praeferentes et levi mulcta, pro tempore et desuetudine, inflicta, absolvebantur. Quod et in aliis contingebat, qui publico alicuius anathematis stigmate essent compuncti.

Illustris senex, excommunicatus, statim resipuit.

5. Illud prae coeteris horrificum. Summae auctoritatis senex, ab intimis Imperatoris consilii, cui a munere nomen erat Acabi Essat, hoc est custos ignis, ipsius nempe Imperatoris, qui ut ignis lucere debet ad probos illuminandos ac fovendos, impios vero inflammandos et absumendos, caenobii cuiusdam fundis se a multis annis implicaverat, quin ad perpetuos monachorum clamores et Patriarchae nuntiationes se ab illis expediret. Hunc, Imperatore praemonito et probante, festiva die cum ipsemet sacro adesset, penitus ignarum fulminis tunc in se intorquendi, Patriarcha anathemate obstrictum iussit solemnibus Ecclesiae Romanae verbis promulgari. Ille tam in-

solenti tonitruo perterrefactus, in terram excidit, ut qui crederet Dathanem et Abironem iam iam se manibus prensare et viventem in tartarum abducere, et omnes qui aderant, ipsumque mox Imperatorem apud Patriarcham deprecatores interpellat Multi denso agmine, et Imperator misso nuntio, ipsius nomine resipiscentiam et satisfactionem polliciti, se pro illo sponsores addixerunt. Et cum anathema tamdiu vigere debeat, quamdiu perstat obstinatio, ad illius cessationem soluta seni vincula, tenui virgae pulsu ad singulos quinquagesimi Psalmi versiculos admoto. Cumque ille postea ioco vel serio Imperatori diceret, Patriarcham ex multa in eum confidentia in senes ipsos verberibus saevire, respondit: Graviter illum peccaturum, nisi senes pueriliter delinquentes puerorum supplicio submitteret.

Collelae fructus sub p. Francisco Carvalio.

6. Pater Franciscus Carvalius Collela egressus ultra triginta Goiamae ecclesias a catholicis parochis, ordinibus a Patriarcha consignatis, cultas, et duo monachorum coenobia, romanae iam disciplinae assueta, lustravit et maioris hebdomadae officia eadem solemnitate, qua duobus annis Ganetae sunt exhibita, suo in templo
f.108,v. celebranda curavit, illuc con*currentibus patribus Nebessaeo et Serquensi cum lectissimo symphoniacorum, a se doctorum, choro, et catholicis, qui domos finitimis locis habebant, quibus ille cantus et aspectus magno fuit ad progressum in fide incitamento.

Periurus triduano tumore interiit.

7. Mirum quid accidit in eo templo, sancto Ignatio patri nostro ibidem dedicato, quod omnes conscios ab iniquo peierandi auso deterruit. Lis erat inter duos de rebus furto ab altero compilatis, et cum liquidae probationes non suppeterent, conventum inter eos, ut is, qui criminis arcessebatur, in eo templo mortem, sibi ex corporis tumore immittendam, praemisso iureiurando, imprecaretur. Vegetus is erat et validus, cum sacramentum concepit sed horribili intra triduum inflatione distentus animam exhalavit. Tumidus enim scelere animus aegritudinem in corporis membra transfudit.

Periurus alius fulmine percutitur.

8. Simile quid, sed multo atrocius, videre Fremonenses in templo, in quo sita sunt ossa beati patriarchae Ovieti. Colitur in eo imago Sanctissimae Virginis, quam dicunt Romavi, id est, Romanam, ante quam homo improbissimus se periurio obligavit. Sapiens tamen ad noxios ab insontibus secernendos fulmen, eadem die a coelesti machinatore in eiusdem cor vibratum, exanimem et in cinerem pene redactum reliquit. Nam Virginem impollutam romanae urbis et veritatis nomine velatam tanti Deus facit ut illius auctoritatem nec verbo temerari patiatur.

Catholicum iuvenem Christi e cruce pendentis imago in bello liberavit.

9. Laetiori exemplo caput istud concludatur. Nobilis adolescens in Amarensi regno, sub Ras Selâ Christôs in quosdam fidei catholicae rebelles equo merebat. In proelium ingressus, Christi ad sacrum stipitem affixi imaginem a patre Hyacintho Francisci, qui aderat, donatam collo innexuit, eum coram multis his precibus obtestatus: Ne, quaeso, Domine, patiaris ut me quisquam a tergo vulneret: omnibus enim fronte, nulli tergo notus esse velim; id vero si accidat, crediderim, meum a te laborem in meorum scelerum compensationem non bene verti, si autem pone frontem sim saucius, tunc intelligam, gratum tibi esse sanguinis mei sacrificium, in sacrosanctae fidei propugnationem oblati Ad quae verba in hostes irruit, et primo iactu audentiorem ex ipsis cecidit, ac coeteros in fugam convertit, quin a persequendis obsisteret; nescit enim remittere animus *semel generose incitatus. Ipse, quo vehebatur equus cum mira pernicitate f. 100.
praestaret, socios brevi praevolavit, spatiumque dedit, ut hostes retrogressi equitem cingerent, et decem ac septem telorum ictibus impeterent; a quibus illum is, quem pectore gerebat, clypeus impenetrabilis, sacra nempe imago, vendicavit. Sed cum se ad extorquendum a signifero vexillum, sui incuriosus proiecisset, vulneri in dextro humero locum praebuit, nulla mora, hastile sinistra extrahens, tale signifero vulnus impressit, ut et vexillum e manibus et animam e corpore evulserit. Adfuerunt illico socii, et iuvenem gestientem invenere, non eo tantum quod se absque honoris iactura Deus a tot hostibus et petitionibus texerat sed quod vulnere non indecoro, quin et valde glorioso, acceptam sibi sanguinis sui hostiam significarit.

CAPUT XII.

Patriarchae disputatio cum Hebraeo europaeo de Messiae divinitate.

1. Id temporis, Imperatore ad bellum egresso, in statariis castris Patriarchae celebris obtigit cum Iudaeo europaeo velitatio, quae non minimam peperit romanis rebus existimationem. Cum huc delatus esset Patriarcha, Germanum quemdam a Vienna Austriae Hebraeum reperit nomine Salomonem, qui merces aliquas secum invexerat, quarum opimior erant libri tam Divinae Scripturae, quam Rabbinorum, hebraicis characteribus exarati. Et omnium linguis pervulgata erat opinio, his se armis instruxisse, ut in montibus Semenis, qui vulgo Iudaeorum dicuntur, pestilentis doctrinae suae cathedram firmaret. Communis enim est Abassinorum sensus, posteros eorum, qui cum Menilec Salomonis filio et postea ex Titi ac Vespasiani vastatione in Aethiopiam ex Iudaea devenere, et promulgatae in ea evangelii praedicationi restiterunt, a Regibus Auxumae degentibus in Semen relegatos; quod nomen apud Abassinos Austrum significat; ii autem montes Auxumae sunt australes. Sed cum is Salomon Imperatorem cum Semenis Iudaeis confligentem reperisset, ut eos ab antiquo nido petris illis affixo deturbaret, arma convertit in christianos, ut eos a veritatis itinere deduceret et iudaicis fabulis atque Rabbinorum somniis inferciret. Nec magni tantum fiebat ob doctrinae f.109,v. novitatem a vili popello, sed cum magna reli*quorum offensione a

Iudaeus iste cathedram inter Iudaeos erigere nitebatur.

Christianis etiam noxus erat.

summatibus ac probatissimis catholicorum. Saepius patres connixi fuerant, sed frustra, ut Aethiopia extruderent, eum tamen illorum vincula pecuniaria retinebant, quibus merces credito tradiderat. Est enim, quod mutuum datur, instar hami, qui esca abductus facile hauritur, nec postea nisi cum vitae dispendio evomitur. Imperatori etiam periculosus ipsius regressus videbatur quod timeret, ne apud Turcas Lusitanorum et Abassinorum societatem, quasi ipsis noxiam, incusaret, quam saepius impudenter et indecore cavillabatur.

Eum monet Patriarcha ut a iudaicis erroribus docendis absistat.

2. Patriarcham a principio patres iacturae a Iudaeo illatae et damnosae doctrinae admonuerunt. Et cum primo obvium habuisset in foribus aulae Ras Selâ Christôs (a quo, si non credebatur, ob novitatis illecebram benevole audiebatur) hominem commonuit, ut a suis fabulis in rudes spargendis abstineret, et secum ageret si quid vellet de Scriptura Sacra et illius interpretatione edoceri. Qui, sui quaestus excusatione usus, respondit, unum sibi esse cum mercibus negotium. Postea Patriarcham convenit, ut illius esset apud Imperatorem deprecator quo sibi a suis debitoribus pecuniam solvi iuberet, vel suas merces redhiberi, quod officium ille non detrectavit, tum quod intelligeret se iustitiae procurandae non solis christianis, sed ethnicis atque Iudaeis esse debitorem, tum quod illa esse posset ansa illum citius Aethiopia pellendi. Cum vero ille cunctaretur, nec a perniciosa doctrina multorum auribus ingerenda otiaretur et aliqui ex primoribus illius contagione essent infecti et praecipue senator Lessana Christôs, de quo infra, qui Psalmos habebat illius interpretationibus et notis deturpatos, eum coram senatore Tino et Daniele Serage Messarê, qui veluti flamen curialis et regii sacelli praeses oleum Imperatori in coronatione infundit (qui ambo erant et fidei et Scripturae apprime callentes) iussit accersiri, et rigide praecepit, ne suos errores et deliramenta simplicibus in doctorum mentibus obtruderet; multa enim effutiebat, quae non solum cum fide christiana pugnabant, sed cum ipsa Scriptura, quam ipse, cum Iudaeus esset, intemeratam custodire tenebatur.

Nec Christum Deum esse, nec Iudaeorum Messiam futurum Iudaeus iste blasphemabat.

3. Ille, cum et sanguine et indole iudaeus esset, intentam sibi litem contestatus est negatione, dicens a se neminem umquam eruditum. Sed opus non fuit testium aliunde evocatu, cum duo illi senatores et plures, qui aderant, unanimi oratione affirmarent Salomonem diversis locis do*centem a se auditum et nihil acrius velle f. 110
adstantium animis insculpere, quam nec Christum, quem christiani reverenter colimus, Deum esse, nec Iudaeorum Messiam Deum fu-

turum sed puri hominis censu conclusum. Se convictum ille perspiciens, dixit, se, si quid doceret, domi suae tradidisse, nec cuiusquam audientiam extra illam aucupatum. Cui Patriarcha: Eadem, inquit, Salomon, illi poena irrogatur, qui adulterinam pecuniam domi suae cudit et illi, qui venalem in forum producit. Nec domi nec foris mendaciorum doctorem agas sin minus scias te debitas tuae proterviae poenas daturum, qui non solum christianis, sed tibi ac tuo generi sis iniurius, ut, cum Deo ac Dei filio vestrae servitutis assertore gloriari possitis, pannosum hominis mendicabulum habere malitis.

Nec impossibile, nec indecorum Deo est filium habere.

4. Hic Salomon: Quid, inquit, sunt isthaec? Quid Messias Dei filius? Quid Deo filium, quasi arbore stolonem subnasci? Qui possint in Deo haec absurda componi? Composuit (ait Patriarcha) te et nobis et cunctis hominibus multo sapientior, tibi congener et cognominis Salomon in proverbiis, cum dixit: *Quod nomen est eius et quod nomen filii eius si nosti?* (1) Ergo ut Deus habet nomen, de quo ipse ad Moysem, *Hoc nomen mihi est in aeternum* (2), sic, et Dei filius quamvis ipse minime noris. Composuit tui etiam contribulis Iesus Syrach, cum, affectione tuae absimili, fatebatur: *Invocavi Dominum patrem Domini mei* (3). Sed quia eum librum hebraice non habetis, composuit Deus ipse, quem non suppuduit in secundo Psalmo testari: *Filius meus es tu. Ego hodie genui te* (4); nec in centesimo nono: *Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te* (5). Possunt igitur ea, quae tu reris absurda, componi, nec Deo dedecorum esse filium habere. Si te generationis nomen et faeminei alloquii commemoratio absterret, lucis et splendoris appositio tranquillet. Nam Messias nec in aeterna generatione matrem neque in temporali patrem nactus est; sed in illa sic a Patre et in ista sic a Matre, sicut lux ab igne et splendor a sole processit. Et ideo de utraque dictum est a Psalte: *Ego hodie genui te;* hodie, id est in hac die aeternitatis vel puritatis, non in nocte carnalis obscaenitatis, quam alibi diei formaturam, ut nocturnae ac tenebrosae oppositam, vocavit (6). Et iterum: *In splendoribus sanctorum* (7). In hebraeo, sanctitatis,
f.110,v. quia utrobique splendida est *et syncera sanctitas et generatio Messiae. Quem ob eamdem causam idem vates verbi a corde, seu mente, nascentis generationi non libidinosae titillationis opificio, compara-

(1) *Prov.*, 30, n. 4. — (2) *Exod.*, 3, n. 16. — (3) *Eccles.*, 51, n. 7. — (4) *Psalm.* 2, n. 7. — (5) *Psalm.* 109, n. 3. — (6) *Psalm.* 138, n. 16. — (7) *Psalm.* 109, n. 3.

vit, cum cecinit: *Eructavit cor meum verbum bonum* (1). Ut enim ab hominum corde et mente, sine ulla corruptione interiores cogitationes, quae ipsius sunt verba, prodeunt sic a Deo sua ratio et cogitatio, quae est aeternus ipsius Filius, qui ad homines postea corpore velatus descendit et eorum vindex fuit et Messias. Nam de eodem subdit: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae* (2). Ubi eum Deum simul et Messiam vocat; Messiam, cum ait: *Unxit te Deus tuus oleo laetitiae*. Unctus enim idem est quod Christus, Christus idem quod Messias; Deum, dicens: *Deus, Deus tuus;* quia priori loco Dei nomen est in vocandi casu posteriori in recto, quasi apertius diceret: Unxit te, o Deus Messia, Pater, qui tuus est Deus, sicut et hominum coeterorum. Et in secundo Psalmo ubi habemus: *Adversus Dominum et adversus Christum eius* (3), hebraeus textus legit: Messicho, id est Messiam eius. Et mox: *Ego autem constitutus* (4). In eodem textu Nasacti, id est, *unctus sum rex ab eo*. Quem Psalmum nullus Rabbinorum de Messia non interpretatur. Ad quem et illud referendum: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te* (5). Est ergo Messias verus ac naturalis Dei filius.

Filii nomen maxime proprium est naturalium, translatitie adoptivorum.

5. Ad quae Salomon verum esse dixit haec omnia in productis a Patriarcha testimoniis contineri, sed ubique in eisdem reperiri nomen *Ben* sive *Beni*, quod est filius, seu filius meus, quo Deus utebatur, cum de populo Israel, adoptiva prole, loqueretur; et Messiam talem futurum se non addubitare. Non me latet, inquit Patriarcha, Dei populum ipsius filium aliquando nuncupari ut in Exodo: *Filius meus primogenitus Israel* (6); et in Osea: *Ex Aegypto vocavi filium meum* (7). Quamquam et is locus de Christo naturali Dei filio, cum puer vocatus est ab Aegypto, ad litteram a Matthaeo exponatur (8). Quamvis autem nomen illud filiis adoptivis accommodetur, non ideo non quadrat in naturales; imo ab istis ad illos transfertur, quia adoptiva arrogatio naturalem aemulatur. Quod enim David aliquando ad suos milites vel clientes dixerit: *Venite filii, audite me* (9) et alibi ad omnes Deo obsequentes: *Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes* (10), naturalis filiationis eidem nomini significationem non abstulit, *cum dixit: *Fili mi Absalon, Absalon fili mi, quis mihi tribuat ut ego moriar pro te?* (11). Non enim nudum nomen sed personae cui adaptatur natura et conditio pensitanda, ut inde naturalis ne sit filius an ado- f. 111.

(1) *Psalm.* 44, n. 1. — (2) *Psalm.* 44, n. 8. — (3) *Psalm.* 2, n. 2. — (4) *Psalm.* 2, n. 6. — (5) *Psalm.* 2, n. 7. — (6) *Exod.*, 4, n. 22. — (7) *Os.*, 11, n. 1. - (8) *Matth.*, 2, n. 15. — (9) *Psalm.* 33, n. 12. — (10) *Psalm.* 81, n. 6. — (11) 2 *Reg.*, 18, n. 33.

ptivus colligatur. Naturalem namque filiationem necessitas, et translata ex ipsa gignentis substantia in genitum eiusdem naturae communio inducit, ut visum in Salomone et Absalone, qui ab ipsa Davidis substantia sunt decisi: Cum de Salomone Deus dixerit: *Suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo et firmabo regnum eius* (1), et in Psalmo: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam* (2), de Absalone autem David ipse: *Ecce filius meus, qui egressus est de utero meo, quaerit animam meam* (3). Dicuntur autem naturales filii de patrum utero egressi, quia concoctus in eorum ventre cibus in semen ad lumbos transit, ex quo in matrum vulva eorum corpora formantur. Adoptivi tamen ab aliena familia et parentibus in arrogantis curam et domum et dilectionem, non in substantiam transferuntur. Ita ergo populus Israel et omnes iusti Dei filii dicuntur, non quod ex Dei utero vel substantia prodierint, sed quod ab eo in tempore externa coaptatione facti fuerint, ut quidam ex nostris asseruit, *divinae consortes naturae* (4). At non talis Dei filius, seu Messias, qui non extrinsecus in patrem est allapsus, sed intrinsecus et ab aeterno ex eiusdem substantia tamquam ex utero egressus. Quod David aperte indicavit illis verbis: *Ego hodie*, id est, *ab aeterno genui te*, est enim generatio eiusdem naturae communicatio. Ubi particula *hodie* denotat generationis istius aeternitatem, quam nulla nox umquam obscuravit. Nec minus clare cum ait: *Ex utero*, hoc est ex meae substantiae arcanis: *ante luciferum*, sive auroram aut quamvis aliam creaturam, *genui te*.

6. Respondit Salomon, illa verba: *Ante luciferum*, comparativa non esse, nec primatum aut perfectionem significare, quasi ille, qui genitus dicitur, auroram tempore vel dignitate praecesserit, sed quod coram ipsa, ad eius faciem aut ex regione ipsius, sit productus, quasi Deus, ad aliquem diceret: Coram sole, vel ad eius praesentiam te perfeci et perpolivi. Non inficior, inquit Patriarcha, tantam esse huius filii, in splendoribus sanctorum geniti, perfectionem
f.111,v. et claritatem, ut ante solem vel coram *sole gigni potuerit et adornari, quin naevus aliquis in eo deprehenderetur et praepositionem latinam *ante* hanc vim habere in locis illis Psalmi: *Permanebit cum sole et ante lunam*, et inferius: *Ante solem permanet nomen eius* (5). Utrobique tamen iis locis est in hebraeo particula *lifne*, quod est coram, vel ante faciem solis ac lunae. At eo loco: *Ante luciferum*

« Ante luciferum » non est contra seu in conspectu aurorae, sed prius.

(1) 2 *Reg.*, 7, n. 12. — (2) *Psalm.* 131, n. 11. — (3) 2 *Reg.*, 16, n. 11. — (4) 2 *Petr.*, 1, n. 4. — (5) *Psalm.* 71, n. 5 et 17.

genui te, est particula *Min,* quae proprie est comparativa, quasi diceret: Prius, vel prae lucifero, vel aurora. Et ita legit divus Hieronymus, hebraeae linguae peritissimus, et ab hebraeo praeceptore eruditus: *Misehar,* id est prae aurora genui te. Quae particula *Min* reperitur duobus locis in Psalmo 44 qui totus est de Messia, n. 5: *Speciosus forma prae filius hominum,* et n. 7: *Propterea unxit te Deus, Deus oleo laetitiae prae consortibus tuis.* Sed, quamquam locus ille non sufficeret ad probandam generationis Messiae aeternitatem, alia sunt in hebraeo textu testimonia, quae omnem dubitationem avellunt, ut illa Salomonis in Proverbiis, ubi sapientia, quae est ipse Dei filius, dicit: *Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio* (1). Quid est possedit? Genuit; haec est enim proprietas verbi hebraei, ut cum communis omnium mater Eva, post Cain genitum, dixit: *Possedi hominem per Deum,* et infra: *Quando praeparabat coelos, aderam* (2). Si, quando coelum est conditum, patri iam filius aderat, iam antea genitus fuerat. Ergo multo ante luciferum, qui quarta die post coeli et terrae creationem in coelo cum reliquis stellis est constitutus. Ad cuius aeternitatis probationem, si aliis testimoniis destitueremur, satis esse posset illud Micheae (3), quod Herodis regis tempore Ierosolymae omnes scribae et sapientes de suo Messia explanarunt: *Et tu Bethlem Ephrata parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominus in Israel: et egressus eius ab initio a diebus aeternitatis* (4). Ubi verbum egredietur, temporalem Messiae nativitatem, nomen egressus aeternam eiusdem designat. Est enim idem verbum *rasá,* quod habetur in Genesi ad Abrahamum: *Non erit hic haeres tuus, sed qui egredietur de utero tuo* (5), et iterum *Regesque ex te egredientur* (6), et ad Iacob: *Regesque ex lumbis tuis egredientur* (7). Quibus locis vera et naturalis generatio ex utero et lumbis, non fucata et umbra*tilis per adoptionem egrediendi verbo et egressus nomine, ut et apud Micheam, indicatur. f. 112.

Spiritualis est non carnalis Filii Dei generatio.

7. Ignorans ille quo clypeo huius testimonii aciem declinaret, ad *quomodo,* aeruginosum illum quondam Pharisaeorum gladium, confugit dicens: Quomodo fieri posset, ut Deus filium haberet, quem absque foeminae commercio gignere non posset? O vanissimam tuam mentem et coelestium inanem? (ait Patriarcha): hominum sub carnis tumulo sepultorum hae sunt ratiocinationes. In temporali Messiae

(1) *Prov.,* 8, n. 22. — (2) *Genes.,* 4, n. 1. — (3) *Mich.,* 5. n. 1. — (4) *Matth.,* 2, 6. — (5) *Genes.,* 14, n. 4. — (6) *Genes.,* 17, n. 6. — (7) *Genes.,* 35, n. 11.

nativitate tam proclive Deo fuit ipsius matrem Spiritus Sancti virtute sine virili congressu, quam soli terram suis radiis ad lilia et diversos flores ac plures vermiculos producendos gravidare, quam Moysis virgae efficacitatem indere, ut in serpentem transiret (1) aaronicae, ut flores et amigdalas eadem nocte promitteret (2); petrae, ut ad virgae tactum aquis scaturiret (3), et tuos maiores per totam eremum, humore pellucido redundans, consequeretur. Nativitatem aeternam eidem denegare tam impium est, quam stultum foeminam in ea quaerere. Si enim caro suos habet partus, cur non et spiritus, et summus spiritus? qui per Isaiam: *Numquid ego,* ait, *qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus. Si ego, qui generationem coeteris tribuo, sterilis ero?* (4). Verum, cum spiritus ipse sit, partu, non carnem, sed spiritum emisit. Dixit enim verus Messias: *Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est de spiritu, spiritus est* (5), verbum nempe, quae spiritualis est mentis operatio sive dictio, quod utroque Psalmo vates insinuat, cum in secundo affirmat: *Dominus dixit ad me* (6), et in centesimo nono: *Dixit Dominus Domino meo* (7). Ubi Rabbi Ionathas Targum: *Dixit Deus verbo suo: Sede ad dexteram meam* (8). Esse autem Messiam in aeterna generatione paterni intellectus foetum, ea verba demonstrant, quibus ipse in divinis libris declaratur. De se enim Dei filius, sub nomine sapientiae testatur in Proverbiis: *Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis* (9); et iterum: *Nondum erant abyssi et ego iam concepta eram;* et iterum: *Ante omnes colles ego parturiebar* (10). Ordinare enim et res concipere, ministeria sunt intellectus, sicut
f.112,v. et cogitationum per verba parturitio. Quam magis produnt *illa verba. *Ego sapientia ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam* (11). Non ex lumbis, ut hominum filii, sed ex ore Altissimi qui et idem ait: *Eructavit cor meum verbum bonum* (12). Ut ergo hic vulva est divinus intellectus, de quo vates: *Ex utero ante luciferum* (13), sic et Deus, non tantum pater, sed et mater, quae peperit et ideo utroque loco habetur *Ieladtica,* id est, *peperi te. Ego hodie peperi te. Ego ex utero ante luciferum peperi te* (14).

8. Ne se, quaeso, Patriarcha distorqueat (addit Salomon) in eo

Iudaeus psalmi 109 auctorem fingit

(1) *Exod.*, 7, n. 12. — (2) *Num.*, 17, n. 8. — (3) *Num.*, 20, n. 11. — (4) *Isai.*, 66, n. 9. - (5) *Ioann.*, 3, n. 6. — (6) *Psalm.* 2, n. 7. — (7) *Psalm.* 109, n. 1. — (8) R. Ionathas Targum; *Galatin.*, lib. 8, cap. 24. — (9) *Prov.*, 8, n. 23. — (10) *Prov.*, 8, n. 24. — (11) *Eccles.*, 24, n. 5. — (12) *Psalm.* 44, n. 1. — (13) *Psalm.* 109, n. 3. — (14) *Psalm.* 2, n. 7.

Melchisedech et de Abrahamo locutum.

Psalmo Messiae affingendo; quia de eo non loquitur, sed de Abrahamo, nec ille a Davide fuit sed a Melchisedech concinnatus. Hic tumens praedictorum indignitate Patriarcha: Salomon, inquit, somnia somniis, deliria deliriis et pugnantia pugnantibus attexis; et ad christianos audientes conversus: Duos vestrae fidei articulos uno iactu perfidus hic veterator labefactat, suadere volens Psalmum illum a Davide non esse compositum, nec ad Messiam, sive Christum pertinere. Utrumque vero telum fortissimas fidei munitiones demolitur. Illius enim coementum divus Petrus in solemni die Pentecostes Ierosolymae ad universam Iudaeorum multitudinem, a quibus statim argui posset, dixit, *Hunc Iesum resuscitavit Deus, cuius omnes nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus et promissione Spiritus Sancti accepta a Patre effudit hunc quem vos videtis et auditis. Non enim David ascendit in coelum,* dixit autem ipse: *Dixit Dominus Domino meo. sede a dextris meis* (1). Cernitis ergo Psalmum illum a Davide nexum, et in eo de Christo sive Messia locutum. Luculentius adhuc testimonium ab ipso Christo prolatum auditote. Pharisaeos idem in plena ipsorum congregatione aliquando interrogavit: *Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum dicens: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat respondere verbum neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare* (2). Tu quoque, Salomon, cum tuis doctoribus obmutesce, nec audeas in posterum rabbinicas *ineptias effutire. Eiusdem Psalmi f. 113.
inscriptio, quae est: *Psalmus David,* os tibi obstruat et confundat.

Totum psalterium a Davide compositum.

9. Mancum illud est, inquit Salomon, petitum a Psalmi inscriptione argumentum. Non enim omnes Psalmi a Davide conscripti; quod probant plurimorum inscriptiones qui in fronte diversorum auctorum, a quibus videntur editi, nomina praeferunt. *Pro Idithum, Filiis Core, Asaph, filiorum Ionadab, Ieremiae, Ezechielis, Zachariae et Aggaei.* Aliqui etiam videntur ab aliis auctoribus compositi et eiusdem Davidis auspiciis dicati, ut illae testantur inscriptiones: *Ipsi David,* vel *Psalmus ipsi David.* En Salomon, inquit Patriarcha, tertiam fidei basim in concilio Tridentino (3) firmatam amolitur, in quo inter canonicas Scripturas Psalterium Davidicum centum quinquaginta psalmorum

(1) *Act.*, 2, n. 34. — (2) *Matth.*, 22, n. 42. — (3) Conc. Trid. sess. 4. *De canon. Script.*

computatur. Visuntur quidem in eo illae inscriptiones, quas Salomon percurrit, sed pedem ad eas infeliciter impegit, credens illos psalmos ab aliis vatibus editos et Davidi dedicatos. Illos enim ipse compegit, sed iis cantoribus modulandos tradidit, quorum nomina titulis affiguntur, ut Idithum, Asaph, filiis Core et prophetico spiritu, Ieremiae, Ezechieli, Zachariae et Aggaeo. Quibus, Deo praemonente, cantiones illas anticipavit, ut, cum postea in captivitatem ducerentur, vel ad templum instaurandum mitterentur, paratas haberent naenias ad plangendum, vel laetiores modulos ad tripudiandum. Cum vero David ipse, non minus vocis suavitate, quam citharae pulsandae dexteritate praestaret, sibi quoque Psalmos illos cantandos assumebat, quibus addita inscriptio: *Ipsi David.* Quamquam idem titulus innuat, Psalmos illos, non ab ipso, sed a Deo, ut auctore praecipuo contextos et eidem inspiratos, cuius ipsius *lingua* tantum erat *calamus scribae velociter scribentis* (1); et in libris Regum: *Spiritus Domini locutus est per me et sermo eius per linguam meam* (2). Si autem David Psalmum illum non contexuit nec ipse de Messia est intelligendus, ad quem illius verba referenda? Et illa in primis: *Dixit Dominus Domino meo?*

Abrahamus Melchisedech regis et sacerdotis Dominus dici non potest.

10. Ad Abrahamum, inquit Salomon. Si Melchisedech (ait Patriarcha) illius Psalmi auctor est, quo iure Abrahamus illius dominus?
f.113,v. *Nam Melchisedech in Genesi dicitur Rex Salem et sacerdos Dei altissimi (3). Quibus duobus titulis summam habebat ab Abrahami, hominis exotici ac peregrini, servitute immunitatem, quocirca minus ii vestrorum a veritate discesserunt, qui dixere apud Galatinum (4), Psalmum illum a Davide quidem editum, sed in laudem Abrahami, et ab eo dominum, in exhibitionem paternae reverentiae, vocatum; sicut et Sara dominum eumdem appellavit: *Et dominus meus vetulus est* (5). Quidquid tamen sit de eo, quomodo sequentia verba: *Sede a dextris meis*, quadrant in Abrahamum? Nam sedere auctoritatis est, ad dexteram, summae aequalitatis. Abrahamus autem in clarissima illa visione, qua Deum est intuitus in ipso fervore diei, semper eius se servum nominat. *Ne transeas servum tuum. Declinastis ad servum vestrum. Invenit servus tuus gratiam* (6). Et multo post, Deus illum eodem nomine nobilitat: *Multiplicabo semen tuum propter Abraham servum meum* (7). Nec umquam coram Deo sedisse, sed

(1) *Psalm.* 44, n. 2. — (2) 2 *Reg.*, 23, n. 2. — (3) *Genes.*, 14, n. 18. — (4) *Galat.*, l. 8, cap. 24. — (5) *Genes.*, 18, n. 12. — (6) *Genes.*, 18, n. 3 et 5. — (7) *Genes.*, 19, n. 19.

semper legitur stetisse; nam in eadem visione: *Ipse vero stabat iuxta eos sub arbore*; et infra: *Abraham autem adhuc stabat coram Domino* (1). Quando igitur, aut quomodo ei dictum: *Sede a dextris meis?* Quomodo illud eidem competit: *Ex utero ante luciferum* (ubi nunc tuam lectionem admitto, coram vel e regione vel ante faciem aurorae) *genui te*. Ille enim solus dici potest genitus coram, vel e regione, vel ante faciem aurorae, et in splendoribus sanctorum, cuius in ipsa nativitate tanta est sanctitatis plenitudo, ut cum aurora et sole possit contendere et ipsos obscurare. At Abrahamus genitus est in obscurissima infedelitatis nocte, cum probabilius sit, Thare ipsius patrem et alios maiores idolorum cultui deditos fuisse, ut illa Iosue verba pandunt: *Trans fluvium habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham et Nachor, et servierunt diis alienis* (2). Quomodo nativitas adeo tenebrosa luciferum et auroram potuerit in certamen provocare?

Melchisedech sacerdotium ab ipso in Abrahamum iudaeus translatum ait, quod Deo non benedixerit.

11. Iam illud: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech:* quibus throcleis potest in Abrahamum contorqueri? Nullis opus est machinamentis (respondit Salomon), uno id verbo nostri magistri *moliuntur. Gravissime Deum Melchisedech offendit, f. 114
cum, Abrahamo revertenti a caede Regum obviam egressus, ei benedictionem impertiit et non ipsi Deo. Quam ob causam Deus excandescens, eumdem sacerdotio privavit illudque transtulit in Abrahamum illiusque posteros Aaronem, Eleazarum et coeteros eorum nepotes, per quos idem Abrahamus sacerdotio fungebatur et dictus est *sacerdos secundum ordinem Melchisedech*.

Non peccavit Melchisedech in pane et vino Abrahae offerendo.

12. Bone Deus (ait Patriarcha), in quot foveas et abrupta te cum tuis magistris proruisti? Quot emisisti verba, tot tibi atque illis hiatus et praecipitia excidisti. In quo peccavit Melchisedech? Quod Abrahae a bello regredienti cum pane ac vino occurrit? Scimus aeternum bellum Deo ab Amalecitis indictum et Ammonitas atque Moabitas ab illius ecclesia ultra decimam generationem exclusos, quod suo populo, cum ex Aegypto esset egressus, in via *cum pane et aqua non occurrerint* (3). Cinaeos vero eisdem permixtos, post annos quater centum, Saulis tempore, ab occisione liberatos, quod tunc in eum misericordia usi fuerint (4). Qui ergo dici postest Melchisedech eiusdem beneficentiae in Abrahamum exhibitorem, ob illam a Dei sacerdotio exauguratum?

(1) *Genes.*, 18, n. 8, 22. — (2) *Ios.*, 24, n. 2. — (3) *Deuter.*, 23, n. 3, 4. — (4) 1 *Reg.*, 15, n. 6.

Num in decimis ab eo accipiendis? Hae tunc sacerdotibus iure naturae et divino, mortalium animis impresso, debebantur. Nec illas Melchisedech extorsit, aut saltem poposcit, sed voluntarie ab Abrahamo oblatas non repudiavit. Quomodo ergo Deus iure suo utentem adeo ignominose exauctoraret? Num, quia Deo non benedixit, ut tu cum rabida magistrorum tuorum schola oblatrasti? Verbi benedicendi duplex est significatus. Aliquando enim idem est quod Deum in gratiarum actionem collaudare, ut in trium puerorum Cantico: *Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in saecula* (1). In quo sensu inferius ultra tricies in totidem versibus idem verbum repetitur. Falsum vero est Melchisedech, in hoc significatu Deo non benedixisse, ut constat ex illius verbis: *Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit coelum et terram; et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt* (2).

Confutatur Iudaei dictum quoad benedictionem.

Quid minus habet haec laudatio quam illa trium puerorum? Imo aliquid amplius: illi enim tantum dixere: *Benedictus es in firma-*

f.114,v. *mento coeli* (3). Melchisedech terrae *creationem Abrahami victoriae adiunxit et Deum cum gratiarum actione invocavit. Aliquando benedicere significat benedictionem alicui impendere. Quam si Melchisedech Deo largiretur, ingenti se piaculo contaminaret. Egregie enim dixit in re praesenti sanguis tuus, et ut ipse ait *Hebraeus ex Hebraeis* (4) divus Paulus, ut probaret Melchisedech maiorem fuisse Abrahamo, quem benedictione donaverat. *Sine ulla autem contradictione, quod minus est a meliore benedicitur* (5). Nam parentum in filios, seniorum in adolescentiores et sacerdotum in profanos haec est praerogativa. Si ergo Melchisedech in hoc sensu Deo benedicere tentaret, non ei laudis et benedictionis, sed opprobrii et insaniae poculum propinaret.

13. Quale vero illud Salomon, quod extulisti, Abrahamum per nepotes suos Aaronem, Eleazarum et coeteros posteros, sacerdotium exercuisse, et ideo dictum sacerdotem in aeternum? Erant illi tunc quidem in lumbis Abrahae, sed non ideo ipse dici posset sacerdos, sicut neque Rex, cum in eisdem tunc Davidem et alios Reges haberet, et ab eodem essent egressuri; quibus terminis Scriptura utitur in tribus testimoniis supra n. 6 productis. Nec Iesse, qui propior erat Davidi, rex umquam est appellatus. Commentitium ergo illud est Abrahae sacerdotium. Nec si non esset, aeternum dici posset, ut

Abrahamus sacerdos dici non poterat ob posteros sacerdotes, nec sacerdotium ipsius aeternum.

(1) *Dan.*, 3, n. 57. — (2) *Genes.*, 14, n. 19. — (3) *Dan.*, 3, n. 55. — (4) *Philipp.*, 3, n. 5. — (5) *Hebr.*, 7, n. 7.

neque Aaronicum, quod Babylonicae captivitatis tempore cessavit, ut Daniel testatur. *Non est in tempore hoc princeps et dux et propheta, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum.* Licet autem temporaria tunc fuerit illa Aaronici sacerdotii cessatio post, urbis et templi a Tito et Vespasiano eversionem penitus fuit extinctum, *et civitatem et Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo,* inquit idem Daniel, *et deficiet hostia et sacrificium* (1). Cum enim, ex Deuteronomii sanctione sacrificia in templo tantum nec alio loco offerri possent (2), eo funditus destructo, planum est sacerdotium occidisse. Praeterea illud sacerdotium non fuit secundum ordinem Melchisedech, quia iste nihil cruentum obtulit, sed panem tantum et vinum (3), illius autem ministri quotidie duos agnos caedebant, aliis diebus plures et in Paschate ingentes hecatombas, ut vester Iosephus tradit (4). Con*cludendum f. 115. igitur Psalmum illum a Davide compositum, sed illius mysteria, nec in Abrahamum vel ipsum Davidem aut purum quemvis hominem, sed in solum Messiam, Deum simul atque hominem competere, cuius ob naturae divinae aeternitatem sempiternum est sacerdotium; non animalium caede sanguinarium, sed munda panis et vini oblatione iucundum. De quo Malachias: *In omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda* (5).

Prio a retractans, Iudaeus in novos errores provolvitur.

14. Me Patriarchae verba impellunt, inquit Salomon, ut quae prius dixeram retractem et Psalmum illum non iam a Davide neque a Melchisedech in Abrahae gratiam, sed de privatis suis laudibus compactum asseverem. Pessimus hic est, non Patriarchae (ait ille), sed tuae mentis ac gentis impulsus et vertigo, ut eodem loco stare nesciatis, sed in errorum circuitu ambuletis et ab aliis ad alios volubiles semper a veritatis centro divertatis. Ut Psalmus ille ad nullum purum hominem adaptari potest, sic neque ad Melchisedech; si enim idem ipse iam sacerdos erat Dei Altissimi, quomodo ad illius ordinem seu archetypum formatur: cum quod tale est, alio non indigeat ut tale reddatur? Quomodo de ipsius laudibus est editus, si sacerdotium ab eo, ut docuisti, ob ingrati animi poenam est ademptum? Ab his nugamentis et aliis similibus tibi, Salomon, temperato, ne in tuum caput hae fabulae vertantur. His dictis, in suam domum ille est regressus, et cuncti Patriarchae argumentationibus applauserunt.

(1) *Dan.*, 3, n. 33, et cap. 9, n. 26 et 27. – (2) *Deut.*, 12, n. 13. — (3) *Num.*, 28, n. 3. — (4) Ioseph, lib. 7 *De bello iudai.*, cap. 25. — (5) *Malach.*, 1, n. 11.

CAPUT XIII.

Altera Patriarchae disputatio cum eodem Iudaeo de integritate sanctissimae Dei genitricis Mariae.

1. Praefracta perversitas, qualis est iudaica, cautionem sibi adhibere solet, sed non correctionem, et tanto perniciosius grassatur, quanto et occultius. Domum suam se collegit Salomon, illique sed non linguae pessulum obdidit. Nam horis pomeridianis ad eum abiit e domo imperatoria adolescens, ex eorum grege, qui ipsius venenum hauriebant, ad cuius ingressum fores ille praeclusit cane forinsecus in custodiam adhibito, sed unus, qui matutinae disputationi f.115,v. interfuerat, fucum subodoratus, explora*tor accessit, cui canis, quam hero fidelior, obmutuit. Aurem ille admovens, cum castrorum parietes plerumque arundinum, ex quibus compinguntur, addito luti coagulo, crassitiem non superent, omnia liquido percepit et quatuor vel quinque presbyteros testes accivit. Hi Iudaeum audierunt omnia, quae sibi cum Patriarcha accidissent, denarrantem et libros aliquot hebraeos in eorum confutationem indicantem. Cui adolescens: Quid ad te de Patriarcha? Si tibi praeceperit ut baptismo initieris, vel communione muniaris, nullo pacto ei obsecundes. Ad quae verba testes ostium signarunt, et Iudaeum manibus librum expansum tenentem oppresserunt et ab illo extorserunt. Mox iudice, iuxta solemnem gentis ritum, assumpto, ambos perfidiae in Deum et Imperatorem et pervicaciae in Patriarcham accusarunt, et uterque morti fuit adiudicatus reservata ad Patriarcham appellatione.

Iudaeus ab aliis pervertendis non cessat.

Libri iudaici et decem mancipia apud eum deprehensa.

2. Liber et adolescens ad Patriarcham sunt deducti qui, sententiae asperitatem emolliens, mortem verberibus, statim ad aulae fores scutica inflictis, commutavit; librumque evolvens in Rabinorum Isaac et Salomonis commentaria incurrit. Tunc iudicibus edixit ut omnes Iudaei libros ad se inveherent. Saepe tamen accidit, ut fortuito quaedam occurrant, quorum inventio maioris esset emenda. Tenebantur in Iudaei domo, inter pueros ac puellas, decem mancipiorum capita, partim Christo iam consecrata, partim illi nomen dare anhelantia, quae magnis clamoribus sunt conquesta, invita se ab eo homine detineri ut Turcis et aliis Mahometanis ad suarum animarum pernitiem distrahantur, aut iudaicis ritibus polluantur. Est enim pessima haec Abassinorum negotiatio (in qua evellenda plus laboris posuimus, quam viderimus emolumenti) ut capta bello servitia, vel etiam quosvis ingenuos furto subreptos, ad pannos indicos et tapetia coemenda infidelibus divendant; et tanto ardentius, quanto haec mancipia ab illis vilius parantur, et carius a Mahometanis aestimantur. Nihil enim tanti faciunt ac servilia Abassinorum ministeria. Ingenti librorum sarcina domi retenta, mancipia tuto loco sunt deposita et Iudaeus vinculis mancipatus donec de re consilium iniretur. De qua Imperatorem extra castra tunc degentem Patriarcha admonuit, ostendens ex sacrorum canonum decretis, nefas esse liberae filios ancillae liberis et christianos, aut eos qui christiani esse vellent, Iudaeis *servire; sed eo ipso, quo se christianae fidei f. 116.
dederent, nullo pretio reddito, ab eorum potestate avellendos; sed quia id insolens esset Abassinorum auribus, se permissurum ut christianis heris iusta aestimatione addicantur.

Ad iudicium trahitur ante Patriarcham.

3. Post biduum, rebus ordinatim praeparatis, Umbares et Azages, qui sunt maiorum tribunalium iudices et palatii senatores, ad Patriarchae aulam convocati, quos consecuta fuit infinita curialium multitudo; antequam Iudeus dextera catenatus et mancipia perducta, lignorum etiam strues in atrio ante domus fores incensa ad libros concremandos, in quam saepe miser oculos convertebat, in sui combustionem parari arbitratus. Paucis tunc praefatus est Patriarcha de damno quod ille doctrinae suae veneno intulerat, de culpae admissae et promeritae poenae gravitate, ob quam ex ecclesiasticarum legum censura, saeculari brachio tradendus esset et ex praescripto imperialium, quarum ipse in imperiali urbe natus, ignoratione praetendere non posset, bonis omnibus publicatis, igne consumendus. Se tamen ignis poenam modo nolle ultra librorum congeriem extendere,

nec in omnes sed tantum in eos, qui Rabbinorum nugas et blasphemias continerent, Scripturae Sacrae codicibus illibate reservatis. Quos ipsi gratiae apponendum, quod in Aethiopiam christianorum scriniarius intulisset, ut ex eorum et Romanorum collatione appareret, latinos codices ab hebraicis fontibus non dissidere et Rabbinorum, atque adeo ipsius Salomonis nugamenta ad primitivae veritatis lucem examinata dignoscerentur, ut dignosci poterant quae ipse nudiustertius fuderat de Psalmo centesimo nono, non a Davide sed a Melchisedech in Abrahami laudem composito, cum duo ibi Psalterii exemplaria haberet, in quibus illi Psalmo is titulus praefixus: *Le David mismor,* Psalmus Davidis seu Davidi, quae omnia minutatim explicavit, lecto hebraice Psalmo, et in lusitanum, et mox in aethiopicum idiomata, converso. Cum vero ad eum versiculum pervenisset: *In splendoribus Sanctorum ex utero ante luciferum genui te* (1) subiecit, ea verba communiori interpretum expositione ad aeternam Messiae nativitatem mundo et angelis anteriorem referri, quos Deus insinuavit cum Iobo dixit: *Ubi eras, cum me laudarent simul astra matutina et iubilarent omnes filii Dei?* (2).
f.116,v. Posse ta*men admodum congrue adaptari beatissimae Dei genitrici Mariae perpetuum virgineo pudore rubenti et aeternum illud Dei filium eadem integritate parienti, qua aurora solem impollutis visceribus effundit.

Negat Iudaeus de Virgine intelligendum illum « Ecce virgo concipiet ».

4. Hic Tino senator, integerrimus noxarum in catholicam religionem delator, illud, inquit, obstinatissime Salomon, inficiatur. Saepius enim docentem audivi, Messiae matrem haudquaquam virginem futuram, nec de ea intelligendum illud Isaiae: *Ecce virgo concipiet et pariet filium* (3). Eum Patriarcha rogavit an vera esset criminatio; ille perfricta fronte affirmavit. Tunc visum est Patriarchae ob blasphemiae atrocitatem et audientium multitudinem, purissimae Virginis causam tueri, et publice inpurissimi hominis audentiam contundere. Haec tamen, ait, non ad vos o christiani, sed ad Salomonem et coeteros ipsius tribules. Vobis enim unus hic est ex potissimis fidei articulis a Matthaeo et Luca in suorum evangeliorum limine promulgatus: *Hoc autem totum factum est,* inquiunt, *ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium et vocabunt nomen eius Emmanuel* (4). Idest virgo erit in conceptu, virgo in partu. Salomoni

(1) *Psalm.* 109, n. 3. — (1) *Iob.*, 38, n. 7. — (3) *Isai.*, 7, n. 14. — (4) *Matth.*, 1, n. 23; *Luc.*, 1, n. 31.

autem et reliquis Iudaeis confundendis sufficit proprium hebraeae linguae idioma, in qua nomen *Alma*, quod eo loco visitur, significat, non simpliciter virginem, sed virginem absconditam et occlusam, quia, salvo integritatis suae signaculo, Deum erat conceptura, et editura, cum bis esset in Canticis Canticorum *hortus conclusus* (1), ante partum, scilicet, et post partum, *et fons signatus*, et in Numeris *petra* (2), quae ob idem mysterium bis percussa, aquam absque scissura emisit, et *porta orientalis*, de qua apud Ezechielem: *Porta haec clausa erit et non aperietur, et vir non transibit per eam. Et erit clausa principi* (3).

Vera interpretatio nominis « Alma ».

5. Ogganiit Iudaeus, duplex Hebraeis esse nomen, quod virginem significet: *Betulâ* et *Alma*, sed *Betulâ* esse virginem plenis iam annis nubilem, *Alma* vero virginem adhuc viro immaturam, et plus minusve septennem. Prospiciens autem Patriarcha quo tenderet, respondit, mutilam esse ipsius partitionem, nec Hebraeis duplex esse nomen ad virginem innuendam, sed triplex: *Naarâ, Betulâ* et *Alma*. *Naarâ* *vero proprie nomen esse aetatis, ut apud nos f. 117. adolescentula, sive illa virgo, sive polluta. *Betulâ*, et aetatis et virginitatis, ita ut *Betulâ* dicatur quaevis puella sive adolescentula, dummodo virgo sit, quamvis non multum cauta nec arcani curatrix. Tertium nomen ultra floridam aetatem et virginitatem exigere, ut virgo sive nuptiis habilis, sive immatura, sit publici fugitans et amica secessus.

Rebecca nubilis erat et « Alma » cum desponsata fuit.

6. Sin minus, ore dicas, Salomon an cum Abrahamus servum seniorem domus suae uxorem filio suo Isaac, annos quadraginta tunc agenti, quaesitum misit, voluerit ut puellam aliquam thoro inhabilem, an iuvenculam viri iam potentem adduceret, et an Rebecca, quae tunc allata est, esset *Alma* an *Betulâ?* (4). *Betulâ*, inquit Salomon, in ipso viridissimo aetatis flore; non inepta rei uxoriae puella (5). Veritatis scopum, ait Patriarcha, quod attinet ad priorem partem, Sacra Scriptura tibi adstipulante, tetigisti, quae de Rebecca a servo illo Abrahami inventa sic loquitur: *Puella decora nimis, virgoque pulcherrima* (hebraice *Betulâ Tobat*) *et incognita viro* (6). En erat *Betulâ*, sed maris simul nesciens; quod ei laudi non verteretur, si cognosci non potuisset. Alia quoque pandunt, eam tunc non molliculam aliquam, sed vegetam iuvenculam fuisse; nam aquae hydriam scapula baiulabat, ab humero in ulnam transtulit, aquam

(1) *Cant.*, 4, n. 12. — (2) *Num.*, 20, n. 11. — (3) *Ezech.*, 44, n. 1, 2. — (4) *Genes.*, 24, n. 2. — (5) *Genes.*, 25, n. 20. — (6) *Genes.*, 24, n. 16.

a puteo extraxit, cunctos hospitis camelos adaquavit. Et se vel in faenisecam ad eos pabulo recreandos offerebat. Sed illud adhuc, velim explices: An tunc Rebecca ita fuerit *Betulâ* ut *Alma* non esset? Dixi semel, inquit Salomon, quid iterum Patriarcha vult audire? Non minus haec pugnant inter se, quam infantia, iuventus et senectus ut sicut infans, simul iuvenis. et senex esse non potest, nec iuvenis infans et senex, nec senex iuvenis et infans sic neque *Alma, Betulâ,* nec *Betulâ, Alma.* Pedibus et manibus, ait Patriarcha, te in casses iniecisti. Si Rebecca tunc temporis iam *Alma* non erat, sed tantum *Betulâ,* mendax est Scriptura, quae eodem Genesis capite dicit: *Ecce ego sto iuxta fontem aquae et virgo* (hebraice *Alma*) *quae egredietur ad hauriendam aquam* (1). En Rebeccam *Betulâ* propter aetatem, et simul *Alma* propter absconditam et obsignatam virginitatem. Cum enim in itinere ex improviso in Isaaci oculos
f.117,v. incidisset **camelo exscendit, et tollens cito pallium, se operuit, minus decoris solicita quam pudoris* (2). Unde infertur, Isaiam eo loco minime de immatura aliqua puella, sed de iuvencula despondendo apta, vel desponsata, sed intra penetrales focos abdita, et voti munimento septa, locutum.

Virgo quae ab Isaia « Alma » dicitur, nec septennis erat, nec ab Achaz cognita.

7. Non ita, domine Patriarcha, ait Salomon, sed de puella septenni locutus est, ex qua Achaz, post istud Isaiae vaticinium, filium edidit, cui nomen imposuit Emmanuelis. Miraculi vero magnitudo in eo eluxit, quod tantulae aetatis puella filium sit enixa. Miraculum, o Salomon, quod vates eo loco pollicetur (3), (inquit Patriarcha) tantum est ut Deum praedicet illius patratorem. *Propter hoc dabit Dominus ipse nobis signum. Signum autem a Deo, nisi monstrosa aliqua novitas esset, signum non videretur* (4), dixit quidam ex nostris. Quae autem monstrosa novitas esset, si puella septennis gravidaretur et partu ditaretur? Miraculo id tantum deputandum, quod naturae potentiam exsuperat, et sola divina geri potest. Natura vero etiam in minori aetate partum non abnuit. Narrat enim divus Gregorius Magnus, puellam trimam vel quadrimam, cui pater ad genua blandiebatur, non infantilis claustri violatione, sed seminis attractione, concepisse et peperisse (5). Quid ergo mirum, si quod natura minori aevo tribuit, Deus maiori concederet? Nec nominis *Alma* significatus ad septennium vel aetatem aliam ipsi finitimam restringitur, sed ad maiorem, modo adsit virginitas, extenditur. Nam prae-

(1) *Genes.*, 24, n. 13. – (2) *Genes.*, 24, n. 65; Divus Ambros. — (3) *Isai.*, 7, 14. — (4) Tertull., *Lib. contr. Iudaeos*, cap. 9. — (5) D. Gregor. Magn. in *Dialog.*

ter Rebeccam nubilem, etiam Maria Moysis soror, eo tanto senior, ut cum ipse vagiens ad Nili oram in fiscella esset expositus, rei finem exploraret, filiae Pharaonis se obtulerit ad vocandam foeminam, quae ipsum nutricaretur, matrem suam perduxerit, et domum cum infantulo sit comitata (quae omnia ita simulate et callide, puella septennis exequi non posset) eo Scripturae loco *Alma* nuncupatur. *Perrexit puella* (hebraice *Alma*) *et vocavit matrem suam* (1). Hebraeorum etiam iuvenculae quae eamdem Mariam cum tympanis et sistris per mare Rubrum sunt consecutae, licet in Exodo ratione sexus dicantur mulieres, a Davide propter absconsionem et integritatem vocantur *Alamot*, quod est plurale ab *Alma* (2). Sic enim hebraice habetur, ubi textus *latinus ait: *Praevenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuvencularum,* sive virginum, *tympanistriarum* (3). f. 118. Ut quemadmodum *Alma*, id est virgo (nempe Maria Moysis soror, iam tunc multo maior octogenaria), *Hebraeorum per mare duxit exercitum*, quod notat divus Ambrosius, sic eam plures aliae virgines tripudiantes sequerentur (4).

Non regi Achaz, sed domui David hoc signum datur.

8. Unde tamen colligis, o Salomon, Isaiae vaticinationem, de signo a Deo edendo, implendam in filio ex Achaz et puella septenni nascituro, cum non propria utriusque nomina, sed solum appellativum, atque insertum matris, quod est *Alma,* proponatur? Isaias, inquit ille, cum Achaz colloquebatur: quem ergo, nisi ipsius filium insinuaret? Cui Patriarcha: Ineptam, o Salomon, consecutionem et certissimam propheticae consuetudinis ignorationem! Falsum quoque assumis, cum ais, Isaiam in huius signi propositione cum impio Rege locutum. Locutus quidem fuerat, cum dixit: *Pete tibi signum a Domino Deo tuo* (5); sed cum ipse, ne, si peteret, eo exhibito confunderetur et Dei gloria augeretur, dixisset: *Non petam et non tentabo Dominum,* vates, iusta indignatione percitus, eo neglecto, se ad cives Ierosolymitanos convertit: *Audite ergo domus David. Propter hoc dabit Dominus ipse vobis* (non Regi) *signum. Ecce Virgo concipiet et pariet filium* (6). Esto autem Isaias cum Rege loqueretur, nescis, solemnem esse prophetarum morem celeri mentis a Deo incitatae agitatione, a praesentibus ad futura abrupte et sine ulla connexione transvolare, et sumpta inde occasione, Messiae potissimum mysteria explicare? Qui totus est Scripturae scopus

(1) *Exod.*, 2, n. 8. — (2) *Exod.*, 15, 20. — (3) *Psalm.* 67, n. 26. — (4) Divus Ambros., epist. 81, al. 7, *Ad Siricium papam.* — (5) *Isai.*, 7, n. 11. — (6) *Isai.*, 7, n. 13, 14.

ut idem testatur: *In capite libri scriptum est de me* (1). Libri enim caput mens est et intentio Scripturae, quae a prima usque ad imam ceram in Messiam collineavit etiam cum alia ex instituto pertractasse videretur. Et ne ab eodem Isaia discedamus, cap. 15, ab excidio Moab ad Ruth Moabitidem et Messiam eiusdem nepotem cum suspirio exclamat: *Emitte Agnum Domine, dominatorem terrae de petra deserti ad montem filiae Sion* (2). Mox eo unde egressa est Prophetae oratio revertitur cap. 45 a Cyri victoriis et libertate Iudaeis ab eo impertienda ad communem orbis vindicem transcurrit illis verbis: *Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustum: aperiatur terra et germinet Salvatorem* (3). Sic Iacob, cum Antichristum ex
f.118,v. tribu Dan *orituram praevideret ad illius contritorem suspirans, ait: *Salutare tuum expectabo, Domine* (4). Similiter hoc loco Isaias ab iniqui Regis perfidia, summi beneficii et miraculi a Deo patrandi occasionem abrupte aucupatur,

Promissiones de Salomone factae in solo Messia plene implentur.

9. Qui hoc fieri posset? ait Salomon, id enim esset futura praesentibus involvere, et massam massa conturbare. Imo, ait Patriarcha, hoc tantum modo in sacris libris plura implexa dissolvuntur et agglomerata extricantur. Et ut in Davidis domo cum eodem Isaia maneamus, ei Deus dixit, cum de Salomone sermo incidisset: *Ego ero in patrem, et ipse erit mihi in filium, firmaboque solium regni eius super Israel in aeternum* (5). Verum neque prima huius promissionis pars de Dei filiatione, neque secunda de regni firmitate et aeternitate quadrare potest in Salomonem. Quia Salomon naturalis Dei filius non fuit, sed Davidis et Bersabaeae. Si autem locus sit intelligendus de spirituali filiatione per gratiam, illa quidem in Salomone aliquando viguit, sed nec aeterna, nec diuturna, quia cessavit ab eo tempore, quo se idolorum cultui mancipavit, in quo putatur decessisse. Similiter illius regnum firmum, et aeternum non fuit; non firmum quia tempore filii ipsius Roboami decem tribus ab eo divulsae ad Ieroboamum, et Samariae Reges transierunt (6), non aeternum, quia iuxta Iacobi morientis praedictionem, Herodis tempore defecit, cum natus est Christus Dominus, verus Messias, in cuius spirituali dominatu regnum Davidicum nactum est aeternitatem. De quo David ipse in Psalmo 71, in ipso primordio ait: *Deus, iudicium tuum Regi da, et iustitiam tuam filio Regis* (7).

(1) *Psalm.* 39, n. 8. — (2) *Isai.*, 15, n. 1. — (3) *Isai.*, 45, n. 9. — (4) *Genes.*, 49, n. 14. — (5) 2 *Reg.*, 7, n. 14 et 1 *Paralip.*, 22, n. 10. — (6) *Genes.*, 49, n. 10. — (7) *Psalm.* 71, n. 1

Hunc vero titulum Psalmus praefert: *In Salomonem.* Omnes tamen Hebraeorum doctores hanc illi expositionem subiiciunt. *Hic est Rex Messias, de quo apud Isaiam. Egredietur virga, sive sceptrum, de radice Iesse* (1). Et quamvis Rabbi Salomon totum hunc Psalmum a Messia detorqueat, et de uno Salomonis regno conetur exponere (qua de causa et ab alias, eius scripta ante biduum hic flammis corrigenda commisi) ad calcem fatetur, omnes suos magistros bonae memoriae illum de Messia explanasse (2). Quibus ipse se volens nolens annumerat, dicens in glossa ad illa verba Numerorum: *Consurget virga,* sive sceptrum, *ex Israel* (3), sceptrum illud esse Messiae, de quo in Psalmo 71: *Et dominabitur a mari usque ad mare* (4). *Ergo licet Psalmus ille Salomonem in titulo indicet, quae in eo f. 119.
continentur (quin et ipse titulus) pertinent ad Messiam. Similiter etsi Isaias eo loco coram impio Achaz, et Ierosolymitis civibus sermonem texeret, non in eis sistebat, sed totas suas cogitationes in Messiam porrigebat. Ideo proximae ille propethiae haec verba praemisit: *Nisi credideritis, non permanebitis* (5). LXX interpretes ex vestro genere: *Non intelligetis.* Haec enim praedictio non mente, et oculis sed sola fide est intelligenda, et Andabatarium more in tenebris digladiabitur, qui illam caligini temporum Achaz accommodare volens a Messia et ipsius Matre deflexerit.

Filius, quem regi Achaz Rabbini tribuunt, Ierosolymae obsessae emolumento esse non posset.

Ne igitur sollicitus sis, Salomon, de commentitio Emmanuele Achaz et septennis puellae filio, quem Ierosolima nec vidit, nec, si videret, illi esse posset alicui emolumento. Incredibili, inquit Salomon, nostro generi fuit utilitati. Hic enim Emmanuel Regi ex *Alma* natus, patrem suum et patriam a duobus illis hostibus, Rasin rege Syriae et Phacee rege Samariae liberavit, nec tantum liberavit, sed eosdem devicit et detruncavit. O factum bene si ita factum (inquit Patriarcha), sed a te dictum pessime et extra omnes veritatis cancellos. Illo tamen dictum suum semel et iterum pertinaciter confirmante, Patriarcha omnes, qui aderant, testes laudavit et senatori Danieli, qui in libris evolvendis apprime versatilis erat, edixit, ut in suo aethiopico, appositis signis, in promptu haberet caput septimum Isaiae, decimum sextum libri quarti Regum, et vigesimum octavum secundi Paralipomenon, quibus immanis illa Salomonis falsitas luce clarius arguebatur, idemque Iudaeus praestaret in hebraicis voluminibus. Lecto igitur septimo Isaiae capite, planum ex eodem

(1) *Isai.*, 11, n. 1, Rabbi Salomon. — (2) *Galatin.*, lib. 10, cap. 4. — (3) *Num.*, 24, n. 17. — (4) *Psalm.* 71, n. 8. — (5) *Isai.*, 7, n. 9.

evasit, hanc prophetiam ante obsidionem Ierosolymae a duobus Siriae et Samariae regibus circumductam, cum iam ab ipsis conspirantibus parabatur, ab Isaia pervulgatam; cum nempe n. 2: *Nuntiatum est domui David* (1), duos illos Reges eidem consilio ipsam perdendi acquievisse. Quod n. 6 illis verbis proponitur: *Ascendamus ad Iudam et suscitemus eum et avellamus ad nos* (2). Tunc enim Rex immunis adhuc obsidii, n. 3, ad extremum aquaeductus viae superioris in via Agri fullonis Prophetae occurrit (3), qui excursus, urbe in gyrum circumvallata effici non posset. Anno igitur secundo Achaz posita est
f.119,v. haec obsidio, cum iam primo Rex Assyriorum, ut traditur lib. 2, *Paralip. cap. 28, n. 20, *ipsum afflixisset et nullo resistente vastasset* (4). Quod regibus illis ipsum evellendi et ad se transferendi spem iniecit. Quamvis autem hic in Isaia (5) et in 4 Regum libro dicatur, Ierosolymam obsessione cinctam ab illis hostibus non potuisse debellari, hoc beneficium illi conferri non potuit a tuo Emmanuele qui nondum conceptus erat sed post longa novem mensium fastidia (quando ocissime) in lucem emittendus. Quas tam infirma aetate copias ducere posset? Quas debellare? Dic potius, cum, mox ubi natus est, linea instita vice galeae, fascia pro thorace, et crepitacillo pro gladio munitum, similes, sui infantulos, butyro et melle stipendiatos (ut quidam extulit) (6) in aciem contra illos hostes, seu potius contra grues aut culices, ut Pygmaeorum ducem, aut gigantum fraterculum produxisse.

Emmanuelis regii auspiciis, non viribus, victoriam Iudaeus adscribit.

11. Hic Salomon pedem tantulum retraxit, subiiciens, nequaquam sui esse animi affirmare, suum illum Emmanuelem duos illos Reges, collatis cum iisdem vexillis, superasse; sed eo nato, regi Achaz ipsius parenti in faustum auspicium tanti nominis, quod est: *Nobiscum Deus,* Deum in omnibus faventem adfuisse, illiusque auxilio hostes illos feliciter subiugasse et internecioni dedisse. Unde aliud nomen ipsi impositum: *Accelera spolia detrahere; Festina praedari.* Tunc Patriarcha: In quatuor laqueos inextricabiles, ait, Salomon, tuum collum induisti. Primum, quod asseveris, infantem, quem Regi Achaz *Alma* peperit, dictum Emmanuelem, et mox addas eumdem vocatum: *Accelera spolia detrahere, Festina praedari* (7). Hoc enim est partes confundere et quadrata rotundis commutare. Emmanuel enim (si litteram spectes) est Dei et *Almae* filius, et ideo *Nobiscum Deus.* Puer vero, cui aliud nomen a celeritate additum, filius Isaiae et Prophetissae, quam plerique ipsius uxorem censent. Inspice, o Da-

Emmanuel cap. 7 Isaiae et alius infans ex cap. 8 secundum litteram diversi.

(1) *Isai.*, 7, n. 2. — (2) Ibid., n. 6. - (3) Ibid., n. 3. — (4) *Paralip.*, 2, 28, n. 20. — (5) *Isai.*, 7, n. 1. — (6) Tertull., ubi supra. — (7) *Isai.*, 8, n. 3.

niel [*sic*] caput octavum Isaiae. Quamquam autem Emmanuel et *Accelera spolia detrahere,* pueri sint re et corpore et parentibus diversi: significatione et mysterio (quod iudaei repudiatis) sunt unus, et idem. Noster enim Emmanuel Almae Virginis eiusdemque Prophetissae filius est, quae nempe illud verissimum de se vaticinata est: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes* (1); ad quam Isaias non carne, sed spiritu, venerabundus accessit, qui communis*est f. 120. sensus, non tantum Ecclesiae doctorum, sed et vestrorum Rabbinorum, inter quos ille, quem dicitis Rebbenu Hakados, id est, Magistrum nostrum Sanctum, sic docet in libro, qui inscribitur *Gale razeya,* id est, Revelator arcanorum: *Haec prophetissa est mater Messiae, quem Deus sanctus et benedictus se missurum ad Israel pollicitus est. Ipsa est enim omnium prophetarum domina et magistra. Haec etiam est Alma illa de qua Isaias ait: Ecce Alma concipiet et pariet filium* (2). Vides ergo, Salomon, *Almam* et prophetissam re diversas, in unam mysterio coire; et Emmanuelem, ac prophetissae filium corporibus discretos, unum Messiam conflare. Quod ergo tui fatentur Magistri, tibi dedecorum et perniciosum est diffiteri.

Numquam Deus fuit cum Achaz.

12. Alter laqueus, quo te implicasti, est, quod dixeris, Deum a nato regi Achaz Emmanuele, eidem propitium adiutoremque fuisse, cum semper in eum fuerit ob ipsius flagitia implacatus et inexorabilis. Evolve, Daniel [*sic*], libri secundi Paralipomenon capitis vigesimi octavi numerum nonum, ubi eo regnante, Oded propheta ait: *Ecce iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra Iuda, tradidit eos in manibus vestris* (3). Transito ad n. 19: *Humiliaverat enim Dominus Iudam propter Achaz regem Iuda eo quod nudasset eum auxilio et contemptui habuisset Dominum* (4). Siste in n. 25: *In omnibus quoque urbibus Iuda extruxit aras ad cremandum thus, et ad iracundiam provocavit Dominum Deum patrum suorum* (5). Quomodo dicere audes Deum illi propitium fuisse, qui eidem iratus dicitur, ab eo ad iracundiam provocatus, et ipse divino penitus auxilio nudatus? Talis Dei favor nostros semper hostes consequatur. Non ut impio Achaz faveret, sed ob memoriam et merita Davidis, et ad confirmandam propheticae pollicitationis veritatem, Ierosolymam tunc Deus protexit, nec illam duo Reges coniurati debellare potuerunt.

Nullos hostes Achaz superavit, sed ab omnibus est superatus.

13. Tertius tui suspendii laqueus est, quod asseveris, regem Achaz, illo Dei fultum auxilio Rasin Syriae et Phacee Samariae

(1) *Luc.*, 1, n. 48. — (2) *Galatin.*, lib. 7, cap. 28. — (3) *2 Paralip.*, 28, n. 9. — (4) Ibid., n. 19. — (5) Ibid., n. 25.

reges ac coeteros hostes feliciter subiugasse. De Rasin rege Siriae perlege, Daniel [*sic*], numerum quintum eiusdem capitis 28 Paralip.: *Tradiditque eum,* id est Achaz, *Dominus Deus eius in manu Regis Syriàe qui percussit eum, magnamque praedam tulit ex eius imperio,* et adduf.120,v. xit in Damascum (1). De Phacee rege Sa*mariae numerum sequentem: *Occiditque Phacee filius Romeliae de Iuda centum viginti millia in die uno, omnes viros bellatores, eo quod reliquisset Dominum Deum patrum suorum. Eodem tempore occidit Zechri vir potens ex Ephraim, Maasiam filium Regis* (ubi tuus evaderet Emmanuel si tunc viveret?); *et Esricam ducem domus eius. Ceperuntque filii Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum, puerorum et puellarum et infinitam praedam pertuleruntque eam in Samariam* (2). En quas victorias, perquam palmarias et triumphales Achaz, Rabbinici Emmanuelis auspiciis, de duobus illis Regibus reportaverit. Accipe nunc de aliis. Attende quid dicatur de Idumaeis numero decimo septimo. *Venerunt Idumaei et percusserunt multos ex Iuda et coeperunt praedam magnam* (3). De Philisthaeis numero sequenti: *Philistiim quoque diffusi sunt per urbes campestres, et ad meridiem Iuda et ceperunt eas* (4). De Rege Assyriorum numerum vigesimum: *Adduxitque, contra eum Dominus Thelgath Phalnasar Regem Assyriorum, qui et afflixit eum et nullo resistente vastavit* (5). Infra: *Dedit ergo Regi Assyriorum munera et tamen nihil profuit* (6). En Regem, quem suorum hostium triumphatorem somniabas, a Syris, Assiriis, Samaritis, Philistaeis et Idumaeis, ut pilam iactatum et ductum in triumphum.

Duo illi Reges ab aliis caesi sunt, non ab Achaz.

14. Ultimus tuorum dictorum laqueus prae cunctis tuo gutturi est feralior. Duos illos Reges ab Achaz caesos dixisti; sed neuter ab eo interemptus. Nam Rasin rex Syriae a rege Assyriorum captus est et securi percussus, ita enim expresse lib. 4 Regum: *Ascendit rex Assyriorum in Damascum et vastavit eam et transtulit habitatores eius Cyrenem; Rasin autem interfecit* (7). Phacee filius Romeliae caesus est ab Osee filio Ela. Sic enim eodem libro: *Coniuravit autem et tetendit insidias Osee filius Ela contra Phacee filium Romeliae et percussit eum et interfecit* (8). Quid ad haec, Salomon? Totam tibi animam intra fauces tui laquei praecluserunt. Evenere autem duorum istorum Regum caedes anno tertio vel in principio quarti regni Achaz. Quia ex libro quarto Regum, cap. 15, n. 27, Phacee regnare coepit in Samaria anno 52 Oziae regis Iuda,

(1) 2 *Paralip.*, 28, n. 5. — (2) Ibid., n. 6. — (5) Ibid., n. 17. — (4) Ibid., n. 19. — (5) Ibid., n. 20. — (6) Ibid., n. 21. — (7) 4 *Reg.*, 16, n. 9. — (8) Ibid., 15, n. 30.

qui vitae ipsius ultimus fuit, et annos viginti regnavit, nempe unum illum cum Ozia, et sedecim cum Ioatham ipsius filio (tot enim in regno exegit, ibidem n. 33). Quibus adde tres *annos ex regno Achaz f. 121 et viginti habebis. Ergo Phacee caesus est ab Osee in Samaria, cum in eam se recepisset ab obsidione incassum Ierosolymae circumiecta, ob adventum regis Assyriorum, quem Achaz, cum ab illis duobus Regibus se vastatum cerneret, in auxilium concivit, 4 Reg 16, n. 7. Qui, n. 9, acquievit *voluntati eius et ascendit in Damascum et Rasin interfecit.* Vides igitur caedes Phacee et Rasin eodem tempore patratas, non quidem ab Achaz, sed a Rege Assyriorum et Osee perduelli.

Inepte Iudaeus provocat ad libros Regum.

15. Provoco, ait ille, ad ea verba capitis decimisexti: *Tunc ascendit Rasin rex Syriae et Phacee filius Romeliae rex Israel in Ierusalem ad proeliandum; cumque obsiderent Achaz, non valuerunt superare eum* (1). Quid opus est, ait Patriarcha, ad libros Regum provocare, cum eadem verba apud Isaiam reperiantur? (2). Distingue tamen tempora et dubia complanabis, Reges illi secundo regni Achaz anno Ierosolymam obsedere, nec contra illam praevalere potuerunt, quia ille tunc idolorum cultui non adeo impudenter habenas laxaverat; et Deus, misso ad eum Isaia, experiri voluit an ipse ab incoepto gradum revocaret; sed cum effreni cursu in omnia flagitia praecipitem vidit, passus est hostes invalescere ipsumque atteri et ab iis profligari. Si quidem tamen ad quartum librum Regum provocas, prolatam in te sententiam confirmasti. Nam illius capite decimo quinto traditur, Phacee ab Osee filio Ela et decimo sexto Rasin a Rege Assyriorum occisum (3). Non ergo regis Achaz manu ceciderunt. Coeteris etiam, quae ex secundo Paralipomenon libro dicta sunt robur addidisti. Eodem enim capite decimo sexto in calce sic habetur: *Reliqua autem verborum Achaz, quae fecit, nonne haec scripta sunt in libro sermonum dierum regum Iuda* (4). Hi sunt libri Paralipomenon, qui ex iis verbis canonicam auctoritatem nanciscerentur, si aliunde non haberent, quia ex approbato iurisconsultorum axiomate relatum cum omnibus suis qualitatibus est in referente, ac proinde libri Paralipomenon in receptis a tota Ecclesia et Hebraeis, Regum libris merito istius relationis continentur.

Viam Messiae in « Alma » Salomon Davidicus ignoravit.

16. Censete igitur, quotquot adestis, num Isaiae locus et interpretatio nominis *Alma* illibatae matris Messiae, ac proinde Beatis-

(1) 4 *Reg.*, 16, n. 15. · (2) *Isai.*, 7, n 1. — (3) 4 *Reg.*, 15, n. 30; Ibid., 16, n. 9. -- (4) Ibid., n. 19.

f.121,v. simae Vir*ginis Mariae integritati parietum claustris et voti sigillo obfirmatae an rabbinicae vanitati suffragetur. Tu vero, Salomon, ut illius primi aemulator esses, dicere cum eodem debebas illud ex Proverbiis: *Tria mihi difficilia sunt et quartum penitus ignoro* (1). In quibus, ex sententia Rabbinorum Hakados et Iodam, Messiae vias ordine retrogrado describit. *Viam aquilae in coelo* (2), id est, Messiae in coelum propria virtute ascendentis. *Viam colubri super petram;* id est eiusdem vel cum ex petra sepulchri attolletur, vel cum aeneum Moisis colubrum, sive serpentem, super petram in pertica elevatum imitabitur. *Viam navis in medio mari;* ipsiusmet iactationes, cum toto vitae tempore, instar navis, huc et illuc ventis reflantibus impelletur. Cum tamen haec adeo sint inaccessa, quartum illud mens tanti viri se assequi posse desperavit: *Viam viri in adolescentia* seu *in adolescentula,* hebraice *Alma.* Nam quo pacto Virgo absque humano semine perfectum Deum ac perfectum hominem in utero concipere, eumque illaesa integritate, parere possit, nec satis est humano intellectui capere, nec ulli linguae explicare. Dic igitur aperte: *Viam viri in Alma penitus ignoro,* nec mirum sit id quod Salomoni Ierosolymitano fuit caliginosum, Austriaco reddi omnino tenebrosum.

Libri rabbinici combusti et mancipia christianis tradita.

17. Disputationis veritatem omnes perfecte sunt assecuti et ita in Iudaeum, ob auditas ab eo blasphemias, incensi, ut gravissimus quisque raptor in illius libros involaverit, et in rogum iam praeparatum iniecerit, eo satis se felicem existimante quod vulcano esca datus non fuerit. In mancipiorum distractu servatae Canonum sanctiones; et ipse ipsiusque discipuli ita supercilium deinceps deiecerunt, ut aut Patriarcham defugerent, aut, si inopinato occurrerent, in terram venerabundi devolverentur.

(1) *Prov.*, 30, n. 18, 19. — (2) *Galat.*, lib. 7, cap. 15.

CAPUT XIV.

Imperatoris erga Ras Selâ Christôs aversi animi offensiones ab aemulis instinctae.

1. Ea rerum humanarum est labes ut, cum ad summum verti- **Res humanae summo loco consistere non possunt.**
f. 122. cem, *pervenerint, a quo altius ascendere non possint, propiores sint ruinae illas congenita naturae ipsarum infirmitate (ad quam facilis semper regressus ut ascensus violentus ac proinde minime diuturnus) in infirmum ac natalem locum trahente. Vidimus hactenus catholicam religionem et Patriarchae auctoritatem ad supremum gloriae et existimationis apicem provectas; deinceps videbimus primum nutantes, mox convulsas et tandem solo coaequatas. In praecipua huius aedificii firmamenta Imperatorem et fratrem ipsius Ras Selâ Christôs, summa hactenus animorum consensione, conglutinatos, mutuis suspicionibus turbandos, prima vis huius tempestatis incubuit, a tribus typhonibus valde horribilibus excitata.

2. Illorum primus fuit Ras Emana Christôs uterinus et senior **Ras Emana Christôs capitalis fratris adversarius.** utriusque frater, apertus contra Imperatorem cum Iulio perduellis et capitalis Selâ Christôs hostis, ob capitis dignitatem a se in illum ab Imperatore translatam. Est enim vulgare in Aethiopia, ut, cum quis alteri in aliquo munere sufficitur, hostis eidem creetur, ne quidquam eidem placeat et nihil non damnetur. Quem cum homo nullius esset roboris et accisae mentis, maior invidia (quae ut generosos animos ignorat, sic plerumque insidet enerves) acrius instimulabat

Eam tamen animi et ingenii nuditatem et egestatem Imperatoris consanguinitas et divitiarum magnitudo obtegebat.

Melcâ Christôs odio in illum superior.

3. Alter erat Melcâ Christôs Imperatoris et duorum fratruelis, manu quidem invalidus, sed ingenio ita sagax et astutus ut illius versutia, cum semel et iterum perfidiosus in Imperatorem fuisset, non solum veniam ab eodem exoraverit, sed ita se in illius gratiam insinuarit, ut videretur, eum nec absque illius consilio quidquam gerere, nec sine convictu vivere posse et aliquibus philtris ab eo putaretur excantatus. Et totus in eo erat, ut Imperatori suaderet, Ras Selâ Christôs nihili ipsius iussiones facere, sed omnia velle suis auspiciis et iudicio metiri, regnum sub fidei obtentu quaerere, inductis in Aethiopiam Lusitanis, de quorum adventu ex Angola frequens illi sermo erat, magis quidem pius, et ex fidei firmandae studio, quam*quod proclive esset, ut facto repraesentaretur; cum Angola sita sit in octavo gradu ad austrum ultra Aequatorem; Na- f.122,v.
raea, quae citra illum propior est in Aethiopiae confiniis, in octavo itidem ad septentrionem, et ita ab Angola in Aethiopiam perrumpentibus sexdecim gradus et infinitae gentes, belluino ritu viventes, sunt superandae et inexplorata, inhospitalia viarum spatia perreptanda; cum iam experientia docuerit, p. Antonium Fernandium, ab eodem Imperatore ad Indiam terra missum (1), Patem in proximis Aethiopiae ad orientem finibus prehendere non potuisse, sed a regnis admodum vicinis post annum et septem menses expeditione frustrata ad imperatoria castra reversum. Idem vero Imperator, cum defaecato adhuc esset animo et suspicionum vacuo, solam Lusitanorum praesentium anchoram catholicae fidei in Aethiopia firmandae sacram fore iudicabat. Sed affectus iudicium pessumdat, et quod in nobis situm placet, in aliis ex adverso positum damnatur. Nec vero ipse nescius erat ventosa esse, quae de regno a fratre Selâ Christôs affectato iactarentur, cum ipse paternum sanguinem, qui solus in Aethiopia ius ad illud confert (2), non ex Israele, cui uni populus acquiescit et ex quo ipse Imperator erat oriundus, verum ex Damotibus traheret; sed vel aemulorum tincturae principibus oculorum aciem pervertunt, ut res, quales sunt, non videant, vel ipsi se non invite falli patiuntur, ut aliquam excusationem obtendant, quod raro sua in aula non benemerentium sed palpum male obtrudentium gratia frequenter consenescat.

(1) Supra lib. 1, cap. 10, n. 11. — (2) Lib. 1, cap. 3, n. 5.

4. Tertius et potissimus patruae gloriae aemulator erat regni haeres Basilides, profundi (ut Ras dicebat) et impenetrabilis cordis adolescens, qui cum se grandiorem cerneret, aegre ferebat quemquam sibi potentia et militum numero anteire, cum lectissimae equitum alae et peditum vexillationes a Selâ Christôs instructae et praeceptis condocefactae, ipsius semper et ubique nutibus parerent. Iuvenem vero gloriae et potentiae ambitiosum Melcâ Christôs subinde mendaciis et consutis in patruum dolis asperabat. Praevaluit tamen prorex Cabâ Christôs in Goiama, antequam ad Teclam Gueorguis debellandum viae se committeret, toto nisu contendens ut in templo Serquensi Ras et Princeps sacramento constringerentur; hic Romanae fidei inviolabiliter defendendae, ille principis, post obitum parentis, eodem loco habendi et honore prosequendi. Quae vincula f. 123. per hyemem in regiis castris repetitione sunt firmata *et Melcâ Christôs technarum, ac fallaciarum coram iudicibus postulatus et illorum suffragiis damnatus. Sed veniam aethiopica facilitate petitam mox obtinuit, et simul cum eadem ad faediora machinanda facultatem. Praepropera enim veniae prodigentia, certum est augendae in posterum proterviae irritamentum. Princeps ibidem patruum damasceno pallio attalica chlamide et aurea armilla, sed non amicitiae firmitate donavit. Nam paulo post a lividis incitatus ad ingenium redivit, fixum habens se crescere non posse, nisi illum defectio obscuraret.

Faciladâs maximus illius aemulator.

5. Hac tamen in parte Ras non omnino culpa vacabat. Ut enim in omnibus, sic primus erat in poetica, et carmina prae coeteris elegantius et nonnunquam mordatius pangebat, quae ipsius cantores in symposio, cum vini amphorae convivis epotandae proponebantur, fidibus in psalterio modulabantur et memores compotores contra praeceptum convivale, aliquando foras eliminabant, et ut praesentes carminis et vocis suavitate deliniebant, sic eos, quibus genuinus infigebatur, publicatione contristabant. At cum Basilides, ob contractas vitiis adolescentiae aegritudines tantillum claudicaret, Ras minoris faciens amici, quam versiculi iacturam, elegis (quorum pes alter contractior) et fidibus hunc et alios defectus commendabat, quibus non illum tantum, sed et Imperatorem, in eo sibi filio prae coeteris placentem, acriter angebat. Quem etiam ob patrum in fratrem propensionem, et partam tot egregie factis existimationem, invidiae gurges, sinon mergeret, irrorabat, et ignis, si non ureret, afflabat.

Ras aliquando Principem dentatis carminibus pungebat.

6. Verum inter coeteros, praecipuus odiorum consitor fuit homo bilinguis et peritissimus dissidiorum architectus, senator Lessana Chri-

Senator Lessana Christôs insignis technarum artifex.

stôs, id est, lingua Christi; sed verius Satanae dicenda ob satanicas, quas inter Imperatorem et patronum suum Ras Selâ Christôs (cuius negotiorum actor erat in curia) texuit implicationes, utrique narrans (cum facile inter querelas verbum aliquod excidat) quod ob eorum altero audiisset, non sine immanibus mendaciorum centonibus et additamentis. Assentatoriam perfidi hominis nequitiam, sagacissimae naris et incorruptae fidei senator Tinô, secretorum Imperatoris particeps, deprehendit, et Ras amicitia sibi coniunctissimum admonuit, ut insidio*sos huius viperae morsus caveret. Qui cum tabidam illius lin- f.123.v. guam radicitus extirpare debuisset (*lingua* enim *tertia multos commovit..... et domos magnatorum effodit*) (1), in sola verborum castigatione quievit. Qua ille abusus, cum semper molles ad Imperatorem aditus malis artibus quaesitos haberet, iram in benevolum monitorem vertens, effecit ut Tinô, summo aulae damno, Imperatoris gratia excideret et ab illius commentariis excluderetur. Nihil enim bono publico perniciosius, quam si mendaciorum satores intra penetralia admittantur et veritatis libripendes liminibus arceantur et prope sint qui dissensiones alant, procul qui extinguant.

Lessanae Christôs caedes meritissima.

7. Supplicium tamen impiae linguae commeritum, quod homines dissimularunt, Deus advexit. Illa enim licentiae assueta in apertas contra Deum blasphemias et in opprobria contra Ras Selâ Christôs in regno Amarensi per hyemem erupit. De quibus coram integerrimis iudicibus accusatus, probatum, non antiquis tantum Aethiopiae haeresibus, sed iudaicis etiam nugis irretiri, nec tantum a Salomone austriaco, sed ab impio monacho, suo quondam magistro, instillatis. Inter quae illud erat, ut Sanctissimae Trinitatis personas abnegaret, de quibus ita nos curiose aliquando interrogavit quasi illarum fidem disputationi et oculis subiicere contenderet, ut nobiscum tunc statuerimus neminem in rebus fidei esse nimis curiosum, quin male sit in eamdem animatus. Iudices capitalem in eum sententiam tulerunt, cuius executionem ille extraxit provocatione in castra Imperatoris, ubi sciebat plures sibi fore advocatos. Sed morae impatiens vincula perfregit et fugam in castra capessivit. A custodibus tamen comprehensus et in carcerem retractus: ob novum violatae custodiae crimen caedi est adiudicatus et hastarum petitionibus, magno spectantium gaudio, ob tantam pestem terris aversam, confossus.

(1) *Eccles.*, 28, n. 16.

Non minores dissensiones moriens reliquit quam vivens seruerat.

8. At qui tot et tanta dissidia vivens seruerat, moriens non minorum plantaria reliquit: habet enim semper traduces perfidia. Aemuli namque Imperatorem sic in fratrem exacerbarunt, ut prope extremam perniciem contentio sit perducta et Ras de receptu in Naraeam, Imperator vero de titulo capitis illi auferendo cogitaverit, quo licet
f. 124. ipsum non spoliaverit, detracto tamen Goiamae prin*cipatu et pluribus terrarum, quarum annona vivebat et praestantioribus militum, quos educaverat, cohortibus, veluti truncum dimisit; sed, patribus et prorege Cabâ Christôs nobiscum frequenter et solerter adnitentibus, paulatim obducta est cicatrix; quae tamen levi qualibet criminatione recrudescebat et in vulnus redibat. Ut enim suspiciones aliquas nulla diluit innocentia, sic suspicaces animi paratum semper habent fomitem, ut, qualibet scintilla concepta, ingens suscitent incendium.

CAPUT XV.

Lastensium rusticanorum rebellio, Melcâ Christôs regiae stirpis ad solium evocato.

1. Fortissimus ad romanam fidem labefaciendam aries fuit id bellum, quod aggredimur, a rusticis, nec rustice, nec inaniter libratus. Bagamedrinum regnum a Doaro et Angota (a Gallis nunc habitatis) ad orientem disterminant Lastae montes, in stuporem abrupti et inaccessi, sed frumenti et aquarum ubertate faelices [*sic*] et ideo rebellibus in multos annos admodum hospitales; a septemtrione orientali regni Tigraei segmento, et haereditariis Tecla Gueorguis possessionibus; ab austro similibus Amarensis ditionis rupibus vallati; ab occidentali tantum parte regnum illud in planiores Dambaeae terminos excurrit. Eodem tempore hi rusticani tumultuari coeperunt, quo Tecla Gueorguis, iam tunc cum iis foederatus, suam rebellionem inchoavit sed dissimilibus ostentis. Cum enim de utroque motu nuntia intra paucos dies allata essent, nobis dixit Ras Selâ Christôs a se Tecla Gueorguis turbationem, ut nullis fultam radicibus, flocci haberi, sed Lastensium ausus et montium asperitate et regii sanguinis tyranno subnixos, magnum aliquod malum ominari. Illorum haec fuit origo. **Lastae montes ubi.**

2. Regnum Bagamedrinum proregis nomine, sed non prudentia, regebat fluxae mentis et consilii homo Zamarianus Adabo, in quo praeter regiam affinitatem (erat enim Imperatoris gener) nihil suspiciendum apparebat. Huic ab eo commendatum ut suae ditionis **Proregis imprudentia et cupiditas huius belli altrices.**

gentem curaret romana Synaxi participari. Quod cum ipse molliter efficere deberet, fidei doctoribus immissis, qui ferinas montanorum aures ac mentes blandis sermonibus lenirent, milites ferociam spirantes et arroganter communionem imperantes ad eos *destinavit. f.124,v. Illis vero plusquam civiliter respondentibus, se paratos esse iussa exequi, si prius quae essent necessaria edocerentur, pietate in quaestum conversa, a proregis emissariis mille pannorum mulcta sunt onerati, cum patria consuetudo exigeret ut in iudicium accersiti noxae convincerentur, et, laxamento aliquo concesso, siquid adhuc contumaciae superesset, plecterentur. Sed proregi, ut ad expectandum patientia desiderata est, sic, cum arma praecipitanter correpta, militaris prudentia et fortitudo. Confusim in eos irruit et socordius, caesis aliquot ex suis ducibus ac militibus, se recepit. Graviter haec iactura Imperatorem anxit, non tam ob praesens dammum, quam praesagio futurorum, nec tamen (ut plerumque ministrorum culpa in principes redundat, qui sua conniventia illam sibi adscribunt), proregem aut venaticos ipsius canes, ut par erat, poena affecit, aut restitutionem imperavit, quo effectum, ut Romana fides nullius noxae particeps, ex proregis et ipsius administrorum cupiditate immerenter culparetur.

Montani regii sanguinis tyrannum invitant.

3. Montani primo statim iactu intellexere omnes Imperatoris copias in se convertendas, sibique totum futurum in suorum montium acclivitate et obfirmata pugnandi usque ad extremum anhelitum obstinatione praesidium. In cuius consilii perennitatem, quemdam ex antiquorum Imperatorum genere, cui nomen Melcâ Christôs, apud Gallas in Angotae tempestivitatis exspectantem vocarunt, polliciti illum a se inductum iri in avitae dignitatis possessionem. Non ingrate ille admisit, quod omnibus votis expetebat, sciensque multis odiosam esse Romanam fidem, ut eos demereretur se professus est Alexandrinae et errorum Dioscori atque Eutychetis propugnatorem. Ad hanc vocem plures monachi literarum ignari, et praefracta pertinacia durati, tamquam vespertiliones et noctuae ex lustris et ignotis locis, in quibus latebant, prodiere et magnam inconditae plebeculae multitudinem tyranno adiunxerunt. Haec enim eos pellitos et cucullatos, tamquam e coelo lapsos admiratur, nesciens iis operimentis solam superbiam et rerum omnium, excepta nequitia, quae ubique se ipsam prodit, ignorantiam obumbrari.

Imperator in hoc bellum proficiscitur.

4. Ad haec audita, Imperator februario anni 1629, paulo post Tecla Gueorguis suspendium, Dancazio versus Bagamedirum lentis itineribus processit, ut digressus sui fama Goiamae proregem et duces

f. 125. alios cuncta*bundos excitaret. Quos cum vicenis quinis peditum et duobus equitum millibus ad Nefas Maucha congregatos, sub maioris domus suae aeconomi ductu in interiora praemisit, ut montanos lacesserent, et ab iis, antequam ad accliviora ventum esset, ad trecentos occisi. Quo illicio imperiales inescati vicinam Lastae rupem, in quam montani perfugerant, in ordinem dispositis quadraginta militum manipulis adoriri constituerunt. Montani tamen insomniae dediti et locorum periti grandia saxa devolvere coeperunt, quibus ingens perturbatio et confusio conglobatim perangusto tramite reptantibus ingesta. Primorum aliqui labuntur, cuncti miscentur, et aliqui ut mortem fugerent illam ultro quaerebant, se in abrupta impellentes. Non pauci secum equos agebant, ut montium planis insultarent, qui non minimo ipsis fuere impedimento, sicut et hostibus praedae, a quibus capti victoriae honorem et voluptatem auxere. Guebra Christôs, Imperatoris gener et quatuor vel quinque magni nominis duces et ex militibus ultra sexcentos in viae angustiis obtriti.

Sinister imperialium eventus.

5. Dexteri cornu duci totius belli praefectus dederat in mandatis, ut cum aliis manipulis, in quibus unus quadraginta Lusitanorum hybridarum consebatur, eamdem rupem a tergo aggrederetur, quibus longus inter confragosos colles et depressas valles gyrus fuit obeundus. Hi etiam non in minimum discrimen sunt perducti, quod montani victoria elati, e rupe descendentes, omnium collium, per quorum angustias illis transeundum erat, fastigia occupassent, et citra dubium perirent, nisi prorex Cabâ Christôs, ex adversa Tigraei regni parte occurrens, post duas arces scrupeas expugnatas, eos suo adventu a periculo exemisset.

Aliquos periclitantes Cabâ Christôs liberavit.

6. Ubique tristis aliquis eventus militum corda percellit, at in Aethiopia penitus labefactat, et hoc maxime tempore, cum, ultra insitam huic genti animorum fluctuationem et dominos mutandi pruriginem, tot reperiebantur, qui debitam Deo fidem nihili facerent, cuius consectaria est fides erga Reges et in eos defendendos firmitudo. Dispexit hanc in suis socordiam et sui obsequii despectionem
f. 125,v. Imperator et accito ex Agais Goiamensibus Ras Selâ Christôs *ac summatibus excubitoribus in angustis viarum faucibus relictis, ne hostes in Dambaeam transultarent, Dancazium se lente convertit. Omnes tamen ad unum, vel morbum, vel causationes alias obtendentes intra paucissimos dies sunt dilapsi, et hostes per campestria effusi. Impudentem suorum ignaviam vehementissime dolens Imperator, eo,

Quantum hi casus adversi Imperatorem contristaverint.

Ras Selâ Christôs victori Goiama restituitur.

unde discesserat, retrocedit et principia fratri Selâ Christôs iam advecto committit, qui imperiali exercitu longe post terga omisso, in rusticanos frumentantes, et solo suo nomine (cum ipse Mars sit et fulmen Aethiopiae) conterritos, cum suis impetum fecit et ultra ducentos prima impressione prostravit. Quo successu laetior Imperator aliquot munia demutavit et Sarca Christôs Bagamediro praefecit, restituta Selâ Christôs Goiama, qua illum superiori anno, ob lividorum criminationes, nudaverat. Consuetum enim est aethiopicis Imperatoribus ut quasi pilas vel taxillos habeant clientes. Imperatorem Ras permovit ut domum suam ad hyemandum se conferret, spondens eo se loco hybernacula transacturum et obiici futurum ne montani semina terrae mandarent. Quod eximie perfecit, caesis et in servitutum abactis pluribus, quos fames ab excelsis in humiliora deprimebat. Speciatim die quadam, qua se finxit in Goiamam profiscisci, regressus multos leto dedit et ultra bis millenos ad frumentum exportandum egressos et cum iis totidem iumenta sarcinaria mancipavit.

Post hyemem Princeps et Ras belli curas partiuntur.

7. Totam illam hyemem curis exercitam duxit Imperator, tum maxime cum audiit montanos Amarenses cum Lastensibus foedere consociatos, et imbribus nondum exactis, proregem illo dimisit seniorem fratrem Ras Emana Christôs, qui licet primo proelio modicum illorum globum straverit, conversa postea belli alea, auxilium festinato imploravit. Ad suppetias suo corpore ferendas Imperatoris animus inclinabat, sed obstitere, qui salutarius monebant, ut se Dancazio contineret, ne ipsius discessu coetera imperii membra convellerentur, et sanius iudicatum, ut sub finem septembris princeps Basilides cum electis militibus et omnium proregum ac procerum stipatu in Bagamedirum, Ras vero Selâ Christôs cum suis copiis *in Amarenses f. 126.
mitteretur. Eo loco, in quo Imperator vere substiterat, princeps, et prorex Bagamedrinus cum viginti bellatorum millibus consederunt, nec procul aberant a rusticanis, sed cuntactionibus et consultationibus, quin signa conferrent, ultra mensem inutiliter contriverunt.

Ras in transitu rupem in Bagamediro occupat.

8. Ras etiam ex Goiama iter in Amarense regnum intendentem, retro cursum moliri Imperatoris iussa coegerunt, ut in Bagamediro cum principe congrederetur et ibi quod pro tempore optimum esset bellandi genus communi consilio decernerent. Sed cum dux strenuus nulla morae dispendia facere soleat, sciens, ubi accessit aliquas montanorum manus in campestribus diversas errare, Damotum prorege cum duobus armatorum millibus sibi adiuncto, et ingenti ambitu, ne ab ipsis agnosceretur, per vallium diverticula decurso, in eos

incurrit, qui coniectantes ex improviso adventu, tympanorum sonitu et tubarum clangore Ras Selâ Christôs adesse, in montem confugerunt, prius a se ad repentinas incursiones maceria vallatum. Eos ille laxis habenis est insecutus, sed, cum illorum pedibus velociores alas timor addidisset, citius in arcem praecurrerunt, et fortiter molliori quodam aditu instantes, plusquam decies repulerunt. Ille, difficultate conspecta, equo desiliens et gladium dexterae et sinistrae clypeum insertans, ac suos in pugnam pro Romanae fidei defensione instimulans, sequentibus suorum fortissimis, fauces occupavit. Montani, tam martia impressione conterriti, adverso montis tergo fugam capessunt, sed in monte et descensu cuncti fere ab instantibus vulnerati corruerunt. Omnibus iucundissima fuit haec victoria, tamquam felix praesagium aliarum sequenti vere comparandarum.

Idem, in Amarense regnum inductus, tyrannum Lacâ Mariam occidit.

9. Illam in Amarensi regno post modicum intervallum alia nihilo inferior excepit: ubi tyrannidis coementa iaciebat Lacâ Mariam regiae domui propinquior quam Melcâ Christôs et qui, si convalesceret, non minus erat Imperio incommodaturus. Cursu igitur citatissimo illuc Ras cum eodem Damotum prorege se coniecit, quatuor dierum itinere diecula emenso. Qua festinantia sic hostem praevertit, ut ty-
f.126.v. rannus prius se perditum, quam illum accedentem sen*serit et cum suis in rupem se collegerit, e qua, cum illorum tres vel quatuor plumbeis globis a fistulatoribus emissis in terram prolapsos cerneret, se praecipitem dedit, et suum ac suorum corpora feris et avibus epulanda.

Centeni equites infauste praecipitantur.

10. Grave tamen infortunium Ras manipularibus ante paucos dies apportatum huius victoriae laetitiam contaminavit. Equites igitur (quae hic maxima sunt gulae delinimenta) appetentia invasit crudae bubulae multo sale et pipere conditae et post liguritionem vino large epoto maceratae, qua pellecti, cum boves incolarum rupis Legot suo aspectui obiectae in profundissima valle pabulum carpentes despexissent, confertim ad eos colligendos descenderunt; sed custodes, locorum conscii, eos callide in praerupta et a fronte invia egerunt, et illorum mox a tergo a circumfusa rusticanorum multitudine oppressorum (cum qui esset exitus nescirent) centeni in scopulos et praecipitia sunt devoluti. Et extrema reliquorum esset vastitas, nisi Ras, monitore p. Hyacintho Francisci, quem secum habebat, tympana et cornua concrepari iuberet, quae montanis receptui cecinerunt, illum cum totis copiis in se ingruere et rupem Legot invadere reputantibus.

Rusticanorum Amarensium quanta sit barbaries et obstinatio.

11. Infaustus istorum equitum deiectus montanos locorum etiam asperitate praefidentes adeo contra famem et alia adversa obduravit, ut se dedere noluerint, quamvis duo ipsorum globi frumentantes a duobus Ras ducibus fuerint eversi et ultra septingentos vita deiecti. Tam incondita sunt hi montani barbarie, ut saepe, cum aliquot ex Ras castris dispersos cepissent, eo tantum trucidarent quod in eo discrimine sanctissimum Iesu nomen pronuntiarent, et insane adderent, idcirco illos, qui Romanae sunt fidei, nomen illud frequenter proferre, quod Christi ligno affigendi auctores fuissent et unus ex iis cuiusdam salutare illud nomen proferentis os, quasi insignem aliquam blasphemiam emisisset, hastili transverberavit. Brevi tamen illi par pari repensum; nam intra paucos dies, primo cum catholicis congressu, simili telo confixus, illud et humum ore cruento et sacrilego momordit.

f. 127.

CAPUT XVI.

Illustris et fortissimi proregis Tigraei et insignis catholici Cabâ Christôs et Fecur Egzi, eidem simillimi, caedes.

1. December labentis anni 1629 continuatis duorum praestantium bellatorum et insignium catholicorum funeribus, Cabâ Christôs a Lastensibus et Fecur Egzi, a Gallis caesi, probis omnibus fuit luctuosus. Eos vero Deus maluit hoc tempore obire, ne impendentem fidei eversionem conspicerent, aut vindictam illius eversoribus inferendam, debita meritis suis reverentia, impedirent. Sed sicut tractatio disiungere non debet quos fidei communio sociavit, ita ut de Cabâ Christôs interitu, qui dies quinque posterior fuit, prius agamus nos et illius dignitas et amor multis nutritus officiis impellit.

Decembrer huius anni duobus magnorum ducum funeribus luctuosus.

2. Illum ob duas rupes Lastensium vere superiori expugnatas, et cornu dexteri praefectum obsidione liberatum, remunerari volens Imperator, Bellatinam Goita, idest maiorem domus suae aeconomum, Ras dignitati proximum, creavit, sed cum ad successorem ipsi in Tigraeo principatu subrogandum pervenisset, omnibus res absque affectu trutinantibus nullus alius est oblatus, qui posset hiantibus adhuc ex Teclae Gueorguis et rusticanorum rebellione vulneribus medicari. In quam sententiam clancularii etiam Romanae fidei hostes, qui eum abesse cupiebant, magnis laudibus ierunt, ut illum ab Imperatore et castrensi magistratu dimoverent. Non enim minus nocere aliquando solent simulatae inimicorum laudes, quam apertae cavillationes. Iure tamen iurando se Imperator obstrinxit illi a se,

Cabâ Christôs Tigraei regni prorex creatur.

cum reverteretur, redditum iri cum auctario munus, quo nunc se sui obsequii causa abdicasset. Et, ut post hyemem praesto esset profectioni adornandae, iussit ut ad Tigraeos, ipsa ineunte, properaret. Et amico antequam discederet, roganti, cur ita facile tam dispari permutationi annuisset, respondit, scire se quae sibi in ea expeditione parata essent nec vivum ex illa regressurum, sed, sibi regiorum castrorum in rebus fidei torporem assecuto, gratius esse in *illius defensionem rusticanorum manibus occumbere, quam eo perduci ut cogeretur adversus eos quibus nutricatum deberet, tela vibrare. f.127,v.

Illustris fidei manifestatio.

3. Solemni exaltationis Crucis die, qui Abassinis vigesima quarta septembris maxima prae cunctis totius anni celebritate recurrit, et hyemi clausulam imponit, Tigraeorum et suorum militum primos ad opiparum convivium invitavit; e quo post multa fercula et pocula in equum insiliens, et in multiformes gyros huc illuc inflectens illos ad certandum pro rege et lege Romana verborum calcaribus incitabat; hanc solam veram, erroribus aethiopicis anteriorem, Imperatori plurium victoriarum et cunctis aeternae salutis conciliatricem affirmans, *se vitam et vires tantum, ut eas propter illam periculis obiiceret, appetere, et mortem pro illa futuram sibi vita dulciorem. Graviter,* inquiebat, *doleo quod unius vitae sim compos; mille optarem ut omnes in illius tuitionem et uni et multis ictibus obiectarem. O si cuncta corporis membra saxis tunderentur, mucronibus minutatim pungerentur et hastis transadigerentur! Illud me tantum excruciabit, si paucis vulneribus inscriptus occumbam. Ad cotes asperentur gladii et hastilia poliantur, clavae omnium rebellium et infidelium hoc caput contundant, hoc guttur transfigant, hoc pectus pervadant, tot non erunt ictus quot meum cor anhelat, prius illi caedendo, quam ego et patienter et avide sustinendo, lassabuntur.* Vivis et ardentibus adeo verbis catholicorum corda ignescebant, haeretici, quorum turba non deerat, tacebant et aestuabant. Sed alii ex animo, alii prae metu et rubore se ad moriendum ante ipsius oculos in eo certamine offerebant.

Fremonam adit et exomologesi animum repurgat.

4. Paulo post in bellum profectus, Fremonam ex transcursu adiit ut templum, Beatissimae Virgini ex calce et quadrato lapide suis impendiis aedificari coeptum, et patres supremo inviseret. Hic a p. Hieronimo Lupo petiit ut die crastina ad se pergeret, cum quo per triduum summa lentitudine animum confessione expiavit, ut qui praenosceret sibi non esse amplius cum patribus agendum. Illudque fuit perpetui ieiunii usque ad mortis diem auspicium; nulla enim, exceptis dominicis, quidquam in os indidit, nisi quarta hora

pomeridiana, cum multis asperrima itinera conficeret et cum hoste praeliaretur, nec a patre induci potuit ut sibi tantulum parceret,
f. 128. aut genium in regni et fidei damnum *tam inclementer defraudaret. His armis, ad subigendos animi hostes quam Lastenses commodioribus, instructus, ad eos cum paucis processit. Plures enim mensa et aula solent, quam belli alea convivas numerare. Cum iis tamen ad praecelsam et ultimam Amarensis regni metam, maxime orientalem et Zeilano regno finitimam, superatis Doaro et Angote, Gallarum domiciliis, et fusis pluribus rusticanis, qui angustias circumsedebant, perrupit.

Proregi sua diligentia fuit exitialis.

5. Hic prorex principem Basilidem illiusque exercitum a Bagamediro sibi promissos opperiebatur. Sed expertus est, quod nonnumquam suo et communi malo ii patiuntur, qui sunt nimio plus diligentes quibus, cum socii ad multam diem stertunt, exitialis est sua antelucana insomnia. Nam adeo lentus fuit Principis et imperialium processus, ut ipsum coeperit annonae difficultas et rei frumentariae inopia flagellare, nec haberet unde supplementum quaereret, cum montibus et hostibus undique cingeretur. Ideo, ventre aures non habente nec inducias ferente, deserenda fuit rupes quam insidebat, et iter retrorsum convertendum, Hoc sumpto consilio, quia raro exercitus sine magno discrimine revocatur, et maius discrimen est ducis, si hoc dignus est nomine, quam manipularium, die decima sexta decembris eademque dominica, exomologesi et sacra synaxi se munivit, et sequenti, postquam animum confessione iterum repurgasset, aliquos fistulatores per montis supercilia et angustos calles divisit, ut rusticanos sine dubio a tergo allatraturos cohiberent, et coeteris ante dimissis, extremum ipse agmen clausit. Sed cum illud montani non admodum multi lacesserent, custodes tanta perturbatio incessit, ut, fastigiis et faucibus desertis, eo tempore se in fugam et aliqui in praecipitia coniecerint, quo prorex in medio descensu haerebat. Monuere stipatores ut se ex sacso deiiceret, quod innoxius nec inglorius praestare posset. Ille tamen id se indignum ratus et agnoscens illam esse horam pro Romanae fidei defensione moriendi, quam semper exoptaverat, ipsis eum saltum laeto vultu et blando dexterae impulsu suasit, suo se dictitans loco permansurum. Cuncti momento discessere, praeter duos, quibus commori praefinitum. Telum missile in illum
f.128,v. coniectum stantis latus trans*misit, quo accepto, Dei miles in genua procumbit, suam illi animam commendans, et subito libratum est saxum quod orantem terrae afflixit. Et rusticani duo accedentes, nec

agnoscentes, vestibus exuerunt, tertius tamen, qui ex facie noverat, ingentis praemii a tyranno obtinendi fiducia, caput humeris decussit.

Cabae Christôs statura et lineamenta.

6. Mediam aetatem prorex exigebat, mediocri statura, colore inter nigricantem albicantemque ancipiti, magnis et vivacibus oculorum orbibus, tenuibus, oris quasi ad circinum ducti, lineamentis; ingenio peracri, prudente et arguto: colloquiis gratus, pertusis ex largitate manibus, equitandi peritissimus, in bellis contra Gallas, Turcas et haereticos faustis semper successibus bene auspicatus: Imperatori et Principi ante omnes gratus. Illius erga fidem studium, ardorem et firmitatem si quis exponere vellet, tempus et oratio deficeret. Id satis: post Imperatorem et Ras Selam Christôs primas illi absque competitore deferendas. Inter primos illi nomen dedit, illam in multis dissertationibus solerti ingenio, foris ac domi, hasta et sua auctoritate propugnavit, nec ullus, eo praesente, adversus ipsam quidquam mutire audebat. Multum operae insumpsit, ut uxorem suam Phanae sororem fratruelem Imperatoris, magni iudicii foeminam, ad fidem perduceret, illamque alte in cordis ipsius fibras impressit.

Illius parentalia et concio panegyrica.

7. Tanto viro Patriarcha die trigesimo solemni apparatu Dancazii parentavit et de illius laudibus concionem instituit in illa verba Isaiae: *Iustus perit, et non est qui recogitet corde suo, et viri misericordiae colliguntur, quia non est qui intelligat. A facie enim malitiae collectus est iustus* (1). Quae praesenti actioni et futurorum cautioni, nec non audientium utilitati visa sunt opportuna. Sed ut concio et defuncti laudes multos habuere aemulatores, utinam vita et fides pararent imitatores. Nec id satis, sed die quadragesimo Ganetam Iesu, ubi uxor luctum prorogabat, ad illius preces descendit, et iusta alia nihilo inferiora peregit. Omnia vero haec et alia maiora doloris et honoris monumenta in virum tam egregie de fide et imperio meritum, visa sunt omnibus suo gradu collocata.

Fecur Egzi Goiamae custos.

*8. Vir alius misericordiae, a facie malitiae collectus, fuit Fecur f. 129.
Egzi, id est dilectus Deo, Ras Selâ Christôs domesticus et nunc in Goiamae praefectura vicarius, coelesti sponso et sponsae ipsius Ecclesiae inter primos obsequiosus. Audientes enim Gallae, qui ultra Nilum in regno Bizamô, Gojamam et Naraeam disterminant, Ras Selâ Christôs et Damotum proregem in Amarense regnum decessisse, opportunam tempestatem nacti illas provincias devastandi, Nilum transgressi, in Damotum agros et adiacentem fluvio Berri planitiem,

(1) *Isai.*, 57, n. 1.

in quadraginta vel quinquaginta milliaria longitudinis et vicena quaterna latitudinis expatiantem, irruperunt. Qui tractus licet Fecur Egzi curae creditus non esset, et ipse prudenter opinari posset suas copias hostilibus retundendis pares non esse, multorum tamen precibus instinctus, tot animarum, quot Gallae captivitati daturi essent et postea Mahometanis pretio addicturi, pietate commotus, suum caput pro illarum vendicatione devovit. Et totam diem et noctem magna contentione ad illos progressus, cum iam albesceret, se ac suos, via lassos, in mediam Gallarum aciem, feriatam et multis equis per otium curatis instructam, immissos invenit.

9. Eos tamen tanta contentione aggressus est ut in magnas angustias compulerit. Sed magno factum est infortunio ut equus in ingentem voraginem, herbarum culmis occultatam, sit prolapsus et ipse cum staret, a pluribus Gallis obsessus et missilibus confossus. Ubi etiam ducem alium ex disciplina Ras Selâ Christôs ingentis animi adolescentem, impigre laborantem ut Fecur Egzi illum hiatum eluctaretur, mors cum eodem involvit. Coeteri fugati et plures illorum interempti, sed Deus in Gallarum caput ipsorum saevitiem convertit. Nam ante mensem cum variis Gojamae partibus superbe insultarent, in Agaorum regionem, ad ipsos evertendos sunt illapsi, sed ipsi in unum corpus compacti, eo impetu in eos irruerunt ut in fugam egerint et omnes fere trucidaverint.

Equo in foveam lapso, a Gallis occiditur.

10. Bellica prudentia et fortitudine Fecur Egzi ducem, vitae integritate et innocentia perfectissimum quemque religiosum referebat.
f.129,v. *Catholicam veritatem cum primis suscepit: susceptam animose defendit, et calamo simul et lingua propagavit. Cum enim divinorum et aethiopicorum librorum scientia excelleret, in multis vertendis operam suam p. Francisco Antonio ab Angelis commodavit. Et post reditum a legatione in Indiam, cum p. Antonio Fernandio incassum tentata, Agais a suo patrono cum plena potestate praepositus, auctor fuit ut multa illorum millia sub Christi signis mererent, et non pauca infantium, paulo post adeptam baptismi innocentiam, coelo terram commutarent. Nec parum gloriosa fuit caedis ipsius causa, si enim bonus est pastor, qui animam suam ponit pro ovibus suis, nec ulla maior est dilectio quam quae mortem pro amicis subit, quo ponenda est loco huius Deo et hominibus dilecti charitas qui pro alienis ovibus, solo Christi sanguine sibi coniunctis, vitam adeo prodige neglexit?

Fecur Egzi laudes.

CAPUT XVII.

Diversae in catholicam fidem et Patriarcham ob superiora infortunia insectationes.

1. Si firmiorum animos non raro magna quaevis iactura deprimit, quid in Aethiopia, in tanta fidei debilitate, cum prioribus infortuniis posteriora succedunt et multa se invicem collidunt? Buco, Fecur Egzi et Cabâ Christôs e medio sublatis, imbecillius redditum est agmen catholicorum, haereticorum vero potentius et ferocius. Quin et felix conversionis cursus summopere retardatus. Se anno superiore in aciem egressum et sinistris eventibus revocatum Imperator pensitabat: animum dolor insidebat, et is, qui corde claudebatur, moeror, vultus nubilo prodebatur. In aula plures intimorum, ovina pelle luporum dentes, leonum ungues et serpentum linguas velabant, et quamcumque spargendi veneni occasionem emissitiis oculis et auribus explorabant. Belli labores, hostium multitudinem, vires ac fortunam ultra verum exaggerabant. Quousque tandem (dicebant) f. 130. et cum quot et quantis nobis pugnandum? *Rusticani illam tantum fidem norunt, in qua sunt educati. Turcarum et Mahometanorum nomen nobis indunt, quod circumcisionem, et quartae feriae ieiunium abstulerimus et ideo clausas esse ecclesias queruntur, quod antiquae liturgiae, quibus ipsorum aures erant condocefactae, silentio sint obliteratae. Hi sermones a multis saepius repetiti Imperatoris pectus pertundebant, nam et lapides gutta excavat, et silices atterunt formicae.

Praesens rerum status exponitur.

Ob monachum haereticum sepultura eiectum, gravis motus.

2. Hoc temporis in insula Mechareca vitae debitum exsolvit monachus saxeae in avita haeresi pertinaciae, dictus Zara Onguel, prius Ichegue, seu generalis ordinis Teclae Hâymânot, quem Imperator ipse et alii uxorii solo abbatum nomine profiteri gloriantur. Hunc coenobiarcha, non degener in coeteris catholicus, iussit intra adyta ante altaris gradus tumulari. Quod sibi displicere, alterius coenobii magistro et patre quodam e Societate Iesu internuntiis, Patriarcha illi iussit significari, et templum fuisse illius cadaveris illatione desecratum. De illo extrahendo ex destinato nihil in utramque partem dixit, ne aut anathemati favere, aut in umbras impense crudelis videretur; praevidebat enim rem acerbam inordinato illi ordini futuram. Sed coenobiarcha, cum ipsum suae incogitantiae suppuderet, cadaver extra templi pomoeria eiecit. Quod valde indignum a multis habitum et communi expostulatione iactatum, Lusitanos ipsa mortuorum ossa sollicitare et cum larvis colluctari.

Plura veneficia Patriarchae domum turbarunt.

3. Conceptum ex hoc evento dolorem sequentis incursus aggeravit. Patriarchae domum magnae intemperiae agitarunt. In qua faber ferrarius (quorum nationi in Aethiopia creditur ars malefica oppignerata), qui officinam intra septa constituerat, domestico adolescenti duobus vini poculis ex amphora ab aeconomo erogata, in signum benevolentiae, propinavit. Vinum quidem guttur, sed animus bibit venenum. Iuvenem repentina lymphatio incessit, qui a multis valide apprehendentibus applicitis etiam sanctorum reliquiis, non posset edomari. Ad Christi tantum e cruce pendentis imaginem furor lentescebat, sibique cor redire *affirmabat, sed ea amota, in priorem f.130,v.
insaniam revolvebatur. Et ab aeconomo sacrae imaginis admotu saepius oppugnatus, aegre tandem suae turbationis auctorem, post dies aliquot, indicavit, se prius a suo hero (ita fabrum vocabat) immane ferri pondus per avia convectare coactum, loqui etiam vetitum, contestans. Die crastina, fabro aeconomus narravit adolescentem illum sui mali querimonias in ipsum conferre. Eo tamen inficiante, et illa coram se non esse prolaturum ingeminante, ex materna in Patriarchae domum tractus est adolescens. Et in atrium ingressus, quamvis nesciret, intus esse fabrum, tribus a se parietibus disclusum, ita coepit exhorrescere et tumultuari (clamitans suum herum intus delitescere nec sibi facultatem ad ingrediendum largiri) ut ipsum quatuor iuvenes robustissimi sistere non possent. Ubi in interiorem domum perlatus, oculis in fabrum incurrit, ad se tegendum appensae cortinae confugium quaesivit, frendens illum suum

esse herum, sibique caedem minitari quod factum prodidisset. Paulo post in materna domo pollicaris magnitudinis panniculum carbonario pulvere fartum emisit, ea vomitione et mentis fluctibus et pectoris, cui nox atra incubabat, angoribus solutus.

4. Plura adhuc turbamenta Patriarchae domum miscuerunt. Omissis duabus foeminis, ac tribus pueris, qui nullo morbo ex notis correpti, paulatim contabuerunt, et ex quibus duos se sustulisse saga domestica confessa est, tres vernae, duo masculi et quaedam puella, ad interitum usque emaciabantur, nec eis, cum recens essent coniugati, quidquam voluptarium in mentem veniebat, imo obiectum detestabantur. Uno ex iis penitus exacto, domestici foeminam, quae veneficii opinione laborabat, pugnaciter adierunt, eam, ut maleficia dissolveret obtestantes. Illa masculorum humeros sputo respergens et manu contingens, iis se parcere affirmavit; et is, cuius novitium erat maleficium, statim, cuius antiquum, serius convaluit. Puella vero, ex ipsius doctrina, placentas piso et nasturtio conditas et pura testa coctas sagae porrexit; quibus illa pasta, praemisso ei non amplius
f. 131. nocendi iureiurando *per regem Abolla, id est daemonem (qui regioni ita dictae et a maleficis frequentatae intra Goiamam praesidere fertur) eam tactam et similiter consputatam in libertatem emisit. Eodem tempore tres e vicinia, quorum ululatibus Patriarchae domus personabat, simili vecordia sunt praeligati. Quibus medicamentarius, qui se veneficorum hostem profitebatur, cinerem aqua dilutum paravit. Quam potionem, ubicumque esset abscondita, ipsi recta via, absque ullo diverticulo, quaeritabant et pocillatori, quasi ipsius essent catuli, parebant. Acta de his et aliis iudiciali inquisitione, Patriarchae iussu vir unus et duae foeminae ad tempus in vincula coniectae. Omnia artis ferrariae collegia, et hi tres sontes ad Imperatorem et castrenses ipsius cognitores, Patriarcham et Societatis Iesu patres, tamquam publicae pacis turbatores in plateis et castris magnis clamoribus detulerunt, quod veneficos esse in Aethiopia credant et praedicent, et rusticorum manus ad ferrariorum opificum et aliorum, quos rentur eo nomine infames, caedem obarment. Nam ex illa opinione iam non raro pullularunt multorum oppidorum excidiones.

Alia deinceps maleficia.

5. Obducta per eos dies fronte et altero supercilio ad mentum depresso, incedebat Imperator, existimans hac Patriarchae in eos, quos veneficos diceret, animadversione, suum regnum funditus ire pessum, intestinis iam iam inter laesos ac laedentes dissidiis dissipandum; nullum aliud clam nocendi genus esse, quam veneni, si quod

Veneficos esse fateri nolunt Abassini ratione status.

aliud apportasset, duos Deos, alterum bonorum, alterum malorum auctorem, cum Manichaeis introducere; imo quemlibet hominem deum efficere, si, pro arbitrii sui libidine, quos vellet vita vel morte donare posset. Erant qui adiicerent Romanan fidem melle prius labra perlinere, sed postea felle ac veneno tumescere, nec fore qui deinceps illius doctrinae et concionibus aures praeberent. Vir etiam erga illam non male affectus Patriarchae et patrum se misereri dicebat, quod litteris ac virtutibus exculti, in tantum volutabrum laberentur, ut esse veneficos censerent. Illa enim status ratio apud eos increbuit, ut ad pacem inter populares servandam, maleficorum dolos et artem in Aethiopia grassari inficientur; et ita illis solis impune liceat homines occidere, et laesis *capitale sit, cuiquam nomen illud expro- f.131,v.
brare, cum bono communi damnosius sit plures a malefico supplicii securo clandestine opprimi, quam aliquos ab adversariis poenae metu retardatis, apertis impugnationibus petitos occidi.

Probat Patriarcha veneficos esse.

6. Privatis cum Imperatore et multis procerum congressibus et scripto ea de re tractatu, conatus est Patriarcha quaestionis difficultates enodare, ostendens inauditum non esse veneficorum nomen nec in sacris litteris nec in Aethiopia, in qua olim intra Goiamam magistratus extiterit qui diceretur Budâ Ras, id est, illorum caput et iudex. Divinos codices, et concilia infinitis locis veneficia et incantationes prohibere, et maleficis capitis poenam proponere. Quid vero vetarent, quod nusquam esset, aut iis, quos vita non aleret, mortis poenam interminarentur? Solis verbis absque ullo veneno Aegypti magos virgas in serpentes et aquam in sanguinem convertisse, et nuda illorum prolatione Balaamum Dei populo nocere volentem, ab eo prohibitum, qui hoc insigni beneficio adscripserit. *Balac filius Sehor misit et vocavit Balaam filium Beor, ut malediceret vobis, et ego nolui audire eum, sed e contrario per illum benedixi vobis et liberavi vos de manu eius* (1). Nullum aliud hic apparet, quam linguae mala imprecantis venenum, e quo tamen a se dixit populum suum vindicatum. Haec tamen liberatio et prodigia inania essent nisi magorum et veneficorum verbis ad ea patranda vis aliqua subesset, quae cum divina non sit sed Deo adversa, et humanam transcendat, reliquum est ut principis tenebrarum sit potestas. Si veneficia in aliarum regionum agris luxuriant, cur illorum immunis sit Aethiopia, quam nec invidia, nec curiositas, illorum altrices, destituunt?

(1) *Ios.*, 24, n. 9.

Si parentum vitia in filios transeunt, cur non in gentem aethiopicam, quae se a Cham progenitam fatetur, haec illius contagio cum ipse dicatur primus magiae repertor et illius praecepta aeneis laminis, et lapideis tabulis incisa, ne diluvio perirent, in arcam intulisse, ne illud generis humani asylum hac peste careret? (1). Non minus certo suam originem in Jerosolymam Abassini referunt, cuius incolas Isaias
f. 132. vocat *filios auguratricis* eam*que dicit gravissime puniendam propter *multitudinem suorum maleficiorum* (2).

Probat ex domesticis eventis.

7. Cum res oculis patent (addebat Patriarcha) quid opus est aliunde probationes laboriosius rimari? Quid nostrae domi acciderit considerate. Quamvis adolescens ille, qui duobus vini poculis a fabro ferrario e mentis statu fuit deturbatus, a multis ebriosus putetur; crapula, ubi obdormitur, evanescit. Illius furoris magna fuit diuturnitas. Ebrii quod ante pedes est non vident, adolescens ille fabrum, non post unum tantum, ut linceus, sed post triplicem parietem, intuebatur. Illi vinum et cum illo escas, quae per os sunt ingressae, nonnumquam evomunt; iste pannum et carbones ab stomacho provolvit, sicut alii clavos et nummos: quos quis introrsum occultis meatibus inducere poterat, nisi daemon? Unde tabificae illae caeterorum aegritudines, cum nec febre calescerent, nec frigore rigescerent? Ad illas depellendas quae placentae ab aegra conditae? Quae sputi et tactus sagae virtus? Caecum a nativitate Christus sputi et luti applicatione sanavit quia *in nomine patris sui venerat*, et in eo et virtute ab eo derivata opera praestabat (3). At illa praestigiatrix in nomine regis Abollae, id est daemonis, per quod iuravit, et ad cuius invocationem Deus opem non erat collaturus. Quid cinis aqua maceratus ad illam expiationem? Unde insanientibus tam certa occultatae medicinae conquisitio, inventio et obsequium erga mendicantem? Nugae sunt haec omnia et certissimum impliciti cum daemone pacti, tam in morbis inferendis, quam in tollendis, argumentum. Daemon enim, qui sub *umbra dormit in secreto calami* (4), umbriatiles semper et arundineas exercitationes diligit, et inanibus contentionibus se libenter, nedum invitatus, immiscet. Cum igitur omnia superiora nec divina potentia nec hominibus innata nitantur, planum est illam a daemone mutuatam. Convicti dictorum evidentia, eodem revolvebantur, ut centies dicerent Patriarcham et patres duorum deorum esse formatores; et magos aliquando fuisse, sed iam e mundo, si

(1) Cassian., collat. 8, cap. 21. — (2) *Isai.*, 47, n. 9 et 57, n. 3. — (4) *Ioan.*, 9, n. 6; *Ioan.*, 5, n. 43 et 10, n. 25. — (4) *Iob.*, 40, n. 16.

non ab aliis orbis partibus, certe ab Aethiopia stirpitus excisos. Etsi igitur tempori numquam serviendum, tunc tamen tempori fuit tacendum, quia doctrinae semen, ubi aures *ex compacto sunt occlusae, cordi non traditur, sed profunditur. f.132,v.

Agitur de missis pristinis revocandis.

8. Tam praeclara occasione usi, qui immunita et convulsa rimabantur, ut antiquis erroribus suscitandis viam sternerent, Imperatori suaserunt, ut a Patriarcha potestatem extorqueret, ut initiati ab eodem sacerdotes usitatis antea liturgiis operarentur. Sic enim multorum animos pacandos, existimantium ad illarum numeros priscam suorum fidem redire, aut recentem ab illa non dissidere. Id cum vera fide neutiquam certare, praecipue si, qui errores illis essent adiecti, Patriarchae spongia delerentur. Summe id consilium cepit Imperatorem eaque de re iam ante duos annos egerat cum Patriarcha, valde tunc obnitente, cum perspiceret eam petitionem, non in tranquillandos, sed irritandos supplicantium animos collimare et experientia ante mille annos in quinta synodo generali, cum de tribus capitulis in aliquorum haesitantium gratiam moderandis actum est et in Henotico Zenonis Imperatoris edicto, quod pacem nomine, re bellum gessit, evidens documentum posteris reliquerit, ut vir magnus admonuit, *nihil contra fas haereticis concedendum sub specie conversionis ipsorum, quia ipsi tunc minime conversi et orthodoxi invicem et ab illis immani schismate sunt divulsi* (1). Potes enim ignem tectis et satis non admovere, non vero furentem restinguere: saxum e monte non devolvere, non vero iam devolutum in medio cursu cohibere. Nec fas esse, dicebat Patriarcha, occasionem praebere ut putetur antiquam fidem redintegrari, aut veterem recentemque confundi. *Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial, aut quae pars fideli cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis?* (2). Eleazarus omnium virtutum ornamentis condecoratus, non solum sua aetate et institutione indignum existimavit in alienigenarum vitam transire, sed etiam ut transire ab adolescentibus putaretur (3). Ita aequalis est impietas in reditu ad veterem perfidiam, et in confirmanda illius reditus opinione, quamquam falsa sit, et in ea, qua credatur, utramque fidem eiusdem esse medullae ac coloris. Minus est lucis a tenebris, quam Romanae fidei ab Alexandrina dissidium.

Rationes in contrarium a Patriarcha adductae.

(1) Baron., tom. 7, anno 553. — (2) 1 *Corinth.*, 6, n. 14. — (3) 2 *Mach.*, 6, n. 24.

f. 133. *9. Praecedenti anno Patriarcham ut annueret valide fatigaverat Imperator, sed tunc paululum refrixit, monente prorege Cabâ Christôs indecorum ipsi esse, si videretur ad Lastensium rusticanorum motus ab inviolabili fidei suae tenore discedere. Sed ubi illum extinctum videre, perfidiae advocati ferocius Imperatorem pressere ut veterum liturgiarum instaurationem curaret: in eis situm esse totum imperii firmamentum, ipsiusque conservationem ab hoc uno filo pendere. Sed cum hostes hastam semper longius protendant, punctum de sabbati ieiunio in feriam quartam transmovendo, eiusdem popularium tranquillitatis obtentu, addiderunt. Rem utramque enixissime a Patriarcha contendit Imperator, qui respondit, si res integra et infracta esset, se nihil addubitaturum, sed, cum ieiunium iam a feria quarta in sabbatum inmigrasset, priusquam ipse in Aethiopiam illatus esset, et is dies magis esurialis esset ob Christi Domini sepulturam et Beatissimae Virginis atque Apostolorum solitudinem et sollicitudinem, et romanae missae iam tunc essent in aethiopicum idioma conversae, et ab ordinatis sine ulla difficultate admissae et celebratae, inhonestum videri faciem retro inflectere, et si non re, saltem specie ad vomitum redire; strenuos fideles debere se ad ea, *quae priora sunt extendere* (1), earum vero, quae a tergo relicta sunt, oblivisci. Tanta tamen fuit vis et instantia, ut rem mature pensitantibus visum fuerit portas, nisi ultro panderentur, violenter perrumpendas et differre, num convivam voces, an patiaris, ducas, an traharis.

Actum etiam de ieiunio quartae feriae.

10. Igitur aethiopica liturgia, quae in veterum patrum bibliotheca latine excusa visitur, et aliae huic genti familiares a mendis perpurgatae in castrensi templo prima paschatis octava decantari coeperunt, sed brevi fuere fastidio, et quod prolixae essent et quod multis viderentur sine communione sub utraque specie, ieiunae. Est enim varium et mutabile semper monstrum haeresis quae nauseante stomacho priora fercula semesa relinquit, et immodicis subinde novorum desideriis superfetat. Patriarcham ea die Dancazio Gorgorram digressum, ut novum templum lustraret, quod diu erat cum non vi-
f.133,v. derit ma*levolorum linguae et calami sunt consecuti. Dicto enim et missis in diversa epistolis, pervulgarunt, fidem novatam et Patriarcham Gorgorram in vincula dimissum. Et iam prius sparsus de fide mutanda et antiquis liturgiis revocandis rumor, clericos aliquos haeresis stipendiarios excitaverat ut incorrectis uterentur. Quia cum

Missae pristinae a Patriarcha correctae.

Vulgatus rumor de Patriarcha vincto.

(1) *Philipp.*, 3, 13.

apud eos falsitas pro veritate colatur, verum et falsum eadem lance pensitant; imo pluris apud eos est falsitas, cum frequentius veritati praeferatur. Multo plures hac impunitate invitati Pascha suo ritu, eoque vero admodum absono, celebrarunt, quin promulgatis a Patriarcha anathematis continerentur. Sic autem toto errant coelo, ut anno 1625, illud ultra mensem a nostro, anno 1630, dominica in Albis, anno 1633 prima die maii peregerint, cum nostrum esset vigesima septima martii transactum. Et cum, ex concilii Nicaeni praescripto, agendum sit a decima quinta luna ad vigesimam primam, illud aliquando tunc ducunt, cum ipsa pergit interire, et ut dicebat Imperator errantes aperto cunctis testimonio convincit.

Onguelavi incestis et adulterinis nuptiis rem catholicam turbat.

11. Horum temporum calamitatibus illud accessit, quod regia filia Onguelavi et ipsius procus sisyphium illud suarum incestarum et adulterinarum nuptiarum saxum (illa enim virum secum conviventem habebat, et alium prope, a quo falso impotentiae titulo diverterat, qui iam ex alia superducta liberos genuerat: ille vero ipsius germanam duxerat) Patriarchae humeris versandum imponere bis et tertio, totis castris emotis, et promisso quantocumque ipse praefinisset auri pondere, certarunt et nisi in portas aeneas et columnas adamantinas impegissent, quidquid vellent impetrarent vel extorquerent. Et licet firmi catholici hanc constantiam mirarentur et collaudarent, personati duritiem vocabant: fremebant et eas comminationes concipiebant, quas postea pepererunt. Renuunt enim infractum erga omnes evangelium, sed aliud in pauperes immotum fingunt, aliud mitius et flexibilius divitibus affingunt.

Imperatoris et aliquorum catholicorum in his motibus constantia.

12. Inter has iactationes multorum catholicorum ad Patriarcham et patres confluentium et consilium nunc poscentium, nunc praeben-
*tium et ipsius Imperatoris insignita constantia effulsit. Cui cum di- f. 134.
ceretur aliquando, ipsum vita periclitari, nisi a se Romanae fidei sectatores disiungeret, respondit tanti se iugulum suum facere quanti filum, quod tenui impulsu frangitur, idque se absque ullo doloris sensu ob fidei honorem gladio oblaturum. Iterum cum probatissimae vitae et doctrinae senex, Abba Marcâ, ipsius quondam magister, eum his verbis moneret: Perspecte velim confideres solam Romanam fidem sanam esse ac veram; te pro ea toties pugnam commisisse, et vitam ac coronam discrimini obtulisse: id unum restat, eam ad ultimum vitae spiritum incorruptam tueri; ille tunc, boni senis manu exosculata: Hoc, inquit, a tanto magistro consilium praestolabar; scias, optime praeceptor, hanc mihi fidem in arcano cordis scrinio esse re-

conditam et Deo favorem suum porrigente, in ea mihi vivendum et supremum diem terminandum.

13. Nihil de observantia erga Patriarcham, quovis secundo aut tertio die ad se itantem, nec in patres de solita benevolentia remisit, obvias semper pandens aures, et fores, etiam cum coeteris claudebantur. Fuit qui diceret, in Aethiopia Imperatorem non esse aethiopicum sed romanum. Sed carum blateranti dicterium evasit. Excommunicationis mucronem in quemdam Principis militem ob ecclesiae fundos iniuste occupatos Patriarcha distrinxit. Filium statim monuit Imperator, ut eum hominem, Ecclesiae et Patriarchae refractarium, domo exturbaret et militari annona privaret. Quae duritas militem ocyssime emollivit et Ecclesiae reddidit obsequentem. Die dominica post Patriarchae concionem Imperatore audiente, quidam ex dynastis dixit: Magno se scelere devinciet, qui hos (Patriarcham et patres intelligens) neci devovebit. Hos? (ille ait) qui eos tetigerit, mihi prius manum est illaturus.

Imperator nihil de benevolentia erga Patriarcham et patres remisit.

14. Quiddam per eos dies accidit, quod aliquibus visum est ludicrum, sed seriis pestiferae nequitiae suppuratum. Ignotus infimae sortis homo, ab aliquo haeretico (ut licet coniicere) subornatus, in septa et
f.134.v. *aulam Imperatoris irrupit, magnis clamoribus obtestans, ut in illius auditionem admitteretur, magnae se molis nuntium a Deo et sanctissima ipsius Genitrice apportare. Dolum subesse Imperator intelligens, iussit hominem aula excludi, et quid vellet a senatoribus rogari. Respondit: Ante tres dies in vitam redii, cum eatenus in paradiso conquiescerem. Inde me Deus in mundum cum his mandatis emisit. Audi, Imperator: a multis annis tibi conniveo et vitam prorogo ut inconsulto factum retractes et avitam fidem a te damnatam restituas et romanam ab imperii finibus expellas. Per totum hoc tempus Beatissima Virgo, Dei genitrix, flexis ante filium suum potentissimum et clarissimum genibus perdurat, summis precibus obsecrans, ut tibi ignoscat et cereum cor praebeat. Ne punctum igitur moreris, sed Dei iussa maturato. Si enim quidquam cunctationis interponas, scias te a Deo ante duas hebdomadas quam gravissime plectendum. Audito per iocum et deridiculum nuntio, rursus quaeri praecepit Imperator, quibus medicamentis a tumulo ante triduum excitatus, et ab umbrarum consortio regressus, non ossea esset forma, sed corpore bene curato et succulento. Tunc ille: In paradiso (forsan Mahometico) versabar, ubi nihil desiderabatur, nec placentae, nec vinum, nec uvae, nec mala persica, nec crustula,

Iocosum nuntium summae nequitiae index.

nec bellaria, sed ubertim fluebat perennis omnium esculentorum et poculentorum scaturigo. Post calaphos et pugnos veteratori a senatoribus impactos, ait Imperator: Ito et iis, a quibus missus es, annuntiato, eorum me verba non audire nec consilia morari, sed in fide Romana vitam acturum et positurum. Tunc ad senatores: Ut responsum cito ad alterum, a quo impostor hic se missum dicit, orbem deferatur, statim illius ex praecelsa arbore suspensi guttur laqueo frangatur. Obstitere tamen qui aderant, misericordiam de more gentico, insaniae allegatione, deprecati. Verum ut rediret in sanitatem, illius tergum redditum est ad Imperatoris edictum, flagellorum vibicibus ostreatum.

f. 135.

CAPUT XVIII.

Varia belli fortuna inter imperatorios et Lastenses.

1. Annum sexcentesimum trigesimum, bello suis ducibus commisso et ancipiti fortuna tractato, Imperator et tyrannus lastensis in suis stativis et hibernaculis contriverunt. Is a multis regni Tigraei primatibus per epistolas admonitus fuerat, nulli se praeter ipsum, regi parituros et ubi eiusdem vexilla conspicerent, conglobatim ad ea transituros. Quibus pollicitationibus lactatus cum proregis nomine illuc dimisit filium famosi, sub Zadenguile, Iacobo et ipsomet Seltan Segued, proditoris Zaselasse. Qui, ut facile in natos parentum vitia cum sanguine transfunduntur, ubi prima defectionis huius aura Imperatoris castra perflavit, eo velocissime transfugio se intulit. Crebro enim nobis dicebat Imperator, singulis suorum in ortu vermiculum innasci, et ubi grandescat et cerebrum inscendat, illico proditionem parturire. Regnum illud cum eodem titulo ab Imperatore collato administrabat Asca Gueorguis, corporis quidem viribus excellens, sed Tigraeis parum popularis et ideo circa ipsum ingens militum solitudo, cum duobus tantum suorum familiarium manipulis et totidem phalangibus sibi ab Imperatore assignatis, cingeretur. **Annum 1630 Imperator et tyrannus in stativis transegerunt.**

2. Tyranni prorex numerosum exercitum ducebat et tanta fidentia quacumque liberet, incedebat ac si missus non esset ad obsistentes debellandos, sed ad iura danda debellatis et ut ab aliis partorum fructibus saginaretur. Die sabbati, quae illis non minus est **Tyranni prorex a Tigraeo vastatur.**

quam dominica genialis, intentae erant illius copiae, ut cibo se infercirent et in vinum non avare ingurgitarent, cum subito se infinita vi militum a duobus Imperatoris generis, et alio dynasta, ipsi plurimum obstricto, collecta circumfusas vident, et a Tigraeo prorege ab iisdem praemonito, ut condicta hora, diversa qua ipsi, parte aggrederetur. Repentinus incursus rusticanis omne consilium pervertit, et solius fugae praesidium et spatium reliquit, sed ei non tam festine se dederunt, quin supra quater millenos sint prostrati et in sepulchris con*cupiscentiae ut quondam Israelitae, tumulati. f. 135, v.
Novus prorex (quia proditores tergo quam fronte notiores esse solent) pernitium equi ungularum beneficio salutem sibi paravit. In manubiis praeter hastas, scuta, et iumenta oneraria, nihil expetendum. Magni tamen aestimata duo et triginta paria bellicorum tympanorum quae hostilis exercitus multitudinem ostendunt, cum illis hi tantum duces utantur, qui minimum quatercentenos milites agunt sub vexillis. Maior tyranni aeconomus captus et ad Imperatorem missus.

Sano consilio a se suscepto hanc victoriam tribuit Imperator.

3. Eodem sabbato e Ganetae palatio, ubi tunc commorabatur, Imperator egressus, in patris Ludovici Azebedii, male tunc affecti, ut apud ipsius aures crimina deponeret, domum descendit. Post expiationem, quod tapes non esset, in tegete considens, sana aliquot concilia audiit, quibus optimus senex illum, data occasione dirigebat: inter quae illud, ut Za Christôs filiae suae Onguelavi, de qua saepius actum, rivalem, ob manifestam utriusque impuritatem, aulae finibus excuteret. Paruit Imperator et, cum post octo dies huius victoriae nuntium advenisset, eam Deo acceptam retulit in praemium factae illa die confessionis et salutaris consilii a patre sibi porrecti et executioni a se mandati.

Tyrannus de Lasta deserenda cogitavit.

4. Tyrannum Melcâ Christôs graviter tantae cladis nuntium exulceravit et animo sic debilitatus et inops consilii remansit, ut Lastensium suspiciosus, de tutiori Amarensium rupium asylo cogitaverit, ubi sciebat multos esse sui impense studiosos. Consilium tamen illud posthabuit postquam certo agnovit Ras illic hibernacula transacturum. Nec falsus fuit animi, si enim eo se conferret, eodem fato incursaretur quo Madrakal, unus ex fidissimis ipsius cultoribus, quem, cum ibi se cum multis rupe fortissima tutatus esset, Ras inde, omnibus pene caesis, deiecit, ipse vero aliquanto fortunatior ex illa se praecipitem agens, vitam servavit, quam multi sociorum amisere.

5. Laetam hyemem praeteritae victoriae et tyranni cum rusticanis in nidum suum compulsi commemoratione duxit Imperator et consultans, quod optimum esset eos debellandi genus, sedit, segetes *ad montium radices satas ubi lactescerent, necdum maturarent, desecandas, ut rusticani, iis consumptis, quae inter rupes provenirent, ad plana fame traherentur, et ibi, cum iam exigui numero essent, a suo equitatu caperentur. Ad rem disponendam media hyeme Ras Selâ Christôs admonuit ut, illa exacta, se in earum rupium confinia inferret et segetes devastaret. In ipsa vero tempestivitate principem Dancazio cum ingenti exercitu dimisit, praecipiens ut quantocius cum Sarsa Christôs, illius ditionis prorege, conveniret, et ambo, partitis territoriis insomnes magis quam pervigiles, in eam excisionem excubarent. **Optime consultat Imperator.**

f. 136.

6. Consilium perspecte fuit excogitatum, sed ad effectum segniter provectum. Ras enim, cum a destinato loco longius abesset, quamvis primus, serius tamen quam poscebat negotii articulus, accessit. Principem, et proregem Bagamedrinum, corpore et spatio propiores, suus animus desidendo et procrastinando assuetus, tam procul statuit, ut, cum montium crepidinem tenuere, collectum iam esset a rusticis frumentum. Quod illi additum quod montes uberrime fundunt, abunde annonam in totum annum suppeditavit. E contrario in imperiales ea retorta est sagitta, quam in hostes collineabant, cum enim tenuis plerumque sit in Aethiopia magnorum exercituum commeatus, tanta pressi sunt cibariorum egestate ut plures fame ceciderint, et coeteri longe a montibus recesserint, et ulterius perpendentes frugi non esse suam permansionem, dimissis copiis, Dancazium sint reversi. **Sed consilium segniter datum executioni.**

7. Intimus ob istam indiligentiam dolor Imperatorem lancinavit, sed cum multi Ras Selâ Christôs aemuli ipsius latera vallarent, ignemque in eum sine intermissione subiicerent et nutrirent, noxa depulsa est a Principe, iuventutis excusatione et a Bagamedrino prorege, eiusdem advocatione, et quia communis erat utriusque causa, ea tota in immerentem collata. Mitiores enim sunt in strenuos duces hostium gladii quam aulicorum linguae et proclivius est armatas pugnatorum manus, quam inermem invidiae maledicentiam domare. Haec vero cum Basilide adolescebat, eique *alte infixum erat, ex patrui extenuatione suam pendere granditatem. Fratrem gravate suscepit Imperator et ingentes contra ipsum criminationes excudit, quas iussit a senatoribus obiectari. Ipse vero illas plenissime discussit et **In Ras Selâ Christôs culpam aemuli convertunt.**

f. 136, v.

gratiam Imperatoris obtinuit, quamquam, ut nobis visum est et tempus ostendit, ambiguam et simulatam. Etsi enim Patriarcha et patres saepius illius aures repetitis orationibus obtudissent, deprecantes, ne illas Ras obtrectatoribus patulas praeberet, quorum unicum esset studium fratrum animos diversos agere, ut fidei et imperii vastitatem negotiarentur, et ipse dictis se assentiri non obscure indicasset, conceptum pectore venenum die altera, postquam ex castris egressus est Patriarcha, evomuit, Gojamensis praefecturae versura ab eo rursus in Sarsa Christôs Bagamedrinum proregem facta et militibus ac praediis potioribus in Principem transmissis, ut Ras vix haberet quo famem sedaret, aut cum quibus pro imperii incolumitate pugnaret. Pugnant tamen hostiliter contra se principes, dum fidis ac fortibus palpatores praeferunt, sic enim horum perfidiam corroborant, et in illis imperii nervos succidunt.

Goiama illi iterum eripitur et in Sarsam Christôs transfertur.

Patriarcham etiam et patres pungebant.

8. Nec vero hi lolii et avenae consitores Patriarchae et patribus parcebant, sed Ras et illos in eumdem fasciculum colligabant. Negabant enim illum de commodis imperii quidquam sollicitum esse, sed sua et suorum liberorum lucra, patrum favoris securum et auxilii Lusitanorum negotiosum, agitare. Patres, non templa, sed Lusitanis illico venturis arces, a quibus excludi nunquam possint, moliri. Et mille alia deliria suspicaci cerebro obtrudebant, quae ipse, cum sereno esset animo, pernoscebat, sed cum turbido, titubabat; cum ab anno quinquagesimo septimo praeteriti saeculi, quo huc pedem intulit patriarcha Ovietus, tanta sanctitate et prudentia praesignis, ipse, et omnes ipsius socii et patres eos insecuti, et ex imperatoribus Zadenguil, Iacobus, et ipsemet Socinios per totos viginti annos, unanimi consensu iudicaverint, absque aliquo Lusitanorum caemento Romanae fidei substructionem non posse in aethiopica arena solidari. Nec Ras quid*quam his adversum in mentem subibat, aut f. 13r.
sibi aut filiis maiores honores optabat, quam quos illi ultra viginti annos insignita ipsius virtus et militaris prudentia coacervaverat. Sed tot erant criminatores, a quibus Imperator identidem adversus illum pulsabatur, ut facilem mentem a sua sede et statu dimoverent. Et ista non minima fuerit ex catapultis, quae fidei et imperii stationes deiecerunt.

CAPUT XIX.

Episcopi Nicaeni in Aethiopiam ingressus; et iubilaei plenissimi, quod secum intulit, publicatio.

Episcopi adventus et in Patriarchae domo convictus.

1. Nicaeno episcopo Iacobo Sicco, Patriarchae coadiutori et futuro successori, cum eodem ex Lusitania eisdem navibus egresso et in mari post quadrimestrem cursum extincto, suffectus Apollinaris Almeida Patriarchae prius auditor, tunc autem divinorum codicum in Eborensi academia professor, anno 1628 in Indiam vela dedit; sed reflantibus ventis, retrocedere compulsus, viam anno proximo redintegravit in praetoria navi Michaelis a Noronia comitis Linariensis, a Rege, ut sua vice fungeretur, in Orientem destinati. Illum prorex ob virtutis specimen, sapientiam et miram ingenii suavitatem honorifice semper et opipare tractavit. Octobre ad exitum inclinante, Goam die martii decima sequentis anni Dium prehendit. Vigesima quinta cum p. Iosepho Girocho neapolitano, infatigabili operario, et Emmanuele Macro Patriarchae capellano navem in Erythraeum mare conscendit et cum Suaquenum in littore aethiopico scopum sibi praefixisset, ventorum improbitate in Camaranum Arabiae adiacens quinta die maii est illatus, unde vigesima quinta iulii discedens, augusti decima Mazuam, vigesima quinta Fremonam et decima sexta decembris Dancazium pervenit, non multis equitibus, qui tunc illuc degebant, in occursum prodeuntibus, cum coeteri contra Lastenses processissent. Eadem die Imperatorem invisit,

et Lusitaniae Regis ac Indiae proregis epistolas et tenue, sed gratum, de rebus indicis xenium obtulit et ab eo fuit iucunde ac benevole exceptus. Post dies quindecim in Patriarchae domum, ipsi ex aequo praeparatam, se recepit, ubi a praeteritis laboribus recreatus ad venturos et iam iam imminentes modico tempore prolusit.

Episcopus suam et alias epistolas e Camarano praemisit.

*2. Ubi episcopus Camaranum tenuit, priori navicula, quae inde profecta est Mazuam, Imperatorem et Patriarcham sui adventus et periculi vel vitae, vel libertatis certiores fecit, obtestatus ut auxilium, quod armis parari non poterat, orationibus a Deo quaereretur et ipse praesentissimum est expertus, brevi praeter spem omni discrimine expeditus. Suis litteris eas adiunxit, quas in India et Lusitania collegerat et in his Romae scriptas, non solum a reverendo admodum patre Generali Societatis Iesu sed ab eminentissimis Cardinalibus, ipsoque totius Ecclesiae Pastore, ad Imperatorem, Principem et Patriarcham. Prae coeteris pontificiae providentiae monumentis missum est plenissimum anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti iubilaeum, Romae tunc promulgatum, et cum iisdem immunitatibus in Aethiopiam extensum. Suae Sanctitatis epistolam a Patriarcha productam, et a patre Emmanuele argenteo malluvio oblatam Imperator in pedes assurgens accepit et vertici imposuit eidemque legendam tradidit, lectam summo loco habuit, et sententiarum ac styli gravitatem demiratus, in vernaculum idioma transcribendam curavit. Tunc iubilaeum Patriarcha deprompsit et incise inclusos in eo thesauros, illorumque veritatem explicavit. In aliquos autem, ex primaria nobilitate et muniorum amplitudine, clam mussantes et forsan cum Pharisaeis dicentes: *Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Imperator asperatum gravi severitatis pondere vultum modice inflectens: *Qui,* inquit, *dictis a Patriarcha non credit, evangelio fidem abrogat; qui vero credit Petro Christum dixisse: Tibi dabo claves regni coelorum, et solvendum in coelo quidquid ille in terra solvisset, credere tenetur posse Romanum Pontificem ipsius successorem indulgentias largiri.* f. 137 v.

Iubilaeum indicitur.

3. Iubilaei in aethiopicam linguam conversi exempla et illius lucrifaciendi normam ad omnes patrum residentias, variis regnis dispersas, Patriarcha transmisit, et ubique fuit magno catholicorum concursu et pietate susceptum. Ne tamen eamdem saepius incudem tundamus, membratim tantum, quid Dancazii et in hyemalibus castris Ras Selâ Christôs in regno Amarensi actum sit describetur. Indicebatur in sacro illo diplomate, ut ad iubilaei divitias obtinen-

f. 138. das, con*fessio et sacra communio iniretur, et per quindecim dies vel continuos, vel intermissos, quatuor ecclesiae, vel una tantum, a Patriarcha singulis invisendae deputarentur. In curia designatae duae regiae, Ganjabet, Beatae Virgini sacra, ad illius dexteram; et Iesu nomini adscripta, ad laevam semper locatae, quibus addita duo minora patrum et Patriarchae, sed publica, oratoria. Decretumque ut promerendi iubilaei tempus a die Assumptae in coelum Virginis ad ipsius Nativitatem protraheretur quae aliis annis in primum diem anni Abassinorum incidit, excepto intercalari, qui nostrum per sex menses et semissem antecedit et in diem sequentem, quae nobis est nona septembris, emovetur.

4. Quo die Dancazii coram Imperatore, curialium flore et confusa multitudine, promulgatum est iubilaeum, de illius nomine, efficacia et divitiis Patriarcha luculentam habuit concionem, late exponens et multis testimoniis confirmans, esse in Ecclesia catholica thesaurum inexhaustum ex infinitis Christi Domini, Beatissimae Virginis et aliorum sanctorum meritis, ipsorum solutioni minime necessariis, redundantem; illiusque claves ut eum possit indulgentiis expendere, commissas esse Romano Pontifici, Dei vicibus in terra fungenti, quod ipse legitimus sit divi Petri successor, a Christo earum custodis et dispensatoris constituti, ostendens simul quot et quanta emolumenta in fideles ex uberi indulgentiarum distributione diffundantur. Idem institutum patres multis concionibus per illos dies habitis docte et constanter sunt prosecuti. Per totos quindecim dies Beatissimae Virginis nativitate anteriores, praecedente longissimo et elegantissimo Iesu nominis vexillo, cum honesto et modesto comitatu ad lustrandas quatuor ecclesias decantantis [*sic*] per plateas litaniis et intra illas lugubribus aliquibus ad animi dolorem excitandum versiculis, Patriarcha processit. Imperatorem quoque non puduit pedestrem, et cunctis proceribus associatum, iter idem suscipere, cum plateae cruda adhuc hyeme caeno essent oppletae. Seniori vero fratri Ras Emana Christôs a pedibus gradiendi insueto, monenti, ut unius ecclesiae ingressu contentus esset, dixit: Si fessus es, domum perge, nec amplius, me comitando, delasseris. In his enim quae ad meae animae salutem spectant, quid mea intersit non ignoro.

Quid iubilaeum esset aulicis exacte declaratum.

5. Novendiale sacrum totidem ante Virginis nativitatem luci-
f. 138, v. *bus a Patriarcha celebratum, adhibita plurium vocum et instrumentorum symphonia, ipsoque vel aliquo patrum, ea finita, concionante et multis se peccatorum sarcina ad confessarii aures exone-

Novendiale sacrum praemissum.

rantibus et sacro pabulo roborantibus, quorum frequentiam sua praesentia exauxit Imperator, qui per eos dies bis vel ter coelesti epulo est refectus.

Solemnis supplicatio numquam ante visa in Aethiopia.

6. Die dominica, quae Virginis ortum praecessit, ad quatuor illa templa iubilaeo comparando delecta, solemnis supplicatio et qualem nunquam videre Abassini, est decreta. In ea tres insignium coenobiorum magistri tria vexilla sanctorum imaginibus phrygiata; unus ex patribus grandius Christi Domini e cruce pendentis simulacrum, Patriarcha vero inclusam in aurata argenti theca mirifici ligni particulam sub umbraculo ad pompae calcem deferebat. Tres musicorum chori praecedebant: primus omnium castrensium ecclesiarum simphoniacos, secundus ex patrum seminariis collectos, tertius lectissimos Patriarchae cantores numerabat. Ex illius delubro egressa supplicatio, prius in patrum sacellum, postea in fanum Ganjabet excurrit, et tandem in Iesu templo conquievit. Ad tam sacrum et insolitum spectaculum Imperator cum tota nobilitate et multitudine excitus, in occursum procurrit, et Patriarcham sermone illi pompae apposito colophonem imponentem audivit. Quo absoluto, aulicum Imperatore in palatium tendente, iubilaeum et appetentis anni auspicia, laeta ferrearum fistularum displosione, et equestribus in atrio domus regiae, quod vastissimum est et planissimum, excursionibus, celebrarunt. Ubi princeps Basilides visus est equitandi peritia et agilitate omnibus anteire, illorumque in se oculos, parentis potissimum, in eo se, tamquam in speculo contemplantis, convertisse.

Ras in Amarensi regno in iubilaeo suscipiendo se non passus vinci.

7. In opulentissimo sancti huius et inaestimabilis iubilaei thesauro magnifaciendo et debitis laetitiae demonstrationibus honorando Ras Selâ Christôs haudquaquam se passus est ab ullo superari. Et quamvis longe dissitus esset a curia et a domo et hyemem sub pellibus transigeret, cum secum haberet p. Ioannem a Souza et plures monachos et clericos mysteriorum fidei peritissimos, et pater repetitis in singulos dies concionibus explanaret quid esset iubilaeum et quam vero animi dolore et peccatorum detesta*tione illud per- f. 135 cepturi se deberent ad confessionem et communionem et ad excipiendas exuberantes plenae indulgentiae divitias perpolire, maximus fuit omnium ad frequentandas per totos quindecim dies ecclesias et divina mysteria participanda ac obtinendam illius gratiam confluxus.

Militares ob iubilaei gratiam excursiones.

8. Die quadam, qua Ras se pluribus militibus, quos ante dimiserat ad annonam pervestigandam et vitandas pluvias ac frigora,

quae inclementi adhuc hyeme saeviebant, cinctum vidit, bellicum cecinit et tam pedites quam equites vestibus festivis indutos et belli signo intentos, ac tredecim manipulis divisos, fastosa prolusione in campum eduxit, eosque solertissimus ipse exercitus metator et equitum magister, nunc latis ordinibus exponebat, nunc quadratis includebat, nunc in triangulum, nunc in unicum mucronem cuneabat. Erecti in coelum montes, et depressae in tartarum valles horrendo tympanorum ac tubarum strepitu, aurae vero laetis omnium vocibus resonabant, magna contentione clamantium: Romana fides sancta et incorrupta et sanctissimus Dominus noster Urbanus, singulari Dei beneficio, Pontifex octavus, vivat, vivat.

9. Post longos flexus et glomerationes summae alacritatis indices eos in unicam cohortem Ras conglobavit, et medius ipse, equo insidens et hastae incumbens, ac vultu laetitiam spirante, recensere coepit victorias quas suis auspiciis Deus annuisset: *Quas,* inquit, *congruum et superfluum est enumerare cum inter commilitones loquar, quorum plures earum non spectatores fuistis, sed consortes; et vestrorum brachiorum robore, animo et sanguine tantam vobis et mihi gloriam peperistis.* Quas cum summatim percurrisset, adiecit: *Has tot et tam insignes victorias spectatis? Haec tam opima Dei beneficia perpenditis? Scitote tamen omnibus longe istud antestare, quod a munifica sanctissimi Domini nostri Urbani papae octavi manu hoc temporis accepimus, coelestes thesauros a mille sexcentis et triginta annis nobis obsignatos, Aethiopiae, nunc expandente, quam nunquam similis indulgentiae et iubilaei profluentia inundavit. Ob quam nobis summis laetitiae motibus exiliendum et triumphandum et vobis in grati animi significationem commendatum facio et com-*

Concio Ras Selâ Christôs in illius gratificationem.

f.139,v. *precor (neque *enim ducem dedecet parochi munus aliquando obire, nec milites precibus in pace bellari) ut per dies quindecim continuos pro S. Sanctitatis incolumitate, pro catholicae fidei propagatione et excelsitate et pro imperatoris Seltan Seguedi domini nostri vita et felicitate quinquies dominicam orationem et toties angelicam salutationem recitetis. Vestra tandem corda et capita in amplexum et defensionem Romanae fidei devovete. Hoc enim si a vobis syncero ac defecato corde praestetur, nihil ab ullo mundano hoste, vel ab ipso tartaro timendum, cum Deum nacti simus adiutorem et propugnatorem.* Summo cum plausu audita fuit haec concio et obtestatio, post quam laeti omnes et fide firmiores in sua tentoria decesserunt.

CAPUT XX.

Tres Romani Pontificis ad Imperatorem, Principem et Patriarcham epistolae.

1. Cum superius harum epistolarum mentio facta fuerit, et illarum gravitas et elegantia pastoritiam nostrae fistulae tenuitatem supplere possit, et eorum, qui in secandis et urendis horum montium vepretis tam impigre laborarunt, laudes contineant, illius essemus iniurii, nisi eas tamquam tria sidera huic narrationi insereremus. **Trium epistolarum pontificiarum tenor.**

Epistolae igitur ad Imperatorem hic est tenor.

2. *Urbanus papa VIII Seltano Seguedo imperatori Aethiopiae salutem et apostolicam benedictionem:* **Epistola ad Imperatorem.**

Charissime in Christo fili noster. Nili fluminis impetus laetificat hoc tempore civitatem Dei et ex sitientibus Aethiopiae campis asportantur ad regiam beati Petri fructus digni conviviis angelorum. Nihil enim tam pretiosum aut tam mirandum mittere huc potest parens divitiarum Oceanus et ferax portentorum Africa quod Roma christianitatis mater non posthabeat litteris Maiestatis tuae. Eas certe scriptas ad felicis recordationis Gregorium XV Nos ipsi le-
f. 140. *gimus, quos, licet meritis impares, in eius locum Spiritus San*ctus vocavit. Lacrymas prae gaudio cohibere non potuimus, audientes universum fere imperium Aethiopico regnatori subiectum obtemperare legibus Romani pontificatus. O te felicem, qui dominator nationum et triumphator hostium, trophaeum Cruci Christi potuisti in arcibus*

*tuarum provinciarum extollere! Plantasti plane caelos in regnis istis, dum tanti Imperatoris gratia quaeritur professione catholicae veritatis. Perge, charissime fili noster, favente Domino et plaudente Roma, in eorum principum societatem, quos tamquam propagatores regni coelestis colit plausibus generis humani immortalis memoria. Quamvis enim ultra solis vias in regiones veteri famae non bene notas secesserit regnum Maiestatis tuae, interest tamen spectaculo regalium facinorum Senatus apostolicus, qui multas christianae reipublicae nationes complectens, dat in hoc orbis theatro multiplices plausus iis victoriis, quibus et coercuisti perduellium temeritatem et inferorum cornua confregisti. Nos in hoc solio Maiestatis omnipotentis vicario, quod submissis fascibus et flexu genu christiani reges adorant, oculos apostolicae sollicitudinis convertimus in Maiestatem tuam, tibique commilitones angelos et triumphatores exercitus ab Altissimo regnantium arbitro precamur. Scimus quid isthic conetur infernus. Vidisti legiones diabolo addictas pugnare contra sceptrum Crucis, quo dextera Maiestatis tuae communitur. Exacuunt ut gladium linguam suam cultores perversorum dogmatum et pabula salutis conantur inficere venenis impietatis: sume spiritus dignos Davidico stemmate, de quo genitrix Aethiopiae domus dicitur gloriari. Cum consisterent adversus eum sanctissimum regem castra, ille in Deo sperabat et plane experiri potuit nomen Domini esse turrim David aedificatam cum propugnaculis, quam coelestis exercitus custodit et castrensis victoria concelebrat. Ita prorsus est, ut scribis, charissime fili: pestes patriae et perturbatores populorum isthic, favente Deo, non dominabuntur. Nos quidem tibi, optimo fratri, regiae soboli populisque fidelibus apostolicam benedictionem amantissime impertimur, et arma lucis e sanctuario divinitatis assidue flagitabimus. Iam vero pontificiis clavibus reseramus thesauros coelestis indulgentiae, cuius salutaribus divitiis volumus in praesentia Aethiopicam Ecclesiam ditari. Obnixe autem postulabimus a potentissimo Hi-**spaniarum Rege ne umquam patiatur a te frustra peti Austriacae* f.140 r. *potentiae auxilium. Complectimur te brachiis apostolicae charitatis, fili charissime, quem in corde gerimus, quem semper pontificatus nostri patrocinio decorabimus. Patriarcham Aethiopiae, duosque socios episcopos, dum regali pietate veneraberis et coeteris exemplum praebueris sacerdotii colendi et sacrorum antistitum ad gregem istum pascendum exacues sollicitudinem. Denique, si omnino christiana fides, quae regnorum tutela est, in Aethiopico imperio triumphabit, pote-*

rimus tibi gratulari obsequium populorum, qui nunquam a religioso principe desciscunt, dum militant sub vexillo Crucis. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die I februarii MDCXXVII, pontificatus nostri anno quarto.

Principi Faciladas, sive Basilidi, Pontifex hoc sermonis contextu ad pietatem calcaria submittit.

2. *Urbanus papa VIII. Dilectissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem. Opulentia Nili fluit ad gloriam nominis tui et filius aethiopici Imperatoris adolescis in spem potentissimi principatus. Intellexisti tamen, Deo docente, te miserrimum fore nisi fluenta evangelii e catholicae Ecclesiae fonte potares, nisi beatum Petrum in Romano pontificatu colens, nuncupareris et esses filius Dei, cuius patrimonium atque opificium est universa coeli, terrarumque compages. Plaudit in Romana Ecclesia pius regnantium sacerdotum et obsequentium nationum chorus, christianis virtutibus sobolis in Aethiopia imperaturae. Porro autem gaudet, tibi regnum parari e quo triumphalis pater volens sceptrum imperii haberi virgam directionis et frameam Dei, profligat synagogas Satanae. Domestica tantae virtutis imitatione eruditus, in ea statione excubas, in quam convertuntur oculi coeli et terrae exigentes a tuo ingenio consilia, quae habeantur lumina Spiritus Sancti et fulmina coelestis ultionis. Ita est, dilectissime fili, conquiescere in paterna regia non debes, donec Aethiopia universa ad pedes beati Petri procumbat et in Vaticano inveniat coelum. Doctrina enim Pontificum fiet isthic non*
f. 141. *modo spes salutis, sed etiam anchora tranquillitatis et *tutela principatus. Complectimur te brachiis apostolicae dilectionis coronatum scuto bonae voluntatis, dilectissime fili, cui obsequentes populos et faventes coelites inter armorum trophaea et gaudia felicitatis precamur; tibique paternam benedictionem nostram intimo cordis affectu impertimur. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 28 decembris MDCXXX, anno pontificatus nostri octavo.*

Pontificia ad Patriarcham epistola in haec verba non minus gravi tollitur cothurno.

3. *Urbanus papa VIII venerabili fratri Alphonso patriarchae Aethiopiae. Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Vivit Deus regum arbiter et nationum dominus: regnat Petrus cuius auctoritas in Romanis Pontificibus non deficit et ad omnium iura regnorum coelestem ditionem extendit; triumphat religio dispersiones Israelis congregans et fores aeternitatis generi humano pa-*

*tefaciens. Negotiatio Aethiopiae, quae tamdiu in viam gentium aberravit, facta est hoc tempore thesaurus Ecclesiae et gaudium coeli. Manda, Deus, virtuti tuae, confirma hoc, Deus, quod operatus es in populis Aethiopum. Vix dici potest, venerabilis frater, quam uberes apostolicae consolationis fructus Roma ceperit ex litteris tuis, optatam Aethiopici regnatoris reconciliationem nuntiantibus. Nos certe in hoc fidei orthodoxae sanctuario sacris potentissimorum principum obsequiis culti, complectimur brachiis pontificiae charitatis Seltanum Seguedum romano sacerdotio remotissima Aethiopiae regna pie subiicientem. Faeneratus plane est Deo exercituum qui, cum dives sit in misericordia, tributum hoc coelo debitum remunerabitur iis divitiis, quibus venales sunt principatus beatitudinis sempiternae. Quamvis autem terrena felicitas non semper documentum habeatur divinae benevolentiae, cui identidem libet aurum fidei igne calamitatum explorare, speramus tamen fore, ut, dum ad evangelicos Petri pedes procident Aethiopes, sensuri sint in exercituum catholicorum victoriis, et regiae stirpis gloria misericordem pacati numinis praesentiam. Iam vero *in hoc orbis patria colitur nationum laetantium plausu nomen Se-* f.141,r. *guedi imperantis, et in coelum tollitur virtus Zelae Christi fratris, quem, si christianae pietatis cursum constanter consummaverit, fama posteritatis plaudentis consimilem praedicabit beatissimo illi reginae Candacis eunucho, Aethiopiae apostolo et evangelii praeconi. Quae vinum compunctionis, sitis pontificiae charitatis diu potavit, ea nunc, benedicente Domino, colligit manna suavitatis ex aethiopica vinea cui dari accipimus gloriam Libani et decorem Carmeli. Certe hic et fidelium preces et sacrificia sacerdotum omnipotentem misericordiam assidue potent filiae Nili, olim tenebris inferni nigricanti* [sic] *et nunc semper nivem coeli dealbatae: praecipuam vero gloriam flagitabunt Seguedo regnatori, quem charissimum in Christo filium nostrum sacro triumphantes gaudio nuncupamus. Effundimus super illum eiusque provincias pontificiae benedictionis thesauros, patefacimus Aethiopiae ad Romanam Ecclesiam redeunti, cataractas coeli effundentis aquas salutis super sitientem. Porro autem fatebimur aucta esse pontificatus nostri decora et gaudia christianitatis, si Rex et populus Aethiopum per optatos legatos fuerint hic, et generis humani Redemptorem adoraverint, beatorumque apostolorum cineres venerabuntur in hoc monte sancto eius, ex quo rectae fidei et coelestis sapientiae documenta, tamquam ex corde spiritus, ad coetera mundi membra derivantur. Quod vero attinet ad Fraternitatem tuam et ad sacerdotes Societatis Iesu,*

venerabilis frater, triumphatis in benedictione apostolici Senatus et
plausu Europae, nec vobis constanter perseverantibus ea perfecti de-
coris diademata in coelo deerunt, quae pollicetur Omnipotens propa-
gatoribus regni coelestis. Benedicimus sacris vestris laboribus, petimus
vobis angelorum auxilia, pollicemur pontificiae auctoritatis patroci-
nium. Dilectus filius, Societatis vestrae Praepositus generalis, qui
tuis consignatum monumentis regale iusiurandum ad nos detulit,
prolixe testari poterit, qua te laude et charitate prosequamur, plan-
tantem coelos in aethiopicis agris. Caetera ad coeleste hoc negotium
f. 142. *spectantia ex iis literis accipies, *quas congregatio Cardinalium fidei*
propagationem curantium scribet Fraternitati tuae, cui iterum per-
amanter benedicimus. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub an-
nulo Piscatoris, die 4 martii MDCXXVIII, anno pontificatus no-
stri quinto.

CAPUT XXI.

Fructus per haec tempora ab Ecclesia Aethiopica collectus.

Ras comitate et disputationibus omnes ad fidem trahebat.

1. Nostrum calamum litterae pontificiae ab Amarensibus Ras Selâ Christôs hibernaculis dimoverunt, in quae nunc iuris est, ut regrediatur. Incolebant ea loca multi quos vocant Debteroche et nostris doctoribus respondent, ecclesiarum ministeriis et reditibus adscripti et familiarium librorum (qui sunt omnes canonici et aliqui eorum interpretes, quamvis manci ac debiles) scientia instructi. Et generatim illius regni indigenae acutioris et cultioris, prae omnibus Aethiopicis, sunt ingenii, et qui inter eos sunt clariores, dicuntur Amaharenses et lingua politior Amarinha. Omnes pene tantum heroem convenere, alii officii gratia, alii ut sua cum eo negotia, tamquam cum imperii capite conferrent. Ille faciles omnibus aditus et frontem exporrectam praebebat, eorum voluntatem suae studens benevolentiae (quae tenaciora sunt quam metus vincula) alligare. Eos post comitatem et blandiloquentiam, in templum et ad patris Ioannis conciones ducebat, negotia et convivia multis a se frequenter exhibita controversis fidei difficultatibus condiebat, apertissima testimonia, quae Eutychetis et Dioscori errores et sectam Alexandrinam iugulabant in tritis ab eisdem, sed non bene intellectis, libris ostendens. De crustulis delicatis et in gyrum sectis, quibus nostri sacerdotes sacram Eucharistiam conficiunt, monachi aliquot, frau-

dulenti mendaciorum sartores, multis ob nivalem candorem aculeum iniecerant, affirmantes esse leporum et camelorum cerebro medicata. *Cum illis effecit, ut domo sua triticeam farinam stricto incerniculo purgatam afferrent, eamque manu sua in pelvim iniicerent, et pulticulam subigerent et in typos ferreos coniicerent. E quibus cum candidissima exiissent, liquido nigrae loliginis succum ex suorum monachorum pectore manare cognoverunt. f. 142. v.

Senex haereticus convertitur et multos ad fidem adducit.

2. Plurimis Ozororum (sic dicuntur, qui regio sanguine sunt generosi) in unum locum coactis, dixit aliquando mirari se, quod tam praeclara styrpe oriundi, tam perspicua mente praediti et in libris adeo versati, a monachis ruralibus et silvicolis sibi imponi paterentur, se ut Romanam fidem amplectantur nulli velle pugionem in vitalia adigere, hortari ut conveniant, suos libros afferant, eorum testimonia perspiciant et disputando discutiant, et, si verum esse, quod ipse praedicabat, invenirent, manus darent, sin falsum, domos suas, ut illuc accesserant, redirent. Pactioni annuerunt: multi condicta die, nec pauci ex vicanis convenerunt; quos inter Ras senem prope septuagenarium, a fide hactenus abhorrentem et prae metu pallentem nutantemque conspexit. Cui ille: Quid, inquit, pater, exhorrescis? huc accede. Sed cum senex timorem non exueret, sed perdite totis artibus contremisceret, Ras e cathedra exscendens, eum, in illam transtulit ut omnibus praedicator esset ac magister. Et collecto iam animo paululum refocillatum videns, sic ad eum: Per eam rationem quam cito omnium iudici Deo redditurus es, te obtestor, ut manu sanctae huic cruci imposita, iures vera te effaturum, et ut caecus hic popellus ab erroribus, quibus obruitur, emergat ex corde curaturum. Cruci manum ille admovit, et cum inchoata esset disputatio plurima testimonia, quae nemo elidere poterat, in veritatis confirmationem proferebat. Omnes stupor pervasit. Tunc Ras: Nolo, inquit, iudicis partes mihi arrogare, nec cuiquam meorum deferre. Vos ipsi iudicate. Unus, qui omnium velut caput erat, dixit: Sententiam pro Romana fide a sene producta librorum testimonia tulerunt, Unum addo, monachos nostros si*miles esse canibus f. 143. ad palearia desidentibus, qui nec ipsi paleis vescuntur, nec boves aratores, mordaci semper latratu, iis vesci patiuntur, et nos hactenus deceptos traduxerunt, veritatem adeo manifestam multis mendaciorum involucris obvelantes. Hic ex eo caetu Timotheus, regio sanguine clarus, sed eodem postea in fidei defensionem effuso multo praeclarior et senex disputationis praeses cum pluribus aliis eorum

exemplo invitatis, in Romanae fidei militiam sunt allecti, et baptismo sub conditione, postea confessione et eucharistia donati.

Eremitae senis conversio.

3. Eremitam septuagenario maiorem et spectatae sanctitatis opinione tumentem intra speluncam ecclesiae Sancti Ioannis proximam, contractis artubus, sed animo impeditiorem pater offendit; habebat enim spiritum nequitiae sibi perpetuo assidentem, et superbiae ab eo inspiratae vento sic erat inflatus, ut aegre ferret se ab invisentibus non adorari. Hic aliis succollantibus in domum Ras illatus, post audita fidei mysteria dixit, Christum Dominum verum Dei filium esse, a Societatis patribus negari. Occurrit pater, contrariam veritatem evangelii testimoniis confirmans: ille omnes evadendi semitas obseptas videns et suo fermento tumidus, patri per despectionem ait: Quid tu hic, candide magister? Cui pater: Me candidum esse non inficior, sed id mihi non magis est opprobrio, quam dici, sicut nec tibi laudi nocti esse concolorem. Satis mihi est eodem me esse quo Christus fuit, colore suffusum; qui tamen in transfiguratione naturali candori niveum adiunxit, et angeli eiusdem resurrectionis praecones splendidas etiam vestes sibi induxerunt. Nocte iam praecipiti in suum specum se petiit importari. In eam quoque die sequenti se pater immisit, eumque suorum librorum auctoritatibus constrinxit, et nullum inveniens effugium, patrem in aurem rogavit, ne se ab illa fide vel erroribus, quos tam longa vita coluerat, iam capularem detur-
f.143.v. baret. Cui pater pro sua auctoritate: Veritatem iam audi*isti et percepisti, sed tuus te fastus et vana, quam vis tueri, existimatio continent, ne oblatam ad te abluendum aquam recipias, sed in aeternum ignem devolvaris. Omnes, qui adsunt, antestor, ut contra te in die iudicii testificentur. Haec verba senis mentem aliquantulum pervaserunt, non tamen penitus expugnarunt. Sed cum postea multis concionibus adesset, quas pater pluribus Beatissimae Virginis laudibus exornabat, sui fecit ex animo deditionem. Ubi divinorum misteriorum factus est particeps, clinicus esse desiit, nec amplius sensit malum genium sibi ad aures insusurrantem.

Evidens Dei supplicium in quemdam simulatum.

4. Huius eremitae conversione, ex quotidianiis disputationibus, in quibus ii, qui sapientiores videbantur et sibi plus tribuebant, victos se fatebantur, magna in eo regno facta est morum commutatio et aucta Romanae fidei, ab optimis admissae, existimatio. Aliquos tamen qui eam non ex corde, sed simulate induerant, tempestiva Dei supplicia sunt consecuta. Unum sit pro omnibus; quidam ante Ras et patris oculos, calidum Romanam fidem magnis laudibus

extollens, sed mox ab iis discedens, ex eodem ore frigidum efflabat, magnis illam opprobriis proscindens illique praeferens Alexandrinam. Hic nocte intempesta ex Ras domo egrediens, et suam petens cum loca fragosa sint et praerupta, e via per errorem deflectens e rupe prolapsus frustatim est dilaceratus. Et omnes, quibus perspectum erat ab ipso lupinam mentem sub ovina pelle occultari, iusto Dei iudicio escam lupis fuisse datum agnoverunt. Haec pars aliqua fuit segetis a Ras Selâ Christôs et patre Ioanne in Amarensi regno per hiemem consitae et demessae, cuius laborem illis Deus e coelo large remunerabitur, et magna Ras Selâ Christôs tanto effusius quanto iniquius illi fuit ab Imperatore repensus. In praemium enim horum et aliorum obsequiorum Goiamae praefecturam ab eo abstulit, et in Sarsâ Christôs transmutavit. Quod ipse beneficium tanti fecit, ut paulo post rebellionem in eumdem intentaverit, ut mox dicendum.

Patris Didaci in insulam Dek laboriosus, sed fructuosus accessus.

*5. Ab Amarensi regno ultra Bagamedirum ad occidentem et f. 144 mare Dambacae transcurrendum, in quo inter unam et viginti insulas, quibus consertum est, maxima Dek tribus in longitudinem et itidem in latitudinem milliaribus excurrens, multiplici frumento, malis medicis, citreis, gregibus et armentis abundat. Alia non procul ad orientem, obiicitur cui nomen Dagâ, minor quidem ambitu, sed erectior quae illustri caenobio, cuius magister omnibus insulae Dek ecclesiis pastores adscribit, et multorum Imperatorum mausolaeis nobilitatur. Huc pater Didacus, cui regiorum castrorum curatio commissa, cum Imperatoris ministro, egregio catholico, earum insularum praefecto, et quatuor monachis ad eroganda coelestia mysteria sacerdotio insignitis se immisit. Praevidens daemon quantam siti iacturam patris ad eas insulas accessus apportaturus esset, foedam in mari tempestatem concitavit, qua nexiles e papyro cymbae, quarum ibi tantum est usus, adeo sunt conflictatae, ut vel fatiscerent, vel dissolverentur, nisi Deus illas servasset et vectores in oram incolumes intulisset, quamvis omnes se iam conclamatis adnumerarent et per totam noctem citius se in coelestem quam in aliquem earum insularum portum appulsuros iudicarent.

Haec insula multorum haereticorum latibulum.

6. Eas adeo silvosas et incultas invenerunt, quam coniici poterat de iis, quas nullus unquam Romanae fidei magister attigerat, sed tuta erant monachorum eam defugentium asyla et in praesens ultra sexagenos horum anguium cucullatorum (qui prae caeteris sunt venenati) in his specubus latebant. Circumcisionem universim viri ac foeminae usurpabant, sabbato feriabantur; nullum apud eos ieiunium,

nec quadragesimale, et uno verbo, plene avitis moribus vivebant, nec minimus Romanae fidei radius quemquem illorum coloraverat. Hac de causa plurimum ex patris adventu dolorem conceperunt, et multo ampliorem, cum videre priora altaria demolientem et nova romano ritu construentem, et in eandem formam sacras vestes redigentem,
f.144,v. et libros, *qui arces ipsis erant omnium errorum, colligentem. Sed doctrina guttatim instillata, et crebrae disputationes, in quibus plerumque monachorum doctissimi superabantur, et conciones, quibus pater ex instituto plures Beatissimae Virginis laudes attexebat, eorum corda ita paulatim emollierunt, tantumque capti sunt patris doctrina et comitate, ut enixe flagitaverint ne sedem mutaret, sed secum ibidem consideret, aut patrem alium e Societate Iesu sibi vicarium delegaret. Infantium quatercenteni supra millenos baptismo, adultorum milleni tercenteni quadrageni sacra synaxi et confessione expiati; institutum, ut ex clericis et monachis lectiores Gorgorram adirent, et fidei doctrinam attentius haurirent, ordinibus a Patriarcha auctorandi ut coeterorum instructores in insulam reverterentur. Sic illa, quae prius Averni dici poterat, reddita est insula Paradisi.

Illius ad meliora commutatio.

7. Hanc de messe collecta tractationem duo claudent insigna Dei beneficia, in Fremonensi oppido repraesentata. In patrum domum per fenestram, ad quam unus illorum sedebat, impactum est fulmen, quod eodem eventu seminarii pueros pervolavit, quamvis aliqui in terram subiti fragoris terrore sint afflicti, et in patris domum retortum, brachio tantillum sopito, eadem fenestra erupit. Hoc Dei beneficium omnes Agni coelestis, quem collo suspensum gerebant, virtuti tribuerunt.

A fulmine patres Fremonenses liberati.

8. Foeminam partus angustiae citius, quam iustum naturae tempus poscebat, a pugnis et pulsasionibus, quibus se in consanguinei morte verberavit, adductae graviter premebant. Ad confessionis opem conferendam unus ex patribus vocatus exanimem invenit, illique sancti Francisci Xaverii imaginem appressit. Eodem puncto temporis infantem peperit, fracto crure et contuso corpore liventem. Paulatim vividiorem colorem induit, et salutari aqua ablutus, vita vix libata, decessit et in nigrorem rediit, factus felici morte immortalis vitae candidatus.

Beneficium parturienti s. Francisci Xaverii meritis collatum.

f. 145.

CAPUT XXII.

Sarsâ Christôs Gojamae proregis rebellio, apostasia et Abbati Zaselasse et duci Tucur Emanô caedes ab eo in catholicae fidei odium illata.

Principis cum Sarsâ Christôs amicitia.

1. Qui dixit: « Ab Africa semper aliquid novi » hanc illius portionem ante coeteras videtur respexisse, quia intra illius ambitum novorum monstrorum nulla feracior. Quae inter censeri potest Sarsâ Christôs, ex Melcâ Christôs uterino Imperatoris fratre nati, inexspectata ab eodem et Romana fide defectio. Is principi Basilidi ob sanguinis nexum aetatis et morum coniunctionem gratus erat, et, quia cum se totum ad ipsius nutum formaret, eum sibi fidum in quovis destinato futurum putabat, eaque de causa illum patrui Ras Selâ Christôs, quem gloria et fortitudine dolebat suis luminibus et votis officere, qua valebat apud patrem gratia, magnitudini opponebat et praecipuus auctor fuit Gojamensis praefecturae ab isto auferendae et in illum transmovendae.

Fictae illius promissiones.

2. Cum e regiis castris exiit Sarsâ Christôs magnificis promissis catholicae fidei in Gojama promovendae Imperatorem et Patriarcham oneravit. Sed longe diversas machinationes animo versabat. Obscuro enim rumore ferebatur, inter ipsum et Principem conventum ut hunc in Gojama Imperatoris nomine, patre depontano reddito, donaret, sed, dum opportunum tempus non appeteret, patres Collelenses Franciscum Carvalium et Ludovicum Cardeiram laeto vultu et labiis

melle perlitis excepit, et coram ipsis ante Christi ligno affixi effigiem, se in fidei catholicae amplexu vitam ducturum et animam acturum iureiurando spopondit. Nulli enim pronius iurant quam qui peierando, et fidem violando sunt paratiores. Et Collelam praetergressus, patrem Franciscum Carvalium obsecravit, ut sibi perpetuo adesset; nolle enim umquam carere et sacro et concione. Pater tamen emolumenti spe deceptus, labori, qui non modicus erat, humeros haudquaquam subtraxit.

Illius et asseclarum in fidem tepiditas.

*3. Non sero se prodidit proregis et asseclarum in res divinas te- f.145,v.
piditas, cum illorum paucissimi liturgiae et verbi doctrinae interessent. Sed cum in ministris et clientibs bona priorum herorum exempla perdurent, ut in lanis prior tinctura vel suffimenta, illorum frequens erat ad sacra concursus, qui *Inaches* dicebantur, et ducem habebant Asgaderem, sive Alexandrum, quos Ras Selâ Christôs suae disciplinae et moribus assuefecit. Nilum versus ad Gojamae confinia prorex tetendit, et magnis ac bene institutis copiis se stipatum videns, sciensque Gallas ultra illum eo loco consistere, quo si ipsis repentino accessu assultaret et victoriam comparare, et magnam boum praedam abigere posset, flumen audacter traiecit et hostem aggressus, nec victoriae laudem nec optata armenta reportavit. Gallae etenim boves ante se agentes, et versis in lente persequentes hastilibus tuentes, eos, nec tamen multos, a se pungendis et vulnerandis, in vilium tuguriorum direptionem averterunt. Bellum enim aut non intentandum, aut si semel intentatum est, fortiter prosequendum. Hi ergo milites instrenui nec honorem ab hac expeditione retulerunt, nec bubulae famem sedarunt, sed amplius auxerunt.

Centena boum millia a Gafatibus expilavit.

4. Illi tamen satiandae opportuna fuit Imperatoris iussio, proregibus Gojamae et Damotum praecipientis ut cum Zamariano militiae suae praefecto ea instita quae tangit Gongarum fines, Nilum transmitterent, et mercatores ex Naraea redeuntes et annuum tributum sibi referentes suis copiis tutarentur, quod mille tantum oqueas sive uncias continet, idest decem millia nummorum. Tanta vero est Aethiopiae tenuitas, ut hae summae divitiae computentur. In hoc itinere prorex Gojamensis in Gafatum regionem venit, ubi in communi agro, in admirationem herbido, ipsorum et Damotum armenta compascebantur. Exarsit eo aspectu illius fames, et causatus illorum dominos stata Imperatori iura non solvere, cum nec eorum iudex esset (cum Damotum proregi subderentur, nec, si esset, eorum defensionem audierit), suis praecepit ut in boves irruerent, et quotquot

possent compilarent. Ignis in arida faenilia immissus. Tot ceperunt ut numero vix capiantur; centum millia direpta Dancazii vulgatum. Ad tantae rapinae nuntium Damotes cum suo prorege in curiam, ad quaerimonias Imperatori offerendas, provolarunt, et Sarsâ Christôs
f. 146. in mediam Gojamam est reversus. Pater *Carvalius, cum iam tres menses in castris posuisset, et praecipue quod multi dicerent illa esse rebellionis rudimenta, missionem efflagitavit et tandem impetrans, Collelam se recepit.

5. Tantum facinus indigne ferens Imperator, gravissimis duobus internuntiis, quorum alter erat Educ Ras Zaba Esrael, id est senatorum caput et praeses; alter domesticae familiae aeconomus, Sarsâ Christôs moneri iussit, ut armenta dominis redhiberet aut vinctus in curiam traheretur. Eos mollibus ipse verbis excepit, sed altera die antelucanis horis cum viginti equitibus ad Principem prope Nilum, ad Agaos non procul commorantem, iter fecit. Quid cum eo egerit ignotum. Suspicio est illum, revocato in mentem rebellionis foedere, commonuisse iam tempus esse illius evulgandae, sed Principem, quod adhuc immaturum cerneret, resiliisse vel saltem procrastinasse, certum vero consuluisse ut boves, qui essent superstites, dominis redderet, de consumptis veniam se ab Imperatore impetraturum. Quidquid fuerit, ingrato ille animo in sua castra discessit, et si non verbis, re iactam esse aleam cum Caesare statuens, duos Imperatoris nuntios, et plures Ras Selâ Christôs consanguineos, necessarios, et clientes, quibus parum fidebat, in quibus Bellarminum ipsius filium, Asgaderem, et ducem Tucur Emanô suum sororium, in vincula coniecit, et praeconis voce praedicari iussit, Basilidem patris loco in Aethiopia regnare et omnibus per eum licere, fide Romana deposita, ad Alexandrinam nutricem suam redire; carnem circumcisione expedire, sabbatis otiari, et uxoribus usque ad septenarium numerum domus opplere. Quod ut credibile redderet, publice hoc nuntium misit ad Principem: Ad tuum praescriptum omnia peregi; venito, et tui regni possessionem occupato. Variae in utramque partem fuere de hoc nuntio disceptationes, sed Princeps extemplo illius portitorem vinculis constrictum in curiam remisit et coram p. Francisco Marquio, quem iussit accersiri, et pendulo Christi simulachro [*sic*] iuravit, se Romanae fidei suoque parenti, tamquam regi ac domino, ad mortem usque pariturum. Verum, cum prior illa pars iurisiurandi de Romanae fidei observatione falsa fuerit, credi potest
f. 146, v. *verius fuisse, quod tunc a suspiciosis de illo iactatum, quam

Ab Imperatore et fide Romana deficit.

quod ab eodem ad hanc suspicionem abolendam, consulto et cogitato iuratum.

Eius fabricae ad decipiendos patres Collelenses.

6. Patres Collelenses et Nebessaeos in angustum haec rebellio coegit. Imperatoris enim et fidei desertor postridie iacti praeconii in prospectu residentiae et templi Collelae sua fixit tentoria, et patres in septa (quae licet ex soluto lapide compacta essent, tricubitalis erant crassitudinis et aliquibus propugnaculis saxo et calce colligatis et fossa circumducta tegebantur) omnes Lusitanos, populares et quidquid suppellectilis invehi potuit, tumultuarie advocarunt; nam quod superfuit militari rapacitati expositum remansit. Ille tamen patribus nuntiari iussit, omnia se ex Principis imperio agere; ipsi tranquillo essent animo, cum nullius noxae conscientia gravarentur nec ultro in Aethiopiam sed ab Imperatore vocati advenissent, in unum locum cum Lusitanis et catholicis colligendos, vel in natale solum, si velint, fido cum satellitio demittendos. Fidem ab ipsis traditam, syncerissimae veritatis esse medullam, sibique medullitus infixam, se nunc popelli cocum esse, cuius palato gratum sit tantummodo nigrum suorum avorum ius a Nilo et a montibus, et placentae subcinericiae, vel semiustulatae. Scire se a patribus aliquos Ras Selâ Christôs equos et ferreas fistulas custodiri: vehementer efflagitare ut sibi exhibeantur. Patres id responsi reddiderunt; sermonem de regno ad se non spectare; Dei esse cui velit ad maiorem sui nominis gloriam largiri. Fidem suae curae esse, quam ipsi maximopere commendabant, siquidem adeo utilem pernoscebat; perveterem amicitiam iterum atque iterum precari; ab exigendis Ras Selâ Christôs equis et fistulis absisteret, cum furti crimen sit res alienas, ingrati animi, amicorum deposita et proditionis erga Imperatorem et fratrem arma ipsorum hostibus subministrare. Minatus est ille se vi extorturum, sed abstinuit, vel quia vidit negotium multo constaturum sanguine, vel quia retardatus est aliqua in patrem Carvalium observantia, vel, quod est certius, quia urgendo tempus non erat, cum sciret Principem ad se insequendum maturate praeparari.

Nebessaei patres ab ipsius militibus liberantur.

*7. Ad patres Nebessaeos expilandos et domum spoliandam f. 14?. ducem cum trecentis militibus praemisit, quorum viginti praefestinantes, illuc sub vesperum appulerunt et, vel propter diurnam lassitudinem, vel quod soli patres adoriri non auderent, et socios praestolarentur, in vicinas domos diverterunt, ubi liberali coena et grandioribus poculis invitati, absque ulla tortura veritatem in vino esse docuerunt, ad quid missi essent cum crapula exhalantes. Patres, a

vicinis et sociorum Collelensium epistola admoniti, in ipso conticinio fuga sibi et ecclesiae supellectili, ostio furtivo egressi, consuluerunt et sequenti die Nilum transvecti, quatuor itineribus (cum communi passu incedentibus sunt octo) in Patriarchae domum devenerunt.

8. Per eos dies desertor, ad animi sui mobilitatem varia loca commutans, ad se ingentem haereticorum monachorum farraginem collegit, quorum aliqui militari cultu in ipsius castris merebant. Horum instinctu abbatem Zaselasse, vitae integerrimae, et Selalo nobilis caenobii magistrum in vincula conclusit, cui pridem infensus erat, quod resciret ipsum, cum audiit eam administrationem sibi commendatam, dixisse, perditam esse in Gojama fidem Romanam. Eorum suasione illum ad se pertrahi et alexandrino ritu operari et synaxim impertiri, necnon unam esse in Christo naturam sanctam, duas vero execrabiles, fateri praecepit. Cui ille constanter respondit, se a Romano Patriarcha initiatum, liturgiae romano tantum more celebrandae fuisse assuefactum. Extra Romanae Ecclesiae communionem, nescire se aliam esse, quae eo nomine digna sit, et quamvis aliam panem esse pollutum et execratum. De una vel duplici natura Christo assignanda nihil esse cur nunc agitaretur, multum enim esse temporis, cum ea quaestio coram doctioribus Aethiopiae magistris ventilata fuit, et libris hinc et inde pervolutatis, ipsos, veritati assensos, duplicis naturae assertionem professos; se unum fuisse illorum, qui tenacius pro una natura pugnaverint, sed convicto et confesso nefas sibi esse contra stimulum calcitrare. Saepe impius apostata suo nixu et aliorum interventu abbatem e sententia deiicere tentavit, sed immotum perspiciens et se quidquam perfe-
f.147,v. cturum des*perans, coram se hastile adduci et vibrari iussit. Illo conspecto, robustior effectus Dei miles, exclamavit, suae fidei et ardori pro Christo vitam profundendi unum hastile non sufficere; plura vel candentes etiam vomeres comportandos, quibus totum ipsius corpus cremaretur. Ad primum hastilis ictum genua submittens, Crucis armatura se muniit et emicantem e vulnere sanguinem conspiciens, poposcit ut sibi ad orandum tantillum morae concederetur. Erecta tunc voce dixit: Gratias tibi summas ago, Domine Iesu Christe, quod infinitum sanguinis tui pretium in mei redemptionem effudisti et hactenus indulsisti, ut illo in missae sacrificio pascerer et reficiscerer; nunc vero a te tanto honore dignor, ut annuas meum cum tuo commisceri et confundi. Cum ictus increbrescerent, saepius verba illa repetens, quibus catholici suam de duabus naturis con-

Proditor abbatem Zaselasse interfici mandat.

fessionem obsignant, Deus et homo, Deus et homo, ad sanctissimae Trinitatis cuius nomen suo incisum gerebat, conspectum evolavit; nam Zaselasse idem est, quod Trinitatis, vel filium vel servum subintellige.

Abbatis Zaselasse virtutes.

9. Emunctae semper ab infantia vitae fuit abbas Zaselasse; sacrorum librorum lectioni assidue deditus, et ideo a carnis illecebris ita alienus et (qui lydius hic est lapis) tuendae castimoniae attentus ut nullus umquam de foemineo convictu naevus illi fuerit ab adversariis obiectus, et tota ipsius vita dici possit martyrii praeludium et praemeditatio. Cum in Patriarchae domum ventitaret, sic in librorum ipsius contemplationem rapiebatur ut clamaret: O si quis me linguae latinae callentem redderet, ut in divitias hic occlusas penetrarem? Quando videbimus haec omnia in nostrum idioma conversa? Postquam Romanam fidem est amplexus, summo illius propagandae studio efferebatur et, tortuosas aliquorum monachorum vias intuitus, dicebat, Aethiopiam recto nunquam itinere gressuram nisi singulorum caenobiorum disciplinae patrum aliquis praesens excubaret; et in illius vel episcopi Nicaeni victum latos offerens agros, qui suo caenobio superflui videbantur et Imperatoris ac Ras Selâ Christôs consensum obtinere contendens, impeditus est a Patriarcha, docente nec episcopum, nec patres ad *agrorum sed ad fidei sationem f. 148.
huc transmissos. Cum nec ipse suorum subditorum mala, nec ipsi eorum remedia pati possent, in eum conspirarunt, pueriles eidem naenias coram prorege obiicientes, quam molestiam et alias in dies singulos malitiose ingestas ut vitaret, ultro se munere abdicavit, et monachi alium caenobiarcham providerunt. Cuius ad se adducti confirmationi Patriarcha noluit assentiri, et crucem, quae potestatis est insigne, abbati Zaselasse restituendam censuit, et si quas haberent legitimas accusationes, eo prius vocato coram se competente iudice proponerent. Illi tamen, qui non amore iustitiae sed ultionis libidine tantum virum ad proregis tribunalia raptatum, ostentui et dehonestamento exponere volebant, cum modo in accuratiori ecclesiae foro iudicandum agnoscerent, saepius in ius acciti, vadimonium deseruerunt, et abbas, damnata eorum contumacia, ante maiorem hebdomadam totius noxae liber, in suum caenobium dimissus est a Patriarcha, tunc quidem ignaro laureae paulo post mensem ab ipso obtinendae, die nempe vigesima quarta maii anni millesimi sexcentesimi vigesimi primi, quae sabbatum erat et dominicae quintae post Pascha pervigilium.

10 Eadem die ad se pertrahi iussit sororium fratrem, Emana Christôs, vulgo dictum Tucur, hoc est nigrum, ad aliorum distinctionem qui colore erant dilutiori, sed moribus et fide cunctis candidiorem, in quem recenti stomacho tumebat, quod cum ei diceretur, se, si patres comprehenderet (de qua re nihil ambigebat), eos caedi nequaquam traditurum, sed in suam patriam innoxios amandaturum addiderit: Si sui praeceptores Romam proficiscerentur, eos se terra pedibus et mari natando consectaturum. Cum vero animi certus esset nihil se cum illo verborum blandimentis perfecturum, iussit adstantibus, ut eum clavulis, quas semper habent prae manibus, sanctissimum Iesu nomen multiplicatis, et postea intermortuis, vocibus inclamantem contunderent. Sic eamdem lucem duo, alter terrenae, alter coelestis militiae duces, suo sanguine illustrarunt. **Tucur Emanô christiana laurea coronatur.**

f.148,v. *11. Diversus fuit exitus Edag Ras Zaba Esraelis, ut torvis oculis sic fide distorti. Qui cum ad proditorem deductus esset et hastile in se contorqueri videret, dixit si caedes in odium Romanae fidei inferretur, sibi Alexandrinam cordi semper fuisse, et paratum esse illico eiusdem communione vegetari. Sed proditor graviter in illum commotus et quod necessarius esset Damotum proregis, sui accusatoris, et quod plures adversum se sententias antea in multis causis protulisset, cuidam e suis tradidit hastili configendum. Et ita tortuosa morte sublatus est, qui videns rectam fidem in tortuosas ambages detorquebat.

12. Acta sunt haec omnia eo animo, ut proditor tam publicis Romanae fidei a se violatae testimoniis multos sibi socios adiungeret; id tamen in causa fuit ut eos quos prius habebat, a se fugaret. Inter quos fuit Bellarminus et ex praestantioribus plerique. Sed quia ad flagitii cumulum deerat, ut sacrum alexandrino schemate repraesentaretur et omnes Romanae desertores nefaria illius communione obstringerentur, id exequendum curavit die Ascensionis cum vigesima nona mensis concurrente. Cui cum ecclesias in quibus catholici sacerdotes litabant, pro sordidis et pollutis haberet, tentorium assignavit quod, praeterquam quod nec radices vel caementa nec liberum coeli conspectum haberet, ferali ostento in terram prolapsum, omnes, quotquot aderant, oppressit, et acerosum fermentatumque panem, quo ad consecrationem utebantur, in terram excussit, ipsum similiter excutiendum opprimendumque demonstrans.

CAPUT XXIII.

Sarsâ Christôs a principe Basilide comprehenditur, et in regia castra perductus, cum sociis capite plectitur.

Imperator cum Ras Selâ Christôs amicitiam redintegrat.

f. 149. 1. Percepto rebellionis istius nuntio, fratrem Ras Selâ Chri*stôs Ganetae ad podagram medicandam lecto incubantem Imperator Dancazium invitavit, et appulsum tenero amoris affectu demulsit, cum eo in gratiam rediens et illa rebellione poenam se admissi errati solvere dignoscens. Sinistri enim eventus praevisi, eos praecaventium prudentiam testantur, in lucem egressi, male consulentium incogitantiam accusant. Suam vero ille incusavit, plane et dilucide confessus fratrem a se immerito et graviter offensum et, ut praeteritam iacturam aliqua pensitatione resarciret, illi et uxori vestes attalicas et operosa ex auro monilia impertiit, et ita ex aequo cum illo agebat, ut crederetur cliens in principem et princeps in clientem mutatis vicibus demigrasse. Se Ras obtulit ut in rebellem properanter transcurreret, sed nec transcurso nec properato opus esse iudicatum.

Patriarchae et episcopo obviam procedit Imperator.

2. Patriarchae etiam (sed eius officii minime incurioso) significavit, gratum sibi fore, si ab eo in hoc articulo ad aliquod doloris lenimentum invisaretur, et antemeridianis horis, quibus ipsum et episcopum adventuros sciebat, animi causa cum paucis equitibus, ut aliquando solebat, in campum egressus, illis tamquam casu et forte fortuna accidisset, se ad pedes desiliens et equo paululum amoto, in collis vertice tapetibus operto pervium obiecit, quamvis omnibus

visum fuerit perquam meditate factum (quod nunquam alias evenit) ut praelatos et in iis Romanam fidem cohonestaret, et lente et perfamiliariter cum eisdem collocutus et defixis frequenter in coelum oculis, asserebat: *Annuentem et propitium nacti sumus Deum.* Consilio cum fratre communicato, optimos quos habebat milites ad Principem dimisit, per eos admonens victoriam celeritatis esse foetum; et adniteretur hostem praeoccupare, antequam suas copias cum Lastensibus misceret.

Turpis et damnosa proditoris fuga.

3. Ad unguem Princeps imperata est executus et, adscito in consortium p. Francisco Marquio, in Gojamae interiora festinavit. Quo in tumultu rebellis fugam versus Nebessaeum montem sibi consciscens, a rusticanis omni intactorum adhuc boum praeda, qui ad septuagena vel octogena millia aestimabatur, equis et tentoriis est denudatus, ut qui aliena armenta abegerat et suum *tento- f.149.v.
rium alexandrini sacrilegii scenam fecerat, eorum usura, non tamen amissionis dolore, privaretur. In declivi ad Nilum itinere illiusque traiectu, multae foeminae infantesque obtriti. Uxori, suam perniciem comploranti et horribiles mariti insaniae diras impraecanti, praeter abortionem, quam passa est, primores dentes excussi. Tercenteni milites, quos ad Nebessaeos patres spoliandos praemiserat, quin ullus redierit, in pedes se ad regia castra coniecerunt. Senator qui inter vivos manserat, cum Tecla Hâymânot ipsius aeconomo et praecipuis necessariorium, fuga delapsus. Cum iis, quos vinxerat, servandis custodes iam non haberet, nec omnibus manus inferre auderet, quod perpenderet aliquorum vitam in suae permutationem fore necessariam, plures emisit, praeter tres, quos in vinculis reliquit, quorum princeps erat Asgader utraque semper manu catenatus et quod proditor monachis haereticis, quam militibus plus fideret, cum quodam annis iam et erroribus obsito colligatus, et ut tutius teneretur, militibus iniunxit, ut inter somnum illius brachiis pro pulvinis fulcirentur. Saepius illos precibus et promissis tentavit, sed evincere non potuit, sed cum Nilum esset transgressus, egregium monachum auri pollicitis allexit, et tantam suadae vim expertus est illi inesse, ut senex, in praedicatorem versus, militibus persuaserit grande piaculum esse tantum virum in vinculis retinere, et satius omnibus esse cum eodem in Gojamam remeare. Cui consilio omnes, tamquam vere aureo paruerunt. Peditem, et fame enectum proditor avexerat, sed populares, ubi agnoverunt equitem et saturum et cibariis ad viam instructum, reddidere. Qui etsi mortem non est perpessus, illa ipsi,

sed non ipse illi defuit; et diu cicatrices ex vinculorum affrictu, optima confessionis testimonia, in lacertis perdurarunt.

Proditor capitur a Principe.

4. Sabbato, qui erat octavus post gloriosam duorum caedem dies, proditor Gojamam deseruit, et alio sequenti a Principe et imperiali exercitu et pluribus, qui eum sunt consectati, postquam purum rebellionis in patrem agnovere, fuit conspectus et caesis suorum trecentis, debellatus; alio effugio non invento, in proximam rupem
f. 150. se condidit et excubiis undique cinctus, die crastina, Sancti *Spiritus festivitati attributa se, cum sociis arbitrariae Principis fidei commisit, ut qui sciens et videns insigni protervia in Spiritum Sanctum deliquerat, in ipsius (cum non supplicii sed misericordiae sit largitor) solemniis vinceretur. Sic Princeps, qui fuerat praefecturae ab emerito in immeritum transferendae procurator, iusto numinis iudicio, redditus est communis supplicii, ob illius rebellionem et suam advocationem, executor. Post alios quindecim dies Dancazium est perlatus ubi cum Imperator audiisset Principem eo incumbere ut omnibus potentiae et industriae nervis contenderet, sontem a promerita poena liberare. praemissa victoriae gratulatione, renuntiari iussit, meminisset, regnum a Deo Sauli ereptum et in avum suum Davidem translatum, quod ille Amalecitarum Regi, ob scelus ante quadringentos annos patratum damnato, pepercisset: idem ipsi posse accidere, si velit tam immania et recentia flagitia in ipsius gratiam condonari.

Ipse et consultores per castra molares lapides baiularunt.

5. Duos etiam senatores tamquam rituum curatores, Imperator ad ornandam pompam submisit, qui proditorem et decem praecipuos ipsius consiliarios et rebellionis impulsores, nitidioribus vestibus exauctoratos et vilioribus opertos, nudo a capite ad zonam corpore, humeros catillis, seu superioribus molae trusatilis saxis, supponere iusserunt, eosque per castra in baiulorum morem circumvectare. Quod apud Abassinos tantumdem est opprobrii, quanti apud nos militi colum fusumque appendere. Ut enim nobis hoc significat illum faemineis tantum filis et ministeriis aptum esse, sic molaris lapis ipsum gestantem indolis esse effoeminatae et ancillaris, quia solae foeminae et ancillae in Aethiopia portatiles illas molas convehunt et convolvunt. Ex Dei tamen praescientia et providentia coniectare licet, consulto illud supplicium his flagitiosis impositum, ut qui tanti scandali auctores fuerant, mola asinaria humeris adiecta, si non in profundum maris, canibus in castrorum rudeta proiicerentur. Sic cunctis *miserandus*, sed nulli *miserabilis*, per castra ingressus est, qui superbus et iactabundus illis paulo ante exierat, pueris, cupe-

dinariis et vinariis, quibus raro credita solvebat, plaudentibus et *tot probra ingerentibus, ut morte acerbiora essent, eamque sibi propere et secreto inferri ipse singularis beneficii loco flagitaverit. Deerat tamen ad plenam contumeliarum indignitatem ut castrensia tympana, ipsius humeris fulta, per totam dominicae diei vesperam pulsarentur in poenam impii praeconii contra Romanam fidem iis concrepantibus in Gojama pervulgati. f. 150 v.

Triumphalis Principis ingressus.

6. Ingressus est Princeps triumphali apparatu, toto curiae flore et equitatu et militibus in latos ordines expatiantibus stipatus, tympanorum et tubarum sonitu perpetim, fistularum manualium et tormentorum ad aulae ostia fixorum per intervalla resonante. Palatium undique vexillis et supparis ornabatur; Principem Imperator et frater ex proiectis et menianis spectabant, animosque et brachia in ovantem, laetitia ipsi gestientes, extendebant. In tribunal illico processere senatores (nullae sunt enim in Aethiopiae iudiciorum cunctationes) reum illum his verbis arguentes: Maiora beneficia, quam ulli umquam sunt collata, in te Imperator cumulavit. Tres augustissimas regni sui praefecturas tribus fratribus suis ademit, Amarensem Emana Christôs, Bagamedrinam Afa Christôs et Gojamensem Ras Selâ Christôs: easque in te congessit. Te bis Gojamae, bis Bagamediri, semel Amaharae proregem creavit. Ad haec suum Bellatinam Goita, sive regium aeconomum, constituit qui dominatus capitis dignitatem, quae summa est, proxime attingit. Tot beneficia hactenus inaudita infami ab ipso, et a sancta fide Romana, catholica et apostolica transfugio, iis, qui eam sequebantur, trucidatis, persolvisti. Quid habes quod ad ista proferas responsi? Dixit, responsum sibi opus non esse, qui Principis pollicitatione de venia impetranda niteretur. Eum tamen fiduciariam Principis sponsionem, quod de alieno iure et facto esset, minime curare iussit Imperator; proinde, mora discussa, responderet. Nihil responsi habere senatores contuiti, capitalem in eum et socios sententiam tulerunt, a qua cum ad Imperatorem provocasset, eam ipse immutabili firmitate roboravit. Sed cum nox praecipitaret, illius executio in alterum diem prorogata.

Proditor et socii capitis damnantur.

Septem obtruncati, unus consanguineis caesi traditur occidendus.

7. Septem rebellionis consultoribus et instructoribus in genua de more procidentibus capita decussa. Unus, qui senatorem Zaba Esraelem lumine et fide laesum, hastili transfixerat, illius consanguineis traditus, tanta immanitate ab iis pluribus est confossus, ut confessioni *agendae moram deposcens non exoraverit. Illam coeteris f. 151. duo, qui intererant Societatis patres obtulerunt, sed unus tantum

admisit, quem aliqua Ras Selâ Christôs doctrinae aura perflaverat, ipsius ministeriis inservientem. Alter, quem unus illorum monuit ut confessioni operam daret, ne sicut vitam corporis statim amissurus erat, animam in perditionem aeternam praecipitaret, impatientia efferatus: Tu te, ait, perditum ibis, pater: me etenim mea fides Alexandrina servabit. Animadversumque fuit postea, castrorum canes a caeterorum corporibus per noctem, eodem loco stratis abstinuisse, et illius tantum carnibus, ad ossa pene exuctis, ingluviem satiasse. Quidam ex numero proditionis impulsorum, effraenis in Romanam fidem et Imperatorem linguae, qui retro per occasionem remanserat, unco ferreo dorsum traiectus, per totam diem ex arbore pependit, et cum a maledicendo non cessaret, linguae procaciam illius excisio ad noctem usque compescuit, cum hastilibus transverberatus animam effudit.

Proditor privatim occiditur confessus et in Romana fide.

8. Imperatorem et cognatos ob communis cum eo sanguinis reverentiam visum est non decere publica proditoris caede funestari. In arcta custodia per dies aliquot servatus est, quin sermonem cum eo miscere quisquam sineretur. Solus Imperator eum ad se de nocte accersivit, ubi creditur totum instructae coniurationis glomum explicasse et Principem illius auctorem ostendisse. Cuius notitiae index putatur nimia illa obsequentia, qua deinceps Imperator se et omnia illius arbitrio permisit, quin ab ipsius nutibus transversum unguem discedere auderet. Ad illum p. Didacus aliquoties Imperatoris iussu tetendit, et cunctanter criminibus expiavit; qui saepius testatus est nunquam ex suo corde Romanam fidem propulsatam, sed omnia per fucum egisse ut populum ea ostentatione deliniret. Ubi Imperator resciit eum Deo conciliatum, iubet a quinque vel sex vernaculis, quibus plurimum credebat, per noctem sub specie missionis in exilium e custodia abripi et prope vicinum templum clavarum minuscularum pulsatione contundi et in eo tumulari. Ipse, quo duceretur intelligens, stipatoribus diserte asseruit se ad similitudinem Teclae Gueorguis haudquaquam insanire, sed ut Romanam fidem a corde numquam abiecerat, sic ei neque in morte renuntiaturum.

Imperator Sacrae Paginae locum patribus legendum mittit.

151.v. *9. Hic fuit exitus Sarsâ Christôs praevalidi quidem iuvenis, sed inconsulti ac temerarii, nec tamen hac morte admodum infelicis. Probabile enim est, si viveret, magnum fore Principis perfidiae et immanitatis in catholicos adiutorem, et forsan translatum esse, ne superventura nequitiae inundatio praesentem mentis sanitatem deturbaret. Felix enim censendus, quem Deus vel a medio gurgite

luctantem cum fluctibus assumit. Postera die unum ex suis pueris cum sacrorum Bibliorum codice ad patres misit Imperator cum asterisco in eum locum libri tertii Regum, quo Deus per quemdam ex filiis Prophetarum nuntium misit ad Achab, cum Benadab regi Syriae pene capto et supplici illata sibi damna condonavit et pacem cum eodem conflavit, ut viderent an textus latinus et aethiopicus concordarent. Verba illa erant: *Qui ait ad eum: Haec dicit Dominus quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius* (1). Liber libro ad plenum concinebat; sed intellexere patres, eum locum instar satisfactionis ab illo sibi praestari, si forsan inclementem iudicarent, quod tam dure in fratris sui filium animadvertisset, veritus ne, si ignosceret, supplicium ab eo promeritum in ipsius caput et domum verteretur.

(1 3 Reg. 20, n. 42.

CAPUT XXIV.

Imperator cum totius imperii robore contra Lastenses procedit et inglorius inde recedit.

Iniqua praefecturarum divisio.

1. Hibernos menses Imperator partim praeteritae victoriae recordatione laetus, partim animi suspensus ex lastensis belli sollicitudine traduxit, et regni munia magis ex sanguinis nexu, quam ex imperii commodo divisit. Gojamae et regni Tigraei duos generos proreges, Guebra Christôs et Bella Christôs, creavit; Bagamediro praefecit honorarium senatorem Guebra Christôs, hominem tardum, praecrassum et ventriosum, qui intra suam domum cellae penuariae et farinariae praesidebat. Quem ideo quidam subridicule farinacium vocabat. Quales vero sub farinario duce milites essent, nisi furfuracei? Soli Ras Selâ Christôs, post tot magnificas promissiones et
·152. fraternae poeniten*tiae professionem, data est a muneribus vacuitas, quia princeps Basilides eum ad illa, quae parabat, inermem volebat, et pater filio ad plenum indulgebat. Sed ea prolata est ratio, quod praestaret eum semper ad latus habere, quam remotis praefecturis absentem distinere. Post hyemem in bellum egressus et indecoram Bagamedrini proreges electionem erubescens, Ras Selâ Christôs eiusdem farinae aspergine sordidavit, ipsum illi subrogans et intra quinque dies puerili ludibrio palinodiam recantans, eo praetextu quod ab aemulis iactaretur rusticanos Lastenses de pace cogitare, ad quam nectendam aptior esset sua pingui minerva Guebra Christôs,

quam Ras tam acuto et praefervido semper ad Romanam fidem amplificandam ingenio contentiosus vitilitigator. Hac repulsa (quod principes quos habent maxime necessarios, eos ab se facilius amittant) facultatem obtinuit, suam in domum secedendi, a qua illum Amarense bellum biennio distraxerat.

Imperialis exercitus ordinatio.

2. Profecti sunt in Gojamam Ras Selâ Christôs et in Lastenses Imperator ducto secum Principe et totius imperii robore, et illum suo more consectante p. Didaco, hunc vero p. Francisco Marquio, cuius tornatam ad omnia indolem in bello contra Agaos Gojamenses et proelio contra recentem proditorem Princeps probaverat. Ubi Imperator prope aereos et inexpugnabiles Lastae montes concessit, exercitum tripartito divisit. Partem Principi assignavit cum Zamariano Adabo militiae praefecto et mandatis ut in celsiora perrumperent; partem proregi Bagamedrino, cui veterem Inachium aciem a Ras Selâ Christôs institutam et minorem aliam, sed praeferocem, lusitanicae stirpis nepotum, alligavit; quibus praecepit, ut locis humilioribus et calidioribus, inter eos montes subsidentibus, aditum molirentur; se vero et suam aciem inter principia collocavit.

Primum montis tabulatum Princeps occupat.

3 Cunctos Princeps antevolavit, et primo aditu conspecto, aeconomo suo Damô iniunxit, ut valide cum quatuor electissimorum militum manipulis qua data via penetraret. Montis acclivitatem ingenti animo et aequali labore conscenderunt, rusticanis fortiter e sublimi obnitentibus. Sed imperiales, multis difficultatibus superatis, *eos e faucibus propellentes, aditum expeditum reddidere, caesis f.152.v. duobus magni nominis tyranni ducibus, Belenê et Tecla Mariam dicto per excellentiam fidei defensore, quod illum e Gallis ad regnum vocaverat, qui et ipsi erat pro paedagogo. Perempti sunt in hoc certamine quinque monachi et quatuor moniales, sic in haeresi obfirmatae, ut illarum una, imperialibus mahometanismum exprobrans eosque admonens ne suo tactu contaminarent, librum prae manibus habens, se, ne ab illis tangeretur, in subiectos scopulos e rupe demiserit.

Similiter secundum.

4. Suos milites montes insedisse Princeps conspicatus, actis Deo gratiis, manipulos eo perducit. Sed immane adeo frigus saeviebat, ut ultra quinquagenos, eo constricti enectique obierint, quin pirae possent illius diritatem amovere. Unus eorum iuxta p. Francisci tentorium cecidit exanimis, cui ille solum ad tumulum, puerorum suorum ministerio, conferendum esse potuit emolumento. In hac aeris inclementia montanorum vexilla secundarum faucium multo

sublimiorum fastigiis imposita visebantur, necessumque erat festinate conscendere ne molarium et saxorum coniectu obruerentur. Hic p. Franciscus aliquot sacrorum in Beatissimae Virginis et sanctorum apostolorum Petri et Pauli honorem litandorum voto se damnavit, et Princeps suos manipulos in duas acies colligens, hortatus est ut sursum infracto animo contenderent. Qua impressione fracti montani fugam arripuerunt. Et ita minus sudoris et sanguinis in hoc aditu perfringendo quam in superiori effusum.

In tertio, quae tyranni erat regia, minus laboratum.

5. Tertius in prospectu positus maiorem horrorem inferebat, eo quod erectior esset et callis ad ascensum praeruptior et angustior. Hic tamen a Principis militibus minus laboratum, eo quod Inaches et Lusitani illum iam expeditum reddiderant, qui vallium diverticula et aestuosos tramites pretervecti, et avias saltuum semitas rimati, montanis, qui cacumina obsidebant, fugatis et, si qui obsisterent, peremptis, in altiorem montem evaserant, et satis tenues ipsius et sequacium gazas, tympana, galeas, loricas, fistulas tormentarias,
153. tentoria, boves, et mulas diripuerunt, et ad ipsum ty*ranni cubile in parvo, sed forti et adhuc sublimiori monte in modicam planitiem procurrente, situm et tamquam nidulum saxis affixum pervenerunt, ipsumque lectum, qui eidem erat pro solio, Lusitanorum duci sortito tribuerunt; et cum decem tantum equitibus fugientem comprehendere possent, nisi eos boum direptio tenuisset. En ut interdum egena cupiditas et vilis praeda maioris commodi et gloriae sit praedatrix.

In Aethiopiae tenuitatem exclamatio.

6. Hic mihi monticulum istum, secundam Aethiopiae curiam (qua prima non est multo angustior) et totam tantorum bellorum causam, consideranti, cum quodam universam terram punctum esse perpendente libet paucis aliquibus syllabis immutatis exclamare: *Haec est materia gloriae aethiopicae, haec sedes. Hic honores geruntur; hic quaeruntur imperia; hic opes cupiuntur; hic tumultuantur duo regni competitores; hic instaurantur bella civilia, mutuisque caedibus dum laxior terra quaeritur, habitatoribus viduata, fit contractior et nihil aliud, quam exigua illius pustula praemium victoris erit, et pro eo decertantium congiarium* (1). Quam Imperator, quia servare non potuit, aut noluit se miserrimum; tyrannus, quia desertam ab illo recuperavit, se fortunatissimum reputavit. In eum montem Imperator et Princeps ab expugnatoribus acciti conscenderunt, et

(1) Plin., lib. 2, cap. 70.

ibi diutius commorati proregem amarensem, post enecatos ex itinere aliquos rusticanorum globos; et tigraeum, post captas duas rupes ab eisdem defensas cum multorum caede exceperunt, duosque praestantium militum manipulos ad rupem adversam occupandam dimiserunt, cuius custos illam sub pactione dedidit; sed cum postea fugam ad tyrannum meditaretur, poenas obtruncatus exsolvit.

Ob fidei defectum perfecta victoria est denegata.

7. Hactenus Imperatori fortuna arrisit, sed eum mox irrisit vel ipse ultro se rusticanis et fidei eversoribus ridendum propinavit. Videtur autem Deum mundo testatum facere voluisse in demutatae aequabilitatis esse iustitiae suae momentum, cum Imperatorem ad supremam arcem et solium tyranni provexerit, nec tamen annuerit, ut caederetur, aut in vincula truderetur, quod ipse fidei catholicae lapidem ad medium montem extulerit, sed in supremo cacumine oscitans, et illius adversariis ore quidem dicentibus: Do*mine Domino, sed corde admodum alienis et haereticorum receptatoribus convivens, supra fastigium non collocaverit. Si enim fide robustus, ut coeperat, sagittas contra Lastam quater vel quinquies intorqueret, illam procul dubio expugnaret. Sed in primo congressu, cum tamen victor esset, lassescens et brachia, ut Rex Ioas a Syria sagittis impetenda, remittens, sibi dedecus et aeternam bellorum seriem posteris comparavit. Res ita processit. f.153.v.

Infelix casus nec multum adversus Imperatorem immerito debilitavit.

8. Proregem illum farinarium cum Inachibus et Lusitanis in locum longe distantem ad perdenda frumenta misit Imperator. Re ex voto peracta, redibant; sed rusticani, occupatis collium superciliis, in eos impetum fecere et in fugam cum multorum caede compulerunt. Inachium tamen plures et omnes Lusitani, in unum corpus compacti et ordinatim retrogressi, castra tenuerunt. Plus aequo doloris ex hac clade cepit Imperator et loci, hostibus undique cincti, iniquitatem et annonae parcitatem pensitans (malo enim consilio, quod plerumque consultoribus pessimum esse solet, segetes omnes adiacentes velli comburique mandaverat) et rusticanos eo successu excitatos convenire, sibique ut illis rupibus egrederetur, opus esse angustissimarum faucium eluctatu, exeundum statuit, antequam viae ab illis intercluderentur. Ita factum. Meticulose quidem, sed tamen cordate degressus est, perstupentibus a tergo rusticanis, sed parum observatum ordinem laedentibus. Ingens tamen hic facta est famae tanti ducis iactura cum nihil magis optimus quisque timere debeat, quam ne timere videatur et rusticani, montium suorum claustris perruptis, se late in totum regnum Bagamedrinum disiecerunt.

Ras Bagamedrinam praefecturam reiicit.

9. Emissus ex saxorum angustiis Imperator et domum suam contendens, perspecto regni Bagamedrini discrimine, evocari iussit Ras Selâ Christôs (qui expositus semper erat letalibus vulneribus excipiendis et imperio a similibus liberando) ut illius praefecturam ipsi demandaret. Ipse tamen, contemplatus regnum illud minus iam Imperatori quam lastensi tyranno et illius praefectis subiacere,
f. 154. seque militum a se educatorum et exer*citatorum truncum esse, nec habere, suis agris ad Principem translatis, quo eorum tenuitatem sustentaret, aegritudinis et aliorum incommodorum excusationes obtendit, iisque probatis, itum ad Bella Christôs Damotum antea proregem, aliquibus eidem deputatis ex Imperatoris exercitu cohortibus. Hic fuit exitus anni millesimi sexcentesimi trigesimi primi, a quo Romana fides aperte inclinari coepit et Imperator a pristina illius tuendae et promovendae firmitate desciscere.

CAPUT XXV.

Quis fuerit anno tam difficili catholicae fidei profectus.

1. Non quod annus sit sterilis aut solum macilentum soliciti agricultoris torpet industria, sed tunc fortius adversus temporis et glebae inclementiam invalescit. Sic ab evangelii satoribus difficili hoc tempore nihil oscitatum, sed acrius insudatum, quippe qui scirent Paulum ipsorum antecursorem se non plus omnibus profecisse sed *abundantius laborasse* gloriatum (1).

Laborioso tempore nihil cessatum.

2. Inter has procellas intrepida Ecclesiae catholicae navicula, non solum fluctuum commotionem frangebat, sed, sumptis ab ipsa tempestate viribus, citatius agebatur. In curia tamen, licet contagio in publicum non erumperet, citra fallaciam noscebamus multum veneni occulte in catholicae fidei perniciem grassari. Plures enim ut huius saeculi filii malebant illam in suos pravos mores obliquari, quam eos ad rectam ipsius lineam dedolare. Per hyemem in ea in rebus ecclesiasticis Patriarchae vices episcopus Nicaenus perquam laudabiliter sustinebat; et permultis ad eum concurrentibus difficiles Scripturae divinae nodos extricabat. Ante Beatissimae Virginis Assumptionem novemdiales ferias decrevit, quibus ipse sacrum semper faciebat, vicissim vero cum patre Iosepho Giroco conciones. Ipso festivitatis die solemnem pompam instituit, qua venusta eiusdem

Episcopi in regiis castris sollicitudo.

(1) I *Corinth.*, 15, n. 10.

Virginis imago, castrensium cantorum choro stipata ducebatur. Illos inter, ut sanguinis sic peritiae et vocis claritudine illustrissimus, princeps *Ras Selâ Christôs non minus primarum partium in ista, quam f.154,v. in reliquis artibus liberalibus eminebat.

Patriarchae et patrum exercitationes.

3. Eodem tempore Patriarcha domi suae Branhaymanot librum elucubrabat et in idioma aethiopicum cum sociis vertebat et post hyemem per aliquod spatium, socio p. Damiano Calaça, ad confirmationis sacramentum conferendum exiit, donec illum eo onere episcopus, p. Antonio in socium allecto, relevavit. Coeteri patres suas residentias horrea ingentium messium plenissima fecerunt. Postea p. Damianus Calaça ab Imperatore in vicinum territorium missus, cum domestico deductore, sexcentos et octoginta infantes baptismo detersit, mille septingentos et octo adultos confessionis et communionis gratia exornavit.

Barbari Zeitum mores.

4. Pater Ioannes Pereira Ligenegus residentiae praefectus uberes fructus collegit, non solum a Damotibus (qui ubi catholicae fidei veritatem sunt assecuti, illius iugo submisse et constanter collum subdiderunt), sed etiam a Zeitibus, exotica multitudine et nulla illius cognitione hactenus imbuta. Ultra Nilum in Naraeae confiniis hoc hominum genus habitabat, sed a Gallis eas regiones devastantibus exagitati, flumen transmisere et, bona Imperatoris venia, in agris iuxta Lamogue et Gombulinum, ad Agaos consederunt. Cum ex suis laribus ante quadraginta vel quinquaginta annos discessere, idolis supplicabant; cum huc fuere traducti, solius aquae salutaris conspersione et nomine in Christi familiam transiere, iisdem quibus antea erroribus, illisque ultra modum barbaris, involuti. Unusquisque enim ad rei familiaris mensuram uxores eligit, et quia, ut olim pecuniosi a pecudibus dicebantur, sic inter eos ii tantum sunt locupletes, qui bobus abundant et uxores ad hecatombes, sive centenarii multiplicationem adaugent, ut qui centum boves habet, unam uxorem ducat, qui ducentos duas et simili deinceps incremento. Et pro uxorum numero suam cuique separatim domum extruunt, ut marito sua ubique sint receptacula. Hoc Gafates et Agai more vivunt. Uxores omnibus se viri fratribus pervulgant, nec interest, sit maritus, an illius *germanus. Adulterium inter coniuges nullius est noxae: incestus inter solutum et solutam piacularis. Viduae nihil differunt a prostitutis. Haec tamen barbaries bonis aliquibus moribus aspergitur: veritatis sunt cultores, fraudum inimici, furta et veneficia detestantur et puellae naturam habent usque ad nuptias illibate obsignatam. f. 155.

5. Illius gentis praefectus, in proregis castra concedens, traditam a patre doctrinam mirifice probavit, captusque est aspectu pulcherrimae imaginis Dei Matris, quam ad coniiciendos in ruborem et mendacii arguendos monachos, qui impudenter spargunt, nostros illius hostes esse, saepius reverenter in concione ostentabat. A patre contendit obnixe, ut secum in suam patriam proficisceretur, qui, pace a prorege impetrata, illi se comitem adiunxit. Brevi disseminata est fama salutis legem ab eo promulgari. Nulla enim est gens tam barbara quam salutis consequendae desiderium non inflammet. Omnes confertim ad patrem illius adipiscendae studio, confluebant; quidquid dicebat illorum cordibus alte illabebatur; corporis et animi oculos imaginis Beatissimae Virginis aspectus ad se et ad catholicam fidem ipsius intercessio trahebat et plane ipsius erat quidquid agebatur. Cunctorum conversionem sola remorata est uxorum dimissio; sed eas omnes fere ablegarunt. Ter milleni quatercenteni sexageni exomologesi et sinaxi animas expurgarunt, cum prius maculam generationis ductu contractam sub conditione eluissent. Eam vero, absolute tincti, bis milleni quingenti octogeni infantes in eumdem gurgitem demerserunt.

Pater Ioannes Pereira multos Zeitum convertit.

6. Excitatus hoc exemplo vicinorum Agaorum praefectus, a patre efflagitavit ut in suam ditionem pedem inferret et talia in suis popularibus opera patraret, qualia in Zeitibus praestitisset. Per quindecim dies inter eos commoratus, et in septem vel octo ecclesiis concionatus, communionem mille plus minusve animabus impertiit. Infantes lustratos ob laboris importunitatem non recensivit; sed adulti, qui baptismo, confessione et communione ab ipso et probis aliquibus monachis et clericis culti, catholicae ecclesiae gregem auxerunt,
f.155,v. *octo millium tercentorum et triginta sex numerum explevere, infantium tria millia tercentum et tredecim abluti. Inter hos repertae sexaginta moniales, monachis ob inconditam ruditatem obstinatiores. Earum cuidam oculis captae consuluit pater, ut se peccatis per confessionem exoneraret, ne illorum pondere praeceps in tartarum truderetur. Cui illa: In tartarum, inquit, abire volo, non in coelum, quod Deus incolit, a quo intestino odio separor, quod me oculorum usu privaverit. Tantam duritiem et mentis crassitiem pater expendens, dixit: Si in tartarum ire gestis, cum infaustis ipsius tortoribus abito, nolo tamen, ut habitum monialium, qui proprius est Dei ancillarum, eo tecum evolvas; sed tibi detrahatur et cum veste attrita et centonibus intersita commutetur. Tantum illi pudorem haec ignominia incussit, ut sequenti die ad confessionem supplex accesserit.

Magnus ab eodem fructus ex Agais collectus.

Fructus in castris proregis Gojamae.

7. Novus prorex Gojamensis Gabra Christôs secum Adaxam in sua castra hyemalia p. Antonium Brunum invexit, qui in ea et pagis vicinis plurimam Deo frugem collegit; praecipue ex catechismo, quem frequenter edocebat, solemni pompa ad convocandam multitudinem castrorum plateas decurrens, uno ex potioribus ducibus et semel ipso prorege crucem praeducente. Cui ministerio semper promptus erat, nisi pater sanctum ipsius fervorem muneris sui auctoritate, veluti aqua infusa restinxisset. Infantium plus bis millenis vitalis fontis venas reseravit. Serquae, ubi erant castra et domus Ras Selâ Christôs, p. Ludovicus Cardeira sancti parentis nostri Ignatii imagine supra duum puerorum quos malus spiritus vexabat, caput imposita, illius maleficientiam fraenavit. Vir etiam ecclesiasticis muniis addictus eiusdem icone sibi attributa, umbrarum terricula evasit.

Fratris Baracati mors et virtutes.

8. Suum quoque fructum satis vietum et maturum, quamvis sociis crudum et peracerbum, Gorgorrae coelum decerpsit, fratrem Baracatum idest Benedictum, Lusitani cuiusdam filium, qui cum patriarcha Ovieto huc irruperat; illi quidem lineamentis et moribus simillimum, sed colore in matrem abassinam amplius inclinantem et licet Societati, ob uxorem, a qua iustas ob causas diverterat, adhuc viventem, nullius votis obstrictum, illi, deposito militiae cingulo quo *inter primos clarus fuerat, adeo fortiter addictum, ut cunctis esset f. 156.
et exemplo et levamento. Nam praeter domestica ministeria, quibus multorum instar excubabat, se patribus non minus celerem veredarium exhibebat, quam fuit sub Theodosio principe Palladius, quem ille dicebat, gradibus suis decempedalibus imperium romanum exiguum reddere. Tribus enim diebus a Fremona Dambaeam transcursis pene ducentis milliaribus prehendebat. Sed festinantius adhuc virtutem grallatoriis passibus insequebatur. In ipso gallicinio e somno excitabatur et flexis plerumque poplitibus orationem in tres vel quatuor horas protrahebat, postea minimum uni sed frequenter pluribus sacris minister haerebat, ex quibus ad servitium degrediebatur tanta contentione et animi vastitate ut, cum aliquando Gorgorram convenirent Patriarcha, episcopus, viginti patres et plurimi eorum famuli, unus ipse cunctis sufficeret, nec esset in tanto numero, qui sibi quidquam desiderari quereretur. Illi mortis somnum insomnia quaesivit. Cum enim p. Gaspar Paezius graviter aegrotaret nec per multas noctes tantillum dormitare posset, et omnia clamoribus misceret, pernox aderat Baracatus et vitam illi sua morte, sibi vero aeternae otia paravit.

CAPUT XXVI.

Verae causae ostenduntur ob quas Abassini ad vomitum redire nitebantur.

1. Nobis modo inter saxum et sacrum constitutis, id est inter inglorium Imperatoris ex Lasta receptum, de quo dictum cap. 24, et duos cum eisdem rusticanis conflictus, de quibus cap. 28 et 30, agendum, quae fuere proxima et in vulgus magis speciosa mutandae fidei hortamenta, operae pretium est, causas alias occultiores et efficaciores, sed novandi studiosis minus decoras, indicare; quamvis semper nostras aures sola fidei nomine et accusatione (illam tamen

Fidei catholicae omnia Aethiopiae infortunia tribuebantur.

f.156.v. semper excusantes, et veram ac sanctam praedicantes) obtun*derent. Unde nobis semper saxum illud versare videbamur, quod in portis urbium Palaestinae adhuc divi Hieronymi tempore situm erat, in quo adolescentes virium suarum periculum faciebant, et alii ad pedes, alii ad genua, alii ad zonam, alii ad humeros et capita, pro viribus, attollebant; idque respexisse ait vatem, cum dixit: Ierosolymam positam *lapidem oneris* (1) cunctis populis, quia in eius direptionem et vastationem Idumaei, Syri, Samaritae, Assirii et omnes finitimi reges suam potentiam periclitabantur. Sic Abassinis in lapidem oneris fides Romana est constituta et ubique in iudicium trahebatur, et, inaudita causa, alienorum criminum poenas luebat. Et ut Romani adhuc ethnici in quacumque publica calamitate christianos ad leonem (2)

(1) *Zach.*, 12, n. 3. — (2) In *Apolog.*, cap. [*sic*].

poscebant, auctore Tertulliano, sic in Aethiopia ubi tumultus ob rapinas vel in bello quid adversi, vel ducis incogitantia aut militum ignavia, contigisset, fides culpabatur. Si agri possessi ab aliquo auferrentur, sive is sons esset, sive insons, utrique criminosa fides erat; sonti, quia se propter illam neglectam; insonti, quia in illius odium se spoliari querebatur. Itaque semper fides tamquam gladius delphicus in utramque partem in ore versabatur, et ut vestes continuo usu extenuantur, sic fides perpetuo de ipsa sermone atterrebatur, et eorum, qui de ea semper loquebantur, perfidiam notabat. Qui enim crebro rem aliquam se velle dicit, ab ea maxime videtur abhorrere; qui nolle, eam efflictim deperire. Nec fides tot motibus convulsa firmas radices agere poterat, ut neque tenera virga frequenter hominum manibus vel animantium affrictu agitata.

Firmiorum catholicorum mortes non causae sed occasiones fuere huius ruinae.

2. Ut ergo ad intimas et influentes in hanc mutationem causas accedamus, Deus ab iis arcendus, cuius infinita bonitas nullius peccati effectrix nec fautrix est, sed omnis boni procuratrix; nec secum pugnare posset, ut illam fidem, quam tantopere plantari et altioribus fibris haerere vellet, simul extirpandam curaret. Non possumus tamen incomprehensam ipsius sapientiam et providentiam non admirari, quod cum fides ipsius sit **aedificatio, plantatio, et germen delectabile* (1), passus f. 157.
sit ea pedamenta et proceres, quibus sustentabatur, avelli, nempe proregem Bucô, Cabam Christôs et Fecur Egzi, senatorem Tinô ab Imperatoris latere et secretis pelli et Ras Selam Christôs, imminuta potentia infirmari; qui Imperatorem vacillantem confirmabant et aethiopicum coelum, ne rueret, tamquam optimi Atlantes suis humeris fulciebant, eos vero qui malleolos ad ecclesiam incendendam facesque comparabant, invalescere, in curia residere atque Imperatori perpetuo assidere permiserit, ut venenum semper inspirarent et recta consulentes ab illius alloquio propulsarent. Illud tamen inter probos et improbos est discriminis, ut illi se pro fide et imperii incolumitate, conscientiae suae testimonio freti, constanter in pericula coniiciant; hi ut in malum audentes, sic in bonum trepidi vitae suae parcant, ne ipsorum matres (quod proprium est ignavorum) in ipsorum funeribus lacrimentur. Huius igitur mali fibrae, omissa inconstantia africanae genti, et ideo abassinae innata, primum in domum regiam et derivatos ab ea surculos, deinde in monachos, in regni proceres et tandem in populum diffunduntur, ut

(1) 1 *Corinth.*, 3, n. 9.

vere possimus dicere: *Omne caput languidum et omne cor moerens. A planta pedis usque ad verticem capitis, non est in eo sanitas* (1).

Imperatoris spiritus semper promptus, caro autem infirma.

3. Dignissimum corporis istius caput erat Imperator, quem inficiari non possumus medullitus et ex intimo cordis affectu fuisse catholicum et fidei veritatem penitus introspexisse, et in illius propagationem toto conatu incubuisse; addendum tamen in aulae et castrorum impunitate et carnis licentia enutritum, ad avi sui Salomonis exemplar, quanto plus aetate provehebatur, tanto minus a voluptatibus exaruisse, et illecebras vel cum eo natas esse, vel adolevisse et consenuisse, ut merito dici possit *depravatum fuisse cor illius per mulieres* (2). In hanc Charibdim et navifragum scylla-
f.157,v. ceum *impacta est coronata ipsius sapientiae navis; in caenosum istud volutabrum cordisi llius tam nobilis, quam generosi prudentia demersa, et contumulata. Huius peccati adeo famosi poenas dedit, et ante et post mortem, cum ex viginti quinque liberis masculis quos reliquit (ne loquamur de foeminis quae multo plures fuerunt) nullus modo supersit, sed omnes intra exiguum tempus primogeniti iussu sint interfecti, dempto Claudio germano, quem tamen anno 1646, propter ornatam coniurationem, obtruncavit, vel ut alii tradunt, fauces linteo elisit, et duos, quos pater plus oculis suis amabat, Aethiopiae florem ac delicias, Iacobum et Iustum, ipso iam graviter decumbente, in vincula, mox in arcem vicinam, postea in rupem sepositam ac tandem in securim compegit. Sic illicitae patrum voluptates in Aethiopia, non aliter quam apud turcas, vertuntur in eorumdem opprobrium et in haeredum carnificinam. Vix post duos menses, cum in Aethiopiam ingressus esset Patriarcha, vagae istius licentiae pudore captus Imperator, unius, quam prae coeteris diligebat, thoro, missis aliis, se nixus est alligare. Quod, nisi divinae legis interdictum obstaret, catholicae fidei incommodum non erat, cum illa in eamdem absque fuco propenderet. Ipsum tamen Patriarcha rogavit, an Reginam, quam primam duxit, pellicis loco semper habuerit, cum animo eamdem ad libitum dimittendi, vel cum ipsa et quavis alia insolubili nodo matrimonium contraxerit. Cum vero ille affirmaret, se cum Regina (quae ipsi erat ob ingenii duritatem minus grata, et nobis ob simulatum in fidem animum inter caeteras magis adversa) irrevocabiles nuptias iniisse et veterem illum amorem liberorum nutricatu coaluisse, nec a se laborum in recupe-

(1) *Isai.*, I, n. 5. — (2) 3 *Reg.*, II, n. 4.

rando regno consortem, honeste dimittendam, negavit Patriarcha, id quos Deus semel coniunxerat, a se posse dissociari, addens, christianum coniugium unius esse cum una convictum, cui si quaevis alia superinducatur, non uxorem dicendam sed concubinam. Quod responsum tantum illi moerorem indidit, ut de regno in filium mox transferendo deliberaverit, et solis *patrum rationibus flexus abstiterit, ne fidei aedificium vixdum inchoatum, antequam caementa copulata essent et concreta, dissiparetur. Illud tamen possumus audacter astruere semper Imperatoris animum erga orthodoxam fidem quam promptum et solam carnem fuisse infirmam, si tamen infirma dici potest, quae spiritum adeo fortiter elisit. f. 158.

Princeps ad omnes libidines proiectus.

4. Proiecta patris libido, pessimis illius exemplis et ingenita corporis titillatione et regiae domus blandimentis promota, in omnes pene liberos se diffudit. Basilides ita stupris et incestibus etiam sororiis (ut ferebatur) se involvit, ut clarissimam et venustissimam foeminam sibi in manum datam, a se proiecerit, nec umquam in animum induxerit ut alii se adstringeret, sed in tantos concubitus vulgabat, ut mater ingenti dolore discruciaretur, non quidem ob illatas Deo offensas, sed quod vereretur ne ipsius corpus turpis aliqua contagio foedaret. Aegrius enim corporis quam animi damna ab impiis tolerantur et carius aestimantur. Et inter coeteras, aliquas allegit, ad quas germanus ipsius Marcus, alias, ad quas patrui et avunculi, alias, ad quas ipsiusmet pater fuerat ingressus. Cum autem conscientia Patriarcham urgeret, ut ad propriam ipsius et omnium salutem, ne in eos flagitium tali exemplo velatum serperet, paternae admonitiones tempestive, et quam maxima fieri poterat, suavitate admoverentur, idque semel ab ipso factum esset, et saepius ipsius suggestu a patribus, et ille, ut verborum largus, sic factorum negligens, phalerata semper responsa redderet, nunc negando, nunc correctionem ore tantum, non tamen firma animi destinatione, pollicendo; illum hinc voluptatis scabies et dulcedo allectabat, inde odium in monitores accendebat. Hoc venenum cordi Principis subditum, praecipuam causam arbitramur cur ipse fidem, quam profitebatur, repudiaverit, et auctor fuerit extremae illius vastitatis, quod praesulem et magistros mallet, qui aurium pruritum digito uno scalperent quam qui purulentos libidinis tumores indeclinato monitionum scalpello resecarent.

Onguelavi regiae filiae procacia.

*5. De seniore ipsius sorore Onguelavi, quae Samaritanam in septemviratu, non in conversione, imitata, ad octavas nuptias Za Christôs f. 158 v.

coniugati maritata ipsa progredi volebat, nihil est, quod in praesentia dicamus, cum supra id saepius fuerit delibatum (1). Huius repulsae dolore furiata saepius comminata fuit, ubi germanus suus Basilides sceptro potiretur, fidem Romanam et omnes ipsius praecones Aethiopia exigendos. Ipsius partes agebant omnes curiales, Patriarcham et patres infractae duritiae accusantes, quod maiori Imperatoris filiae non conniverent. Claudius, eiusdem germanus natu minimus, cum ad hanc incudem tundendam cum infinita castrensium malleatorum multitudine ad Patriarcham venisset, eumque nihilo molliorem reliquisset, ad illos ab egressu dixit: Cuius emolumenti nostrum nobis est regnum, si quod libet non sumus effecturi?

Reginae, filiarum et foeminarum regii sanguinis licentia.

6. Ista quidem libidinis, sed Regina utriusque parens, inveterata dierum malorum anus, et Ita Amata Christôs, Imperatoris fratruelis, impietatis vexillum praeferebant, semper habitae haereticorum fautrices et occultatrices, quamvis fidem coram Imperatore vultu et verbis simularent. Has ingens evantum chorus sequebatur foeminarum, scilicet, regii sanguinis exercitus, quae Ozorôs dicuntur, et non Dei tabernaculo, ut quondam ipsarum aviae, sed suae voluptati excubabant (2), ingenitam claritatem et libertatem in Veneris servitium vertentes, et quo regiae domui propinquiores eo solutiores, et se annosa suarum congenerum consuetudine et procorum multitudine tuebantur. Illis maritos et maritis uxores mutare et usus et ludus erat. His, quos nuptiae alligaverant, moechari, et solutis passim libidinari, nulli noxae vertebatur. Imperatores, praeter quatuor uxores primarias, ad totidem portas castrorum metatas, quot alias collibitum erat, assumebant, nec cum ethnicae essent, eorum simulacris altaria erigere, nec illorum suffitores esse pudebat, ut Ras Selâ Christôs a David, sive Onag Segued, avi sui Salomonis ea in
f. 159. re imitatore factum narrabat. Nobis quoque nunc re*cens ab Aethiopia scriptum est, praesenti imperatori Basilidi ultra trecentas concubinas imperare.

Abunarum et monachorum solutio.

7. Abuna et monachi, penes quos scientiae et sanctitatis claves erant, ecclesiae et coeli fores sibi malorum exemplorum pessulis obdebant. Ille enim, praeter ordines inordinate impensos et illorum emolumenta, id solum curabat, ut matres filiabus et viri uxoribus ad se ductatis carerent; et multi flagella de vinea Sodomorum ac de suburbanis Gomorrhae ablaqueabant. Ob quae, et stuprum

(1) Supra cap. 9, n. 3, et cap. 17, n. 11, et cap. 18, n. 3. — (2) *Exod.*, 38, n. 8.

regis filiae illatum is qui Alexandria vocatus successit Patriarchae, a duobus annis exul in maris Dambaeensis insula, fluctibus eluitur, et infamiae flabris ac flagellis et intra et extra Aethiopiam verberatur. Monachi, cum suam turpitudinem uxoris nomine velabant, sanctiores putabantur, nec coeteros discipularum contubernium, aut vocabulum foedabat, aut presbyteratu insignitis religio erat diebus dominicis sacro operari, aut profanis ad sacram mensam epulari. Plerosque ex iis rabies exedebat, cum viderent calce conglutinata et testudineata templa a patribus extructa, et subsidia ab Imperatore et aliis principibus in sumptus erogata, et latifundia in dotem assignata, secum reputantes illa sibi adimi, quae Deo et peregrinis donarentur.

Aliquos ambitio, alios avaritia instigabat.

8. Acrius illos translati a se ad praelatos et magistros alienigenas honoris ambitio et invidia excarnificabat, cum se ex mendaciorum doctoribus recoctos cernerent in discipulos veritatis. Quorum aliqui hoc tempore, quo suos in nos mucrones ardescere fecerunt, sic ratiocinantes sunt auditi. Quid stertimus et veterno praegravamur? Totus mundus post istos abit: ad nostra templa et coenobiorum ostia solitudo. Haec quidem fides vera est et salutaris; si tamen invalescit, nos penitus occidimus. Tolle, tolle, dicunt: non hunc, sed Barabbam, Dioscorum, et Eutychetem. Multi etiam ecclesiarum praedia corraserant, nec restituendi, quamvis saepius admoniti, animum in*duebant. Regiis quoque senatoribus erat insuave f.150,v. sua tribunalia, illorum et matrimoniorum causis et sportulis ad forum ecclesiasticum translatis, orbari.

Odium et invidia in Ras multos accendebat.

9. Multos odium in Ras Selâ Christôs ex prosperorum ipsius eventuum perennitate conceptum et adultum adeo capitale exagitabat, ut cum vir gravis unum ex proregibus prius in fidem catholicam non male animatum, amice carperet, quod illam nunc hostiliter lacesseret, responderit: Sine modo ut Ras Selâ Christôs hac via deiiciamus; fidei enim suum semper tempus est repositum: si abierit, mox redibit. Ad eam sternendam in Imperatoris et principis cerebrum obtruserunt, illum cum Patriarcha et patribus dies noctesque agere de Lusitanis ab India in Aethiopiam ad imperium invadendum conciendis, nostrae ecclesiae non iam orationis domus erant, sed arces illis excipiendis praeparatae. Ras in nos beneficia et nostra in illum obsequia, mutuae pactiones et negotiationes. Quibus dictis credulae non erant Imperatoris aures, sed, cum patulae essent, delatores ad obtrectationes augendas accendebant. Semper enim vacuo vasi, donec

impleatur, hauriendum. Princeps, si patres non damnaret, patruum ob pungentem interius invidiae aculeum non absolvebat. Quotquot in Romanam fidem acerbo erant animo, illum tam intus et in cute romanum credebant, ut dicerent nihili apud eum esse imperii ruinam, dum illa vigeret. Id vero, non studio divinae gloriae amplificandae, sed privatis commodis tribuebant. Suspicacibus certe regum animis vel tenues affectati ab aliis Imperii umbrae lemures sunt et nocturni et diurni; ipsaque somnia, licet puerilia, tyrannis praemeditata, ob quae Iosephi fratres ipsum paternae domus et suae germanitatis extorrem in Aegiptum vendiderunt,

10. Hi singulorum, seu virorum, sive ordinum contra Romanam **Omnium in antiquam perfidiam et ritus amor.**
f. 160. fidem erant stimuli, sed omnes universim immissos ab *aevo Alexandria episcopos, et linguam aegyptiam ex vicinia, et in avitos et secum egressos ab utero mores, acrius singillatim in circumcisionem et polygamiam amor trahebat. Illud semper fumus ad stuporem demirati, quod, cum divus Petrus dixerit circumcisionem iugum fuisse, quod neque Iudaei, qui tunc vivebant, neque eorum patres portare potuerunt (1), Abassinisi nolita consuetudo ita verterit in naturam, ut in illius confusione gloriam et pulchritudinem sitam putent; nec inter illos turpius sit opprobrium, quam si quis Colafa, id est clausus seu incircumcisus appelletur. Paucis persuaderi potest, si vir aut uxor ab hostibus in servitutem abducatur, aut illorum alter quovis in longum tempus facessat, utrique non licere alium comparem quaerere, praecipue foeminis a quo alantur.

Melca Christôs, regius ille aeconomus et consanguineus, aliquando Patriarcham coram aliis primoribus rogavit, qui fieri posset, ut homo ad unius tantum foeminae commercium restringeretur? Quem ille, et socios, ut in ruborem coniiceret, vicissim percunctatus est, num ipse cum sex vel septem christianis an cum totidem mahometanis loqueretur; cumque omnes responderent se, Dei beneficio, christianos esse, subiecit Patriarcha: Mahometani libidinem in plures vulgant foeminas, quia legislator eorum Mahometus, quamquam contra divinas sanctiones, hanc impunitatem ipsis indulsit; Christus vero lege sua sanctissima, quae non carnis est sed spiritus, suos sectatores uni adstrinxit, nec eos ultra illam palari permisit. Pudor omnes tenuit et senator Tinô, qui aderat, post digressum in percunctatorem excanduit, quod Patriarchae aures tam ineptis quaestionibus oppleret.

(1) *Act.*, 15, n. 6.

Invisibilia pauci curabant, visibilibus occupati.

11. Tandem cum vera et incorrupta fides sit, ex Apostolo, *sperandarum substantia rerum,* et caementum eorum bonorum, quae in alia vita sunt possidenda et *argumentum* non quidem evidens, sed *per speculum et in aenigmate, non apparentium* (1), sic haeresis, quae tota illius caementi demolitioni incubat, mentis oculos ita ob*caecat f.160,v.
ut carnis vitiis et vitae huius quisquiliis submersa totam aeternorum curam in praesentium solicitudinem convertat. Bellua est praeterea non septiceps sed multorum capitum, quorum uno desecto, septem; septem amputatis, septuaginta et septuaginta truncatis, septingenta: alii videlicet ex aliis errores subnascuntur. Haeretici enim saxeum fidei caementum instabili pede tangentes arena nituntur, et aeterna quasi per somnium et in cerniculum contemplantes, uno errore avulso, decem sub pectore occultant, illorumque convictis, plures aliorum stolones erumpunt, quia securim, non ad arboris radices, sed ad supremas frondes admovent, et paucissimi firmiter apud se statuunt, quidquid Ecclesia Romana proponit illibate credendum, et exequendum.

Pessima fidei confusio ab aliquibus excogitata.

12. Hinc ortum ut caliginoso hoc tempore aliqui etiam ex iis, qui se catholicis opposuerant, circa haeresim Dioscori et Eutychetis, quae matrix est omnium errorum Aethiopiae, discordialem quandam concordiam depacti, dicerent se duas naturas Christo subtrahere non posse, quo articulo ex romana doctrina sumpto, in reliquis Alexandrinae se pedarios futuros, utramque doctrinam aliquid siliginis et aliquid retrimenti habere, sui se iudicii cribro utile ab inutili excreturos. O praeclaros fidei censitores! qui in eodem altari Dei arcam, et Dagonem, Christum et Belial, lucem ac tenebras, veritatem et mendacium constituentes, deteriorem illa Babylonici regis apud Danielem statuam, utpote ex pluribus et vilioribus metallis fusam, conflaverunt, cui quidquid enitantur, ablaturi non sunt pedum luteorum fragilitatem.

Aethiopiae ruina admirationem gignere non debet.

13. Quamquam supervacuum sit rationem quaerere, ubi ratio non est, hae rationes fuere, ob quas Abassini ad allia et caepe aegyptia suspirarunt et, quamvis dolendum, mirandum tamen non est Aethiopiae accidisse, quod regnis aliis amplioribus et cultioribus. Ut magna pars Germaniae, Galliae et Belgii et tota Dania et Svecia ab antiqua fide defecerint, satis fuere tartarea illa *Lutheri f. 161.
et Calvini classica vitae laxitatem permittentia. Ut Anglia infini-

(1) *Heb.*, 11, n. 1; 1 *Corinth.*, 13, n. 12.

tarum et sibi contrariarum haeresum flammis conflagraret, scintilla libidinis Henrici octavi effecit. Florentem in Iapponia christianam fidem levis suspicionis aura oppressit, fore ut sub ipsius pallio Hispanorum arma suggrederentur. Quae ergo alias orbis partes diversa labefactarunt, ea in Aethiopiam conglobata irruerunt; continuae intestinorum bellorum occidiones, externorum timores, veris maiores; avaritia, invidiae, carnis licentia et praeceps malae consuetudinis flumen vix ulli adverso pectore tranandum. Nec cymbae rectori culpae tribuendum, si nunc illam fortiter medio alveo, nunc caute oram legens impellat, et ipsa fluctuum importunitate ad cautes alidatur; ut neque medico, vel chirurgo, si, cum ipsi medicamenta scite applicent, aegrotus sua intemperantia efferatur. Scimus enim coelestes medicos dixisse: *Curavimus Babylonem et non est sanata* (1). Curatio nobis commissa est, non sanatio, quia non est in medico semper, relevetur ut aeger, cum Hippocratis et Galeni plus valet arte malum.

(1) *Ierem.*, 51, n. 9.

CAPUT XXVII.

Clandestinae fidei hostium molitiones ad illam duobus praeconiis subruendam et Patriarchae oppositio.

1. Callidis et nequitia callosis Romanae fabricae suffossoribus, Imperatorem nunc animo debilitatum praeteriti infortunii recordatione et impendentium formidine intuentibus, et fidem ex Bucô, Fekur Egzi et Caba Christôs caede et Ras Selâ Cristôs, senatoris Tinô aliorumque praestantium catholicorum deiectu, defensoribus deser- tam, visum fuit sua machinamenta instan*tius urgere et molem, quam saepe convulserant, semel labefactare. Veteres illas cantiones de occisorum in his bellis civilibus multitudine, de rusticanorum imperitia, suorum rituum tenacitate et cunctorum in eos propensione repetebant; nec iam de frondibus, sed de trunco; nec de solis ritibus sed de tota fidei summa agebant, deposito pudoris velo, Imperatori obnuntiantes, se nisi popularibus fidei optionem daret, ab omnibus deserendum, mores saltem antiquos permitteret: forsan illorum bolo rusticanorum ora obstructum iri, cum tamen unicum illorum notum esset, ut prisca perfidia morum nomine tamquam hamus esca involutus devoraretur.

Rituum nomine haeretici suam perfidiam tegebant.

.161,v.

2. Hac de re cum Patriarcha sermonem contulit Imperator, cui ille respondit, exploratum ipsi iam esse posse ex liturgiarum ante biennium contentione, suis non de vestibus esse, sed ipso fidei corpore, certamen; tamen, ne videretur ipsius optatis contravenire, se quod iam

Tria inter Patriarcham et Imperatorem conventa sine praeconio transigenda.

prius annuere, ut eaedem correctae, a sacerdotibus rite consecratis et festivitates antiquis diebus celebrarentur, praeter Pascha et quae illius sunt appendices; cum haec res fidem proxime contingat ut in magno concilio Nicaeno definitum, et quarta feria ipsius ieiunium amantibus, pro libito esset esurialis. Monere tamen se, ne istae permissiones praeconiis committerentur: si fiat haereticos triumphum acturos et ubique sparsuros, Romanam fidem iam esse sepultam et Alexandrinam illius vice suscitatam.

Praeconium inordinate in castris propositum.

3. His ita constitutis, Patriarcha in Enfrazium, ordinariam suam habitationem, discessit; et Imperator, eadem pene via castris egressus, ut Lastenses, suis montibus exeuntes et in regnum Bagamedrinum exundantes, cohiberet, Patriarchae domo ad occidentem relicta, ad sex vel novem milliaria in superioribus Oinadeguae prope Libo montes, Dancazio ad Eu*ronotum obiectos, consedit. Hic illum iniquitatis con- f. 162. siliarii ad praeconium iaciendum adegerunt, quod fidi catholici, et praesagium et pervigilium ruinae iam iam properantis censuerunt. Licet enim Imperator pactos cum Patriarcha permissionum terminos non transilierit, praeconii antistites sic illud ad haereticorum palatum condierunt, ut ipsi laetitia triumphaverint et in diversas partes mutatae fidei nuntia emiserint, et tanta fuit aliquorum improborum temeritas et audacia ut p. Didacus, qui castris intererat, non procul ab extremo periculo abfuerit. A quo Patriarcha incontinenti admonitus, ex officii sui debito ad Imperatorem sequentem epistolam exaravit, in qua et aliis eiusdem ad Imperatorem et Imperatoris ad eumdem, quae deinceps crebrae ponentur, ad veritatem in ipsis fontibus agnoscendam, aethiopicum stylum in gravibus personis per tertiam pluralis numeri alloquendis nequaquam observabimus, sed nostro scribendi genere utemur.

Patriarchae epistola.

4. *Quamquam V. Maiestati annuerim ut quartae feriae ieiunium servari posset, antiquae liturgiae recitari, sub iis conditionibus, quae in ipsarum fronte sunt obsignatae, solemnitates iis diebus peragi, quibus antiquitus, excepto Paschate et iis quae ipsum consequuntur, statim illam cautionem adhibui, ne isthaec praeconiis iactis in V. Maiestatis castrorum portis transigerentur. Qui enim illa iaciunt ad suum arbitrium contorquent, qui audiunt ex suo sensu interpretantur. Quod nunc evenit. Etsi enim ego certus sim V. Maiestatem ab eo quod inter nos conventum fuerat ne latum unguem discessisse, huc perlatum et tota iam Aethiopia disseminatum, praeconio indictum fuisse ut cuncti in parentum suorum fidem regrederentur, id-*

que castrensem turbam cum tripudiis, veros catholicos cum intimo
162,v. *dolore *et multis lacrymis excepisse. Iis vero causam dedit inobservatae pactionis et circumstantiarum transgressio; cuius neglectus Deus a V. Maiestate strictam rationem est exacturus.*

5. *Ne autem ego et coadiutor meus futurusque successor, quos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo, ut dicitur in Actis Apostolorum* (1), *eam simul reddamus, et simus in eadem damnatione, V. Maiestati palam facimus in hoc praeconio debitum ordinem minime observatum. Cum enim illius materia sit pure ecclesiastica, nostro erat, non V. Maiestatis, iussu, in templis non in castris praedicandum, et meminisse debuerat V. Maiestas gravium illorum ac verorum Azariae summi sacerdotis ad regem Oziam verborum, lib. 2, Paralipomenon, cap. 26:* Non est tui officii, o Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hoc ministerium. Egredere de sanctuario, ne contempseris, quia non reputabitur tibi hoc in gloriam a Deo. *Recordari quoque posset V. Maiestas supplicii extemplo illi regi a Deo inflicti.*

6. *Si autem satis non esset illud in templo praeconium, et ad pleniorem notitiam expediret in castris proclamari, nostro nomine aliquis ex patribus vel ex nostris capellanis, aut persona alia a nobis constituta, assistere debuerat, ut illa arcerentur, quae cum tanta Dei et piorum offensione evenerunt. Testantur enim multi, qui praedicto praeconio affuere, in eo imperatum absolute, ut priores missae sine mentione illius auctarii, ut correctae et a sacerdotibus a me, vel ab episcopo initiatis dicerentur. Et de festivitatibus generatim actum, absque exceptione Paschatis et aliarum ab ipso pendentium, nec feriae quartae abstinentiam ieiunantium voluntati relictam, sed praefinito,*
f. 163. *quasi *in sabbati condemnationem indictam. Nunc ergo, ne novissimus error sit peior priore, id fieri oportet quod prius omissum; iterumque idem praeconium p. Didaco praesente iactandum.*

7. *Quia vero haec absque principis Faciladas consilio et conscientia perfici non debuerunt, a V. Maiestate sub divini nominis obtestatione flagito, ut meam hanc epistolam illi iubeat ostendi. Et V. Maiestatem, atque illum coniunctim admoneo, ut a patre luminum lumen nitantur exorare, ne ita oculos in terrenum regnum, quod transitorium est, defigant, ut coelestis, quod aeternum est, obli-*

(1) *Act.*, 20, n. 28.

viscantur et utrumque simul amittant. Hactenus epistola a Patriarcha.

Aliud praeconium rite iactum.

8. Imperatoris lateri haesit hoc non tam lethalis quam medicinalis arundo, et statim id fieri curavit, quod Patriarcha deprecabatur, alio praeconio ad p. Didaci praesentiam et praescriptam formam iacto, quo praestantes catholici plurimum sunt exhilarati. Idem etiam Dancazii praestitit Bageronde Ioar, castrorum praeses, inter primos semper numeratus, coram patribus Francisco Roterigio et Iosepho Giroco, in quo illud adiectum: Imperatorem in fide Romana constantem semper perstitisse, perstare et perstaturum, et velle ut omnes eidem immobiliter adhaerescant; solam trium rerum mutationem, annuente Patriarcha, permisisse, quae non ad illam, sed ad ritus pertinerent. Ingens praesidis et catholicorum consecutus est plausus et festivi clamores ad haereticorum confusionem et opprimenda nuntia, quae de Romanae fidei interitu prius fuerant disseminata. Imperatoris rescriptum subiiciemus ut ex altera parte impressum ex Patriarchae epistola vulnus, ex altera intimus in Romanam fidem amor agnoscatur, quamvis illi haeretici dolosis machinationibus obruere niterentur.

Imperatoris ad Patriarcham epistola.

9. *Epistola Imperatoris Seltan Seguedi ad Patriarcham perveniat cum bona Dei pace, qui est benedictus in saecula. En ad nos devenerunt V. Dominationis litterae, et quidquid in eis continebatur intelleximus circa illa, quae nobis ad seditiones compescendas et tranquillandos popularium animos concessit; quod fidei non *pugnarent* f. 103 r.
nempe feriae quartae, sublato sabbati, ieiunium et antiquas liturgias a V. Dominatione cancellatas. Dum nos adhuc Dancazium teneret, castrensis multitudo acriter premebat, ut earum rerum, quas V. Dominatio probaverat, praeconium deferretur. Sed a faciendo destitimus ne rusticani crederent ullo nos ipsorum timore occupari. Nunc, cum rebellionis tempestas paululum interquieverit, id sumus executi, quod V. Dominatio praeceperat; atque adeo nihil a nobis gestum praeter conventa. Id quod V. Dominatio apponit eos, qui praeconia iaciunt, illa ad suum arbitrium affingere, illos vero qui audiunt ex suo sensu interpretari, natum est ab iis qui veritatem invertunt et evertunt. Quid enim illi qui praeconiis praesident his, quae nos praecipimus, detrahere possunt vel augere? Quomodo ii qui intersunt explicare possunt quae non audiere? Quomodo dici potest, fidem mutatam et bonos ob eam causam dolore vulneratos, cum sciant iota unum vel unum apicem ab ea minime sublatum? Nec improbos

laetitia pervasit, cum aperte dictum fuerit, solos a Patriarcha auctoratos sacris posse operari. Sed malefici cordis homines et perturbationum anhelantes, id quod ab ipsis confectum fuit ad V. Dominationem detulerunt. Cum igitur ultra praefixas nobis a V. Dominatione metas non transultaverimus, nec accensi nostrum verbum ampliaverint aut decurtaverint, quo iure V. Dominatio Oziam in medium adducit (1), *et nos eidem componit? Ille ob occupatum sacerdotum officium, quod in eum non cadebat, ob thus et sacrificium oblatum, quae nunquam tentavimus, a Deo lepra fuit in fronte ulceratus; nos id tantum praeconio firmavimus, quod V. Dominatio indulserat. Fidem Romanam, cum primum hic sata fuit, nec patrum praedicatio, nec miracula ab ipsis edita stabilem reddiderunt. Sed cum viderimus nostrorum librorum doctrinam illi consonare et obliquitatem et falsitatem in nostrorum interpretum sensibus reperiri, Romanam fidem, non ex popularium placito sed summa iudicii maturitate, quod Alexandrina veriorem noscerimus, nostris iussionibus*
f. 164. **et praeconiis constabilivimus. Quae omnia a nullo coacti sed sponte praestitimus visibili regno posthabito et invisibile contuentes. Quomodo ergo nos V. Dominatio admonet, ut oculos a temporali regno, quod fluxum est, avocantes, illos in aeternum conferamus? Quot ex nostris ob hanc causam obierunt? Quot nostri imperii regiones perierunt? Quae singillatim non percurrimus, quia V. Dominationi cognita sunt explorate. Persuasum certe nobis est, nos in hac re nihil contra Deum deliquisse. Si enim vi ab aliquo adacti hanc fidem complexi essemus, tunc ansa esset suspicandi, eam a nobis posse deseri et velle ad vomitum reverti. Sed cum ultro in eam concesserimus, quod fecimus infectum reddere non possumus neque quod aedificavimus demoliri. Quapropter V. Dominatio in posterum malorum et mentientium verbis aures occludat.* Sic Imperator.

Alio praeconio Patriarchae iurisdictio convellitur.

10. Verumtamen cum haeretici semper labefactandae fidei invigilarent, post paucos dies, illius alio praeconio convellendae occasionem sunt aucupati, licet illud fidem recta non quateret, sed tantum Patriarchae iurisdictionem admorderet. Cuius haec origo. Unus ex supremis *Umbaribus*, sive iudicibus, quibus in proximum senatoribus tribunal ius est haereditarium, mundi nausea ductus, illum secum cum uxore et liberis in eodem contubernio viventibus, in quamdam ecclesiam Tecla Hâymânot invexit, praeter abbatis nomen

(1) 2 *Paral.*, c. 26.

et cucullum nihil amplius novi asciscens, nisi ecclesiae fundos quos sibi universim adiudicavit. Parochus ad Patriarchae asylum confugit, conquerens sibi ab ipso animarum curam et famam simul legatam, cum Umbar totos agros possideret. Is constituit (quamvis inique, sed iuste pro tempore) ut titularis ille monachus parocho in alimoniam cederet competenti agrorum portione. Ille ad suum cucullum provocans generalem monachorum Tecla Hâymânot, Ichegue dictum, et in castris tunc agentem, adivit. Ubi cum multos haberet contubernales (neque enim monachismus aethiopicus certat cum vita militari, curiali, vel uxoria) facile obtinuit ut praeconio statueretur, Patriarchae antiquorum Abunarum, generali mo*nachorum aliorum f.164,v.
generalium iure deinceps standum. Quod optimis catholicis et Patriarchae, cum novit, non parum doloris attulit; sed tunc dissimulationi mandandum fuit et abrogationis tempus expectandum, quod tamen, rebus in dies in peius collabentibus, Deus neutiquam adduxit.

CAPUT XXVIII.

Imperator Lastense bellum Ras Selâ Christos committit, et reluctantem cogit, ut iniquum locum occupet, e quo illico reiicitur.

1. Dancazium ad maiorem hebdomadam celebrandam se recepit Imperator, aestuante maxime pectore, quod sciret rusticanos repetitis suorum infortuniis tumidos, Lastae rupibus omissis, toto regno Bagamedrino potituros, nec provinciales quidquam refragaturos, sed illis assensum non gravate praebituros; multos praeterea suis in castris vivere rerum novarum studiosos, qui clementiorem sibi fortunam sub novo rege sponderent. Non apparebat cui tanti belli molem crederet, cum nosset omnium hostium terrorem unum esse Ras Selâ Christôs qui recessum suum Serquensem tunc colebat podagrae aegrotatione et animi aegritudine confectus, ob veteres agros ereptos, et Gojamae principatum, per annos viginti integerrime administratum. Qua de causa nec ipse bellando, nec Imperator ipsi invitando erat, cum facile elabi posset, ob tam validas ad iugum excutiendum rationes. Cum patribus semel hac de re collocuto se obtulit p. Didacus ad illum accersendum, et ut belli onus susciperet adducendum, dummodo ipse gratum haberet obsequium et necessarias ad tantum bellum sustinendum copias suppeditaret. Omnia pollicitus est Imperator, et pater, quo erat ardore, castris egressus, dominica in ramis palmarum, feria sexta eiusdem hebdomadae, cum **P. Didacus accersitum abit Ras Selam Christôs.**

maximo dolore tam sancti temporis in bellicis tumultibus contriti, se et Ras in eadem importavit, decursis in habitu [*sic*] sexaginta milliaribus, quibus Danca*zium et Serqua dividuntur et totidem in f. 165. regressu.

Ara portatilis ab Imperatore in Patriarchae templum inducitur.

2. Summam laetitiam sumpsit Imperator ex fratris adventu, et magni visus est facere illum animum quo se periculis belli adeo difficilis non subtrahebat. Sed cum ad opes ventum esset, ii consultores, qui fidei et imperii perniciem moliebantur, Imperatoris manus constrinxerunt, ne ea, quae prius habebat, et singillatim milites, qui toti erant ipsius nervi restituerentur. Regni tantum Bagamedrini cadaver et tenue Damotum gubernaculum concessit. Ob Dei et fidei obsequium humeros oneri supposuit, quamquam sciret opus se periculosae plenum aleae tam ad partae tot iam victoriis gloriae, quam ad vitae iacturam, subire. Per ferias paschales adfuit arae portatili ab Imperatore in Patriarchae templum introductae, et tunc maxime celebri ipsius concioni, qua probavit duplicem esse resurrectionem, alteram Christi servatoris alteram daemonis, cum sepulti ipsius errores in vitam revocantur ab ipsius administris, qui sunt illi, quos Iob dixit paratos esse *suscitare Leviathan* (1), in quae verba, illa omnia elocutus est, quae praesens tempus et machinamenta exigebant. Castris statim degressus, in Bagamedrinum regnum se intulit, ad latus adscito p. Ioanne Sosia, quem spectatum ad divina et bellica per annum in Amarensi provincia commilitonem fuerat expertus.

Imperator et Ras male stipatus in bellum degrediuntur.

3. Post illius exitum, in priorem locum, ubi iactata praeconia rediit Imperator, a quo celsi montes Dancazio oppositi inter Euronotum et Orientem post profundam planitiem attolluntur, dicti Belleza, qui hostibus maxime opportuni erant, tum propter excelsitatem, tum propter maximam vim frumenti in eos cogitate comportatam. Saepius Imperatorem Ras admonuit cauto et servato opus esse, vel sibi montes illos committi oportere, ne hostes, iis expugnatis, et arcem et horreum nanciscerentur. Nihil minus ille curavit, ne generum suum Zamarianum, illorum possessorem, contristaret; eos nunc iure suo ipsi custodiendos delegans, utpote *cui, cum f.165 v. Lastensi tragediae principium dederit, supremus actus servabatur. In eos rusticani se indiderunt, quin vel unus imperialium se opponeret, et annonae abundantes, inde in oppida circumvicina, quae

(1) *Iob.*, 3, n. 8.

plurima sunt, tuto excurrebant. Et cum hoc et alia abnormia multorum errata levi verborum correptione condonarentur, solae futiles aemulorum in Ras Selâ Christôs criminationes Imperatoris animum acerbabant.

4. Illum igitur malorum instinctores, inter quos Melcâ Christôs iam cum tyranno ad transfugium foederatus, irritare coeperunt ut iuberet collem, a rusticanis ad sesquimilliare discretum, a Ras quamprimum occupari, quod ut fidentius auderet ipse illos propius accessit, cum ab iis ad orientem sitis et a loco, quem a Ras ad austrum teneri volebat, aequali intervallo sex milliarium distaret. Quod consilium satis utile videbatur, ne rusticani montibus exscenderent sed consumptis frugibus abirent, aut in campos degrederentur, ubi certum erat memorabili victoria superandos. Nuntiis, quibus Ras ab Imperatore urgebatur, respondebat, migrandi tempus adhuc non esse, tum quia suae copiae nondum advenerant, nempe Gallae auxiliares ad millenos, quorum pars magna equites, et Damotes quos vocatum miserat, tum quia per eos dies podragicus [*sic*] decumbebat. Clausas ad omnem excusationem aures habebat Imperator, et erant qui fortius obserarent, suadentes illum valere et sufficientibus copiis esse instructum, sed causationes semper quaerere ut regiae voluntati obnitatur, et omnia vetus diffidentia Imperatori credibilia reddebat. Qua instigatus, cum Ras biduo ante festum Pentecostes ei per interpretem nuntiasset, se neque iusto militum numero esse stipatum neque ex podagra in equum posse conscendere: si mortem commeritus esset, se ad sua castra perduci iuberet, et ante ipsius tentorium obtruncari; id sibi honestius et ipsi utilius fore, quam penitus imparatum certae morti ignominiae et extremo imperii intertrimento obiectari. Per palatii senatorem in eam rem dimissum
f. 166. cum tota acritudine respondit: Quo *iubeo, statim, posita omni tergiversatione, abscedas: si non es equitando, lecto impositus ito, et obito. Mox iis, qui in tentorio adstabant, dixit: Orationem dominicam et salutationem angelicam recitate, ut mihi Ras obsequatur. Quod multi ex iis pronius efficerent, si pro illius in bello caesi anima preces illas essent oblaturi.

Ras iubetur iniquum locum occupare.

5. Cum Ras saxeas has voces audiit, respondit: Pareo et quo Imperator iubet, nempe ad mortem vel infamiam morte graviorem proficiscar; sed Deus iudicet inter me et illum. Equites illa statim nocte praemisit et sequenti die, quod erat pervigilium Pentecostes, antelucanis horis pedites expedivit et ipse, perpurgata prius mente

Ras dolor ex Imperatoris aritudine et militum paucitate.

ad p. Ioannis aures, sacrae Eucharistiae commeatum ab eodem suscepit, et quatuor ministris succollantibus mulae impositus, prope duas a meridie horas ad designatum sibi collem pervenit. Quinque vel sex tantum cohortibus cingebatur, in quibus bis mille et quingenti vel ad summum ter milleni, quorum plerique tyrones, censebantur; simplex equitum turma tercentos non superabat. Ipsum sequebatur Guebra Christôs Imperatoris gener, Gojamae prorex, vir et fortitudine et fide praepollens, cum octo vel novem quater millenum et quingentorum militum cohortibus; ita ut omnes in unam summam collecti novies millenos non adaequarent; eosque pauciores dissensio effecit, nam Gojamae prorex, leviculas quasdam offensiones publico damno compensans, suos ad duplicem vel triplicem sclopi iactum diversos est metatus, cum Biconus tyranni caput seu Ras, cultu quidem rusticanus, sed militari consilio et robore lusitano Viriato simillimus, ut se imperatorio opponeret ultra vicena bellatorum millia numeraret.

Vix ut accessit, ab hostibus circumvenitur.

6. Noverat hostis egregie oppositi exercitus exiguitatem, ducis invaletudinem et loci iniquitatem, sed sibi ac suis maxime opportunam, cum confragosus esset et equitibus infestus, suis autem per lastenses scopulos instar caprearum et simiarum subsilire assuetis, facile meabilis. Vix pervenerant, quin vallos circum*ducere possent, f.166,v. et situm oculis lustrare, cum rusticani pluribus portis ingruerunt. Ras ad tres vel quatuor in sua castra ducentes, equo laboriose conscenso, advolavit, eumque ter vel quater animose incitans et hastam quatiens, milites ad proelium brevi oratione cohortatus, prae dolorum impatientia desiliit, et sellae insidens cuncta disponebat et subsidiarios quo acrior erat hostium contentio submittebat. Ubi cum fortiter ad duas horas pugnatum esset, eos ante noctem colle penitus deiecit; et post actas Deo gratias suis receptum indixit. Ipsum vero experientia docuerat novicios et instrenuos milites, magis terrore, quam pudore fraenari et suos, si quid recte turbarum esset, pedibus se commendaturos, et p. Ioanni ad quemcumque eventum pernicissimum ex suis equum deputavit.

Hostes colle deturbat.

Gojamae prorex valide pugnans, a suis deseritur.

7. In proregem Gojamensem maior laboris et periculi moles incubuit. Locus enim, quem sortitus fuerat, hostibus undique patebat et ab iis undique premebatur, sed collato pede et animo constanti, atque obdurato certamen in noctem protraxit. Ubi tamen tenebrae sunt densatae, militibus metus adolevit et pudor (quo nox caret) excessit, eorumque plurimi proelio dilapsi, suis stationibus desertis,

liberum rusticanis ingressum permisere. In varias partes animum prorex distrahebat, sed, cum suorum fugam sistere non posset, bis a Ras auxilium poposcit, quod ille quam maturrime impertiit. Sed cum nox caeca esset et frigore ac ventis horrida, ducum iussa nec properato nec exacte implebantur. Proregis exercitus debilitatem hostes experti, eum illuc addensati perruperunt, et castra insederunt, pluresque caesi essent, si rusticanis cura esset illos insequendi, sed totam in castris diripiendis posuerunt, tentoria in plura segmenta dividentes, iisque se contegentes, cum omnes nudo pene essent corpore, et bubuli tantum corii fragmentis aut caprinis vel ovinis pellibus obtecti. Corpora quoque multi igne foventes evadendi locum victis dedere; quos inter prorex incolumis excessit, cum in proelio nihil suo muneri vel nomini defuisset.

f. 167. *8. His nuntiis ad Ras castra perlatis, omnes fere, intempestae noctis silentio et tenebris ruborem velantibus, tacite sunt egressi. Perplexum se ipse et consilii indigum invenit. Cor fugere vetabat, quia in nullo umquam proelio suam famam eo dedecore contaminaverat. Ut pugnaret, solus erat. Quid ergo agendum viro forti? In consertos hostes, equo agitato se immittere destinabat. Hoc tamen illunis noctis tenebrae negabant, cum quo sibi eundum esset non videret, et suorum praecipui illum ab hoc inconsulto et temerario ausu demoverunt, asserentes ipsum tunc victum non fuisse sed, illos qui ipsum ex invidentia in periculum inevitabile coniecerunt; nec a militibus desertum posse vincere; sanum ergo esse pro tempore discrimini se subtrahere et novum militum delectum facere ad certamen cum hoste consulto instaurandum. Equestris igitur turma, illum medium assumens, eamdem viam remensa, quam pridie fuerat emensa, procul a Bellezae montibus die Pentecostes solem orientem aspexit et inde maximis itineribus contendens biduo Serquam tenuit, quod Ras stabile erat receptaculum. Propius autem non stetit, tum quia nullus ad eum militum globus accessit, a quo defendi posset, tum quia domi suae podagrae medicari opus erat; in qua, licet nihil escarum, potionum et unctionum desideraretur, per quindecim dies decubuit, quin huc vel illuc moveri posset, nisi a suis pueris adiutus.

Ras milites noctu defugiunt et ipse sano consilio liberatur.

9. Cum Ras iter aggressus est, paululum ab illo, data occasione, p. Ioannes diverterat, quin eodem temporis articulo et itinere gradi posset. Deus tamen illum in tanta rerum confusione et hostium conglobatione servavit. In equum enim insiliens, et ab angelo custode

P. Ioannes divina ope evadit.

ductus, difficilem montis declivitatem, spinis densissimis infestam, et hostium cuneos, totum collem iam vallantes eluctatus, veredari in morem tota nocte subsultim viam confecit, et in gallicinio, cum aliis idem iter aggressis novem milliaribus aberat a rusticanorum stationibus, nec procul a castris imperatoriis, in quae sequenti die est ingressus. Nec caesorum nec captorum magna fuit multitudo, tentoriis tantum, exiguis castrorum impedimentis et aliquibus mulis potiti sunt rusticani. Pater etiam omnem apparatum, quo sacrum facere solebat et paucos libros, ob vectorum inopiam et ministrorum trepidationem amisit.

CAPUT XXIX.

Patriarchae, episcopi et patrum ea tempestate conflictatio et pericula.

P. Ioannes Patriarchae domum tenet.

1. Magnus Imperatorem ex hac suorum militum, non tam eversione quam dispersione dolor et acrior metus invasit et retrogra-
f.167,v. dum cursum age*re unius diei spatio coegit, quem si tunc rusticani essent aggressi, et victoriam et imperium obtinebant. Sed tam immane ausum et consecutionem Deus impedivit. Ex castris p. Ioannes pomeridianis horis in vicinam Patriarchae domum devenit, eum ex Imperatoris ore admonens, ut Gorgorram, longius ab his turbamentis dissitam, quam iam tenebat episcopus, se conferret.

Patriarchae familiam suae adiungi Regina volebat.

2. Praeruptam rupem, dictam Amba Mariam, Patriarchae domui ad zephirum obiectam et solo flumine et montis acclivitate disiunctam, de qua alibi (1), Regina cum ingenti nepotum et ancillarum caterva insidebat et optabat, ut Patriarcha se ac suos in eam inveheret, tutiorem se illius societate futuram existimans. Sed illam ipse rogari iussit, nun aliqua arma et milites haberet ab Imperatore ad sui custodiam destinatos, cumque illa negaret, renuntiavit, se non corporum, sed animarum ducem esse, nec ad domum regiam defendendam sufficienti armatura, vel domesticis instructum. Certum esse, si quid hostes progrederentur, cum rupes illa esset in pro-

(1) Sup. cap. 4, n. 3.

spectu, ubi scirent Reginam et Patriarcham simul in ea demorari, certatim accursuros, ut totam domus regiae spem et fidei munitionem, eadem incursione expugnent, suamque praesentiam non illius et suorum nepotum defensioni, sed accendendae hostium cupiditati profuturam; et Imperatorem, si quid adversi accidisset, iuste queri posse, quod Patriarcha onus, cui ferendo non erat, suscepisset: Gorgorram igitur terra Patriarcha contendit, domestica supellectili in insulam Mecharecâ, suo latifundio adiacentem, dimissa, ut inde compactili ex papyro cymba Gorgorram transferretur. Post ipsius discessum Regina quoque in Dambaeae interiora suam familiam traduxit.

Angustiae et solicitudo Patriarchae et patrum.

3. Maximae fuere illis diebus Gregorrensis domus angustiae, non solum ob patres Dancazii, Ganetae, Patriarcham, Episcopum et ipsorum satellitium ibidem constipatum, sed ob plures alios, quos amor et timor illuc adduxit. Id tamen animum non adeo distringebat, quantum anceps belli fortuna, et sollicitudo quid esset de Imperatore et ipsius exercitu agendum. Ex unico enim victoriae huc vel illuc inclinantis momento, et imperium et fides pendere videbantur; praedatoribus non tantum Dambaea et Bagamedirum confinia, sed Tigraeum et coetera regna et provinciae adeo plenae et infestatae erant, ut neque domo sua cuiquam exire, neque nuntium alio mittere liceret. Ubique enim rusticani obvios non tantum expilabant aut vulnerabant, sed etiam, ut impunius spoliarent, trucidabant.

Patriarchae domesticorum in insula periculum.

4. In insula Mecharecâ fratrem Emmanuelem Patriarchae socium, et *alios ipsius capellanos sacrae et profanae supellectilis curatores f. 168.
suus labor et discrimen non defecit ab abbate Tecla Haymanot illius caenobii magistro intentatum. Hic inter patres in seminario Gorgorrensi prius divinis litteris fuerat eruditus et postea discentium praeceptor constitutus, cum antea litium texendarum artifex peritissimus fuisset. Qui sic ad patrum mores et modestiam se affinxerat ut ab iis parum vel nihil discerneretur et Romam se ire velle saepius testaretur, et ob id et egregias alias dotes simulatas, Imperatori et Ras Selâ Christôs summo in honore esset et illorum patrocinio a Patriarcha, qui nihil illi non credebat, huic coenobio praeficeretur.

Abbatis Teclae Haymanot proditio.

5. Ille qui lupinam haeresis versutiam sub ovina pelle celabat, tempestivitate usus, ad tyrannum et quemdam ipsius ducem, dictum Emana Christôs, qui in ea insula fuerat educatus et eidem amicitia connexus, scripsit opimas in ea Patriarchae gazas asservari, ad qua-

rum collectionem par erat festinare. Postea, ne frater et ipsius adiutores Patriarchae supellectilem Gorgorram transmittere possent, minis sutilium cymbarum textores ne illas ullo praetio venderent, et remiges ne ad eas impellendas suam operam locarent, sic deterruit, ut, cum cymba prius denario vel ad summum duplici constaret, nunc aegre decem aureis emeretur.

Illius transfugium et caedes.

6 Cum tamen tyranni emissarii longiores, quam ipse vellet aut pati posset moras traherent, veritus ne ipsius conatus vulgarentur, ducto secum omni domestico instrumento ad ducentorum aureorum aestimationem et plicatilibus papyri lintribus ad tyranni castra perrexit. Sed Deus ab eo, tam festine quam ipsius perfidia merebatur, expetiit ultionem. Non enim gratum ad illa habuit accessum et die perendina victus est tyrannus et ipse, monachali habitu dimisso et militari superducto, adversus imperiales procedens, inter primos est occisus; cum incassum clamaret, se esse Teclam Haymanot Mecharecae magistrum et haec nomenclatio magis victorum iracundiam accenderet.

Impium martyrologium ab eo compositum.

7. Inter tyranni manubias repertus est liber, qui ab hoc monacho dicebatur ipsius nomini nuncupatus, continens instar martyrologii eorum nomina, qui a duodecim vel quindecim annis contra Imperatorem rebelles, in proeliis ob Romanae fidei defensionem et propagationem initis, in Dioscori et Eutychetis errorum volutabro ceciderant. Quos omnes martyribus adnumerabat, eorum fundamentum constituens Abunam Simonem, qui cum Iulio perduelli, Imperatoris genero, fuit obtruncatus, et de eo sic praefabatur: Sanctus Simon martyr ob Alexandrinae fidei propugnationem tali anno, et
f.168,v. die *caesus. Super nos ipsius benedictio descendat. Vitam adeo perditam hic Abuna degebat, ut septem ad latus foeminas, in quibus duas maritatas, a viris per violentiam abstractas, haberet. Huic tam eminentis sanctitatis divo et aliis apostatis ac perduellibus se nefarius ille ac perditus commendabat. Horum auxilium implorabat. Librum vero tyranno dicabat tamquam alteri Constantino, et avitae pietatis restitutori; Seltanum vero Seguedum multis opprobriis onerabat, et Diocletiano et Maximiano ob Romanam fidem introductam componebat.

CAPUT XXX.

Ultimum imperatoris Seltan Seguedi contra tyrannum et rusticanos Lastenses proelium et mirabilis victoria ipsi a Deo concessa.

1. Post inconsultam illam Imperatoris in terga conversionem, aliam multo deteriorem et turpioris metus indicem digressionem fecit in dextrum latus versus Gojamam, Patriarchae domo, quam occidentalem habebat, ad septentrionem relicta, qua tyranni et rusticanorum animos plurimum erexit. Missis enim Bellezae montibus, ad inferiora, quae ipse sua praesentia tuebatur, descendentes, recto nec iam saltuoso Dancazii itinere, gradiebantur. Quo si semel pedem inferrent, totius pene imperii potiebantur; et iam iis omnes fere contermini, nec tenuiores, sed potentiores et validiores, in quibus duae militum domus, adhaerebant: *Maiarum,* qui Principi erant adscripti, et sagittandi arte praestantissimi, et *Cheraquae,* id est lunae, qui erant Imperatori, clypeorum candore lunam imitante; sed nunc verius ab illius et sua volubilitate sic nominati.

Pessimam versus Gojamam digressionem fecit Imperator.

2. Multi ex imperatoriis castris horum vestigiis institerunt, quos inter notatu dignior senator honorarius Sebastianus, idem velle et idem nolle cum Melcâ Christôs, et omnium ipsius arcanorum, sicut et hic regiorum, conscius; qui prius cum tyranno sibi cognomine pactus fuerat, se ad eum, qua data occasione, migraturum, et hoc animae dimidium suae et cum eo generum tamquam prodromos et

Senator Sebastianus et alii transfugae.

obsides praemisit. Tot erant, qui hoc translatitio humore laborabant, ut credatur maiorem exercitus partem eo fuisse contagio purulentam. Illorum enim plures, licet ore se catholicos dicerent, haeresim corde fovebant, et in hoc tempus conditam servabant, praeterquam quod huic genti innatum et semper in mores inductum fuit: Vivat qui *vincit, cumque tyrannum crescentem cernerent, et Seguedum defi- f. 169.
cientem, orientem solem quam cadentem colere malebant.

Causae suae iustitiam Deus manifestavit.

3. Quamquam iustum hoc fuisse putetur Dei in Imperatorem fide iam tepescentem, et superiora praeconia in illius opprobrium permittentem, supplicium, praeter alia libidinis flagitia, quae ipsius et liberorum domos publice et impune incestabant, ipse tamen, ut causae suae iustitiam patefaceret, ut prodigus est clementiae, Imperatorem non iudicii virga, sed paterna manu punire constituit; nec deserere, sed erudire, laborem illum respiciens, quem ipse in fide plantanda et propaganda collocaverat, talemque victoriam largiri, qualem nunquam, eodem teste, reportaverat. Quod hoc ritu ordinavit.

Salutare Imperatoris consilium.

4. Lumen in illius mentem indidit, quo assecutus est erroris a se admissi in deserendis montium fastigiis deformitatem; in quibus ut plures scopulorum mucrones attollantur, non paucae expatiantur planities, equorum discursibus, quorum numero et praestantia longe antecellebat, percommodae, simulque ut perspiceret superiorem illam recta et expedite Dancazium ducere, quod si tyrannus obtineret, de se et imperio conclamatum. Robur praeterea impressit, ne cum eo in aciem descendere vereretur. Quod cum animo alte defixisset, inferiori Enfrazii via per Dambaeae plana retroactus et Patriarchae domo ad orientem ad dexteram et mox in austrum omissa, eodem portu, inter duorum montium devexitates facilem ascensum praebente, quc olim Granha subiit, cum caesus est a Lusitanis et in facti memoriam nunc Granhaber dicitur, in celsiora iterum evasit, et medium se opponens, hosti Dancazium progrediendi facultatem intercidit.

Imperatoris exercitus et Lastensis dispar numerus et animus.

5. Eodem tempore Libô montes tyrannus occupaverat, et sublimi atque aequabili Oinadeguae dorso Dancazium petebat; et cum multi ad eum ex vicinis oppidis vicani confluxissent, sexaginta pene cohortes educebat, in quibus ultra viginti quinque millia corporum magis, quam militum, fere inermium et inexercitatorum censebantur. Quibus pro munimentis et telis erat insignis confidentia, quod ex repetitis nuntiis rescirent, imperialem exercitum invito Marte illuc pertractum, et umbratice tantum pugnaturum et, si quae fenestra

panderetur, ad ipsos, Imperatore deserto, transiturum. Apud eum
f.169,v. vicena bellatorum millia reperiebantur, et in iis milleni Gallae, *qui equis merebantur. et totidem illustriores Abassini, et inter eos catholici probatissimi ad trecentos, ad pugnandum moriendumque parati, qui maxima pars victoriae fuerunt. Caeteris peditibus et equitibus parum fidendum, nam vel rusticanis ultro adiiciendi, vel, si ipsi quidquam obsisterent, in suos pedes erant coniiciendi.

Pietatis specimen et iuramenta.

6. Imperator, ubi septima iunii dies, quae lunae erat, anni millesimi sexcentesimi trigesimi secundi illuxit, antecursores, hostium a se intervallum et situm exploratum, dimisit. Mox sacro et concioni interfuit, in qua p. Didacus magna spiritus efficacitate cunctos ad pugnandum, et aut gloriose vincendum, aut fortiter moriendum pro imperii et fidei incolumitate incitavit. Exploratores renuntiarunt hostes non procul abesse, et pedem versus Imperatorem conferre. Extemplo dispansis vexillis, et praeliari ordine imperialis acies procedere coepit, et ipse meridie in colle ad sinistram paululum assurgente interquievit. Moram hostes nullam interposuere, sed brevi suas cohortes prope eumdem montem intulerunt et tympana ac tubae bellicum utrinque cecinerunt. Proxime antequam proelium iniretur, Imperator, princeps et alii ex magnatibus summae pietatis significatione conscientiam exomologesi cum p. Didaco repurgarunt, iureiurando fidem suam obstringentes, se, si victores evaderent, fore indefessos catholicae fidei fautores, et in fines imperii propagatores. Utinam fuissent executores!

Equitatui haec victoria deferenda.

7. Equitibus, in quibus tota erat fiducia, imperatum (quod victoriae caput fuit), ut omnes ordines praeirent; si enim pedites in principiis locarentur, et hostis obniteretur, aut terga daturi erant, aut illi se et arma dedituri. Ubi equitatus ad teli iactum processit, utrinque incursio suspenso gradu inhibita, Lastensibus trepidationis indicia praebentibus, et imperialibus aggrediendi signum expectantibus. Duces aliqui generosiores, Imperatorem adeuntes, monuere ne punctum cunctaretur, Deum enim fautorem habiturum. Primus ipse, signo pugnae dato, equum in confertissimos globos instigavit. Sed medium se obiecit senior ipsius frater Ras Emana Christôs ut tantisper, quasi ad periculum differendum moraretur; ille tamen insigni turbatoris despicientia equum acrius instimulavit; et mox equitatus, non Sanctum Iacobum nostro more, sed Iesu nomen, ex patrum doctrina inclamavit, et auxilium imploravit; idemque fuit irrumpere
f. 170. quod *vincere, clamare quod superare. Cum enim vulnerare vellent,

obsides praemisit. Tot erant, qui hoc translatitio humore laborabant, ut credatur maiorem exercitus partem eo fuisse contagio purulentam. Illorum enim plures, licet ore se catholicos dicerent, haeresim corde fovebant, et in hoc tempus conditam servabant, praeterquam quod huic genti innatum et semper in mores inductum fuit: Vivat qui *vincit, cumque tyrannum crescentem cernerent, et Seguedum defi- f. 169. cientem, orientem solem quam cadentem colere malebant.

Causae suae iustitiam Deus manifestavit.

3. Quamquam iustum hoc fuisse putetur Dei in Imperatorem fide iam tepescentem, et superiora praeconia in illius opprobrium permittentem, supplicium, praeter alia libidinis flagitia, quae ipsius et liberorum domos publice et impune incestabant, ipse tamen, ut causae suae iustitiam patefaceret, ut prodigus est clementiae, Imperatorem non iudicii virga, sed paterna manu punire constituit; nec deserere, sed erudire, laborem illum respiciens, quem ipse in fide plantanda et propaganda collocaverat, talemque victoriam largiri, qualem nunquam, eodem teste, reportaverat. Quod hoc ritu ordinavit.

Salutare Imperatoris consilium.

4. Lumen in illius mentem indidit, quo assecutus est erroris a se admissi in deserendis montium fastigiis deformitatem; in quibus ut plures scopulorum mucrones attollantur, non paucae expatiantur planities, equorum discursibus, quorum numero et praestantia longe antecellebat, percommodae, simulque ut perspiceret superiorem illam recta et expedite Dancazium ducere, quod si tyrannus obtineret, de se et imperio conclamatum. Robur praeterea impressit, ne cum eo in aciem descendere vereretur. Quod cum animo alte defixisset, inferiori Enfrazii via per Dambaeae plana retroactus et Patriarchae domo ad orientem ad dexteram et mox in austrum omissa, eodem portu, inter duorum montium devexitates facilem ascensum praebente, quc olim Granha subiit, cum caesus est a Lusitanis et in facti memoriam nunc Granhaber dicitur, in celsiora iterum evasit, et medium se opponens, hosti Dancazium progrediendi facultatem intercidit.

Imperatoris exercitus et Lastensis dispar numerus et animus.

5. Eodem tempore Libô montes tyrannus occupaverat, et sublimi atque aequabili Oinadeguae dorso Dancazium petebat; et cum multi ad eum ex vicinis oppidis vicani confluxissent, sexaginta pene cohortes educebat, in quibus ultra viginti quinque millia corporum magis, quam militum, fere inermium et inexercitatorum censebantur. Quibus pro munimentis et telis erat insignis confidentia, quod ex repetitis nuntiis rescirent, imperialem exercitum invito Marte illuc pertractum, et umbratice tantum pugnaturum et, si quae fenestra

panderetur, ad ipsos, Imperatore deserto, transiturum. Apud eum
f.169,v. vicena bellatorum millia reperiebantur, et in iis milleni Gallae, *qui equis merebantur. et totidem illustriores Abassini, et inter eos catholici probatissimi ad trecentos, ad pugnandum moriendumque parati, qui maxima pars victoriae fuerunt. Caeteris peditibus et equitibus parum fidendum, nam vel rusticanis ultro adiiciendi, vel, si ipsi quidquam obsisterent, in suos pedes erant coniiciendi.

Pietatis specimen et iuramenta.

6. Imperator, ubi septima iunii dies, quae lunae erat, anni millesimi sexcentesimi trigesimi secundi illuxit, antecursores, hostium a se intervallum et situm exploratum, dimisit. Mox sacro et concioni interfuit, in qua p. Didacus magna spiritus efficacitate cunctos ad pugnandum, et aut gloriose vincendum, aut fortiter moriendum pro imperii et fidei incolumitate incitavit. Exploratores renuntiarunt hostes non procul abesse, et pedem versus Imperatorem conferre. Extemplo dispansis vexillis, et praeliari ordine imperialis acies procedere coepit, et ipse meridie in colle ad sinistram paululum assurgente interquievit. Moram hostes nullam interposuere, sed brevi suas cohortes prope eumdem montem intulerunt et tympana ac tubae bellicum utrinque cecinerunt. Proxime antequam proelium iniretur, Imperator, princeps et alii ex magnatibus summae pietatis significatione conscientiam exomologesi cum p. Didaco repurgarunt, iureiurando fidem suam obstringentes, se, si victores evaderent, fore indefessos catholicae fidei fautores, et in fines imperii propagatores. Utinam fuissent executores!

Equitatui haec victoria deferenda.

7. Equitibus, in quibus tota erat fiducia, imperatum (quod victoriae caput fuit), ut omnes ordines praeirent; si enim pedites in principiis locarentur, et hostis obniteretur, aut terga daturi erant, aut illi se et arma dedituri. Ubi equitatus ad teli iactum processit, utrinque incursio suspenso gradu inhibita, Lastensibus trepidationis indicia praebentibus, et imperialibus aggrediendi signum expectantibus. Duces aliqui generosiores, Imperatorem adeuntes, monuere ne punctum cunctaretur, Deum enim fautorem habiturum. Primus ipse, signo pugnae dato, equum in confertissimos globos instigavit. Sed medium se obiecit senior ipsius frater Ras Emana Christôs ut tantisper, quasi ad periculum differendum moraretur; ille tamen insigni turbatoris despicientia equum acrius instimulavit; et mox equitatus, non Sanctum Iacobum nostro more, sed Iesu nomen, ex patrum doctrina inclamavit, et auxilium imploravit; idemque fuit irrumpere
f. 170. quod *vincere, clamare quod superare. Cum enim vulnerare vellent,

obsides praemisit. Tot erant, qui hoc translatitio humore laborabant, ut credatur maiorem exercitus partem eo fuisse contagio purulentam. Illorum enim plures, licet ore se catholicos dicerent, haeresim corde fovebant, et in hoc tempus conditam servabant, praeterquam quod huic genti innatum et semper in mores inductum fuit: Vivat qui *vincit, cumque tyrannum crescentem cernerent, et Seguedum deficientem, orientem solem quam cadentem colere malebant. f. 169.

Causae suae iustitiam Deus manifestavit.

3. Quamquam iustum hoc fuisse putetur Dei in Imperatorem fide iam tepescentem, et superiora praeconia in illius opprobrium permittentem, supplicium, praeter alia libidinis flagitia, quae ipsius et liberorum domos publice et impune incestabant, ipse tamen, ut causae suae iustitiam patefaceret, ut prodigus est clementiae, Imperatorem non iudicii virga, sed paterna manu punire constituit; nec deserere, sed erudire, laborem illum respiciens, quem ipse in fide plantanda et propaganda collocaverat, talemque victoriam largiri, qualem nunquam, eodem teste, reportaverat. Quod hoc ritu ordinavit.

Salutare Imperatoris consilium.

4. Lumen in illius mentem indidit, quo assecutus est erroris a se admissi in deserendis montium fastigiis deformitatem; in quibus ut plures scopulorum mucrones attollantur, non paucae expatiantur planities, equorum discursibus, quorum numero et praestantia longe antecellebat, percommodae, simulque ut perspiceret superiorem illam recta et expedite Dancazium ducere, quod si tyrannus obtineret, de se et imperio conclamatum. Robur praeterea impressit, ne cum eo in aciem descendere vereretur. Quod cum animo alte defixisset, inferiori Enfrazii via per Dambaeae plana retroactus et Patriarchae domo ad orientem ad dexteram et mox in austrum omissa, eodem portu, inter duorum montium devexitates facilem ascensum praebente, quc olim Granha subiit, cum caesus est a Lusitanis et in facti memoriam nunc Granhaber dicitur, in celsiora iterum evasit, et medium se opponens, hosti Dancazium progrediendi facultatem intercidit.

Imperatoris exercitus et Lastensis dispar numerus et animus.

5. Eodem tempore Libô montes tyrannus occupaverat, et sublimi atque aequabili Oinadeguae dorso Dancazium petebat; et cum multi ad eum ex vicinis oppidis vicani confluxissent, sexaginta pene cohortes educebat, in quibus ultra viginti quinque millia corporum magis, quam militum, fere inermium et inexercitatorum censebantur. Quibus pro munimentis et telis erat insignis confidentia, quod ex repetitis nuntiis rescirent, imperialem exercitum invito Marte illuc pertractum, et umbratice tantum pugnaturum et, si quae fenestra

panderetur, ad ipsos, Imperatore deserto, transiturum. Apud eum
f.169,v. vicena bellatorum millia reperiebantur, et in iis milleni Gallae, *qui equis merebantur. et totidem illustriores Abassini, et inter eos catholici probatissimi ad trecentos, ad pugnandum moriendumque parati, qui maxima pars victoriae fuerunt. Caeteris peditibus et equitibus parum fidendum, nam vel rusticanis ultro adiiciendi, vel, si ipsi quidquam obsisterent, in suos pedes erant coniiciendi.

Pietatis specimen et iuramenta.

6. Imperator, ubi septima iunii dies, quae lunae erat, anni millesimi sexcentesimi trigesimi secundi illuxit, antecursores, hostium a se intervallum et situm exploratum, dimisit. Mox sacro et concioni interfuit, in qua p. Didacus magna spiritus efficacitate cunctos ad pugnandum, et aut gloriose vincendum, aut fortiter moriendum pro imperii et fidei incolumitate incitavit. Exploratores renuntiarunt hostes non procul abesse, et pedem versus Imperatorem conferre. Extemplo dispansis vexillis, et praeliari ordine imperialis acies procedere coepit, et ipse meridie in colle ad sinistram paululum assurgente interquievit. Moram hostes nullam interposuere, sed brevi suas cohortes prope eumdem montem intulerunt et tympana ac tubae bellicum utrinque cecinerunt. Proxime antequam proelium iniretur, Imperator, princeps et alii ex magnatibus summae pietatis significatione conscientiam exomologesi cum p. Didaco repurgarunt, iureiurando fidem suam obstringentes, se, si victores evaderent, fore indefessos catholicae fidei fautores, et in fines imperii propagatores. Utinam fuissent executores!

Equitatui haec victoria deferenda.

7. Equitibus, in quibus tota erat fiducia, imperatum (quod victoriae caput fuit), ut omnes ordines praeirent; si enim pedites in principiis locarentur, et hostis obniteretur, aut terga daturi erant, aut illi se et arma dedituri. Ubi equitatus ad teli iactum processit, utrinque incursio suspenso gradu inhibita, Lastensibus trepidationis indicia praebentibus, et imperialibus aggrediendi signum expectantibus. Duces aliqui generosiores, Imperatorem adeuntes, monuere ne punctum cunctaretur, Deum enim fautorem habiturum. Primus ipse, signo pugnae dato, equum in confertissimos globos instigavit. Sed medium se obiecit senior ipsius frater Ras Emana Christôs ut tantisper, quasi ad periculum differendum moraretur; ille tamen insigni turbatoris despicientia equum acrius instimulavit; et mox equitatus, non Sanctum Iacobum nostro more, sed Iesu nomen, ex patrum doctrina inclamavit, et auxilium imploravit; idemque fuit irrumpere
f. 170. quod *vincere, clamare quod superare. Cum enim vulnerare vellent,

obsides praemisit. Tot erant, qui hoc translatitio humore laborabant, ut credatur maiorem exercitus partem eo fuisse contagio purulentam. Illorum enim plures, licet ore se catholicos dicerent, haeresim corde fovebant, et in hoc tempus conditam servabant, praeterquam quod huic genti innatum et semper in mores inductum fuit: Vivat qui *vincit, cumque tyrannum crescentem cernerent, et Seguedum deficientem, orientem solem quam cadentem colere malebant. f. 169.

Causae suae iustitiam Deus manifestavit.

3. Quamquam iustum hoc fuisse putetur Dei in Imperatorem fide iam tepescentem, et superiora praeconia in illius opprobrium permittentem, supplicium, praeter alia libidinis flagitia, quae ipsius et liberorum domos publice et impune incestabant, ipse tamen, ut causae suae iustitiam patefaceret, ut prodigus est clementiae, Imperatorem non iudicii virga, sed paterna manu punire constituit; nec deserere, sed erudire, laborem illum respiciens, quem ipse in fide plantanda et propaganda collocaverat, talemque victoriam largiri, qualem nunquam, eodem teste, reportaverat. Quod hoc ritu ordinavit.

Salutare Imperatoris consilium.

4. Lumen in illius mentem indidit, quo assecutus est erroris a se admissi in deserendis montium fastigiis deformitatem; in quibus ut plures scopulorum mucrones attollantur, non paucae expatiantur planities, equorum discursibus, quorum numero et praestantia longe antecellebat, percommodae, simulque ut perspiceret superiorem illam recta et expedite Dancazium ducere, quod si tyrannus obtineret, de se et imperio conclamatum. Robur praeterea impressit, ne cum eo in aciem descendere vereretur. Quod cum animo alte defixisset, inferiori Enfrazii via per Dambaeae plana retroactus et Patriarchae domo ad orientem ad dexteram et mox in austrum omissa, eodem portu, inter duorum montium devexitates facilem ascensum praebente, quc olim Granha subiit, cum caesus est a Lusitanis et in facti memoriam nunc Granhaber dicitur, in celsiora iterum evasit, et medium se opponens, hosti Dancazium progrediendi facultatem intercidit.

Imperatoris exercitus et Lastensis dispar numerus et animus.

5. Eodem tempore Libô montes tyrannus occupaverat, et sublimi atque aequabili Oinadeguae dorso Dancazium petebat; et cum multi ad eum ex vicinis oppidis vicani confluxissent, sexaginta pene cohortes educebat, in quibus ultra viginti quinque millia corporum magis, quam militum, fere inermium et inexercitatorum censebantur. Quibus pro munimentis et telis erat insignis confidentia, quod ex repetitis nuntiis rescirent, imperialem exercitum invito Marte illuc pertractum, et umbratice tantum pugnaturum et, si quae fenestra

panderetur, ad ipsos, Imperatore deserto, transiturum. Apud eum
f.169,v. vicena bellatorum millia reperiebantur, et in iis milleni Gallae, *qui equis merebantur. et totidem illustriores Abassini, et inter eos catholici probatissimi ad trecentos, ad pugnandum moriendumque parati, qui maxima pars victoriae fuerunt. Caeteris peditibus et equitibus parum fidendum, nam vel rusticanis ultro adiiciendi, vel, si ipsi quidquam obsisterent, in suos pedes erant coniiciendi.

6. Imperator, ubi septima iunii dies, quae lunae erat, anni millesimi sexcentesimi trigesimi secundi illuxit, antecursores, hostium a se intervallum et situm exploratum, dimisit. Mox sacro et concioni interfuit, in qua p. Didacus magna spiritus efficacitate cunctos ad pugnandum, et aut gloriose vincendum, aut fortiter moriendum pro imperii et fidei incolumitate incitavit. Exploratores renuntiarunt hostes non procul abesse, et pedem versus Imperatorem conferre. Extemplo dispansis vexillis, et praeliari ordine imperialis acies procedere coepit, et ipse meridie in colle ad sinistram paululum assurgente interquievit. Moram hostes nullam interposuere, sed brevi suas cohortes prope eumdem montem intulerunt et tympana ac tubae bellicum utrinque cecinerunt. Proxime antequam proelium iniretur, Imperator, princeps et alii ex magnatibus summae pietatis significatione conscientiam exomologesi cum p. Didaco repurgarunt, iureiurando fidem suam obstringentes, se, si victores evaderent, fore indefessos catholicae fidei fautores, et in fines imperii propagatores. Utinam fuissent executores!

Pietatis specimen et iuramenta.

7. Equitibus, in quibus tota erat fiducia, imperatum (quod victoriae caput fuit), ut omnes ordines praeirent; si enim pedites in principiis locarentur, et hostis obniteretur, aut terga daturi erant, aut illi se et arma dedituri. Ubi equitatus ad teli iactum processit, utrinque incursio suspenso gradu inhibita, Lastensibus trepidationis indicia praebentibus, et imperialibus aggrediendi signum expectantibus. Duces aliqui generosiores, Imperatorem adeuntes, monuere ne punctum cunctaretur, Deum enim fautorem habiturum. Primus ipse, signo pugnae dato, equum in confertissimos globos instigavit. Sed medium se obiecit senior ipsius frater Ras Emana Christôs ut tantisper, quasi ad periculum differendum moraretur; ille tamen insigni turbatoris despicientia equum acrius instimulavit; et mox equitatus, non Sanctum Iacobum nostro more, sed Iesu nomen, ex patrum doctrina inclamavit, et auxilium imploravit; idemque fuit irrumpere
f. 170. quod *vincere, clamare quod superare. Cum enim vulnerare vellent,

Equitatui haec victoria deferenda.

obsides praemisit. Tot erant, qui hoc translatitio humore laborabant, ut credatur maiorem exercitus partem eo fuisse contagio purulentam. Illorum enim plures, licet ore se catholicos dicerent, haeresim corde fovebant, et in hoc tempus conditam servabant, praeterquam quod huic genti innatum et semper in mores inductum fuit: Vivat qui *vincit, cumque tyrannum crescentem cernerent, et Seguedum deficientem, orientem solem quam cadentem colere malebant. f. 169.

Causae suae iustitiam Deus manifestavit.

3. Quamquam iustum hoc fuisse putetur Dei in Imperatorem fide iam tepescentem, et superiora praeconia in illius opprobrium permittentem, supplicium, praeter alia libidinis flagitia, quae ipsius et liberorum domos publice et impune incestabant, ipse tamen, ut causae suae iustitiam patefaceret, ut prodigus est clementiae, Imperatorem non iudicii virga, sed paterna manu punire constituit; nec deserere, sed erudire, laborem illum respiciens, quem ipse in fide plantanda et propaganda collocaverat, talemque victoriam largiri, qualem nunquam, eodem teste, reportaverat. Quod hoc ritu ordinavit.

Salutare Imperatoris consilium.

4. Lumen in illius mentem indidit, quo assecutus est erroris a se admissi in deserendis montium fastigiis deformitatem; in quibus ut plures scopulorum mucrones attollantur, non paucae expatiantur planities, equorum discursibus, quorum numero et praestantia longe antecellebat, percommodae, simulque ut perspiceret superiorem illam recta et expedite Dancazium ducere, quod si tyrannus obtineret, de se et imperio conclamatum. Robur praeterea impressit, ne cum eo in aciem descendere vereretur. Quod cum animo alte defixisset, inferiori Enfrazii via per Dambaeae plana retroactus et Patriarchae domo ad orientem ad dexteram et mox in austrum omissa, eodem portu, inter duorum montium devexitates facilem ascensum praebente, quc olim Granha subiit, cum caesus est a Lusitanis et in facti memoriam nunc Granhaber dicitur, in celsiora iterum evasit, et medium se opponens, hosti Dancazium progrediendi facultatem intercidit.

Imperatoris exercitus et Lastensis dispar numerus et animus.

5. Eodem tempore Libô montes tyrannus occupaverat, et sublimi atque aequabili Oinadeguae dorso Dancazium petebat; et cum multi ad eum ex vicinis oppidis vicani confluxissent, sexaginta pene cohortes educebat, in quibus ultra viginti quinque millia corporum magis, quam militum, fere inermium et inexercitatorum censebantur. Quibus pro munimentis et telis erat insignis confidentia, quod ex repetitis nuntiis rescirent, imperialem exercitum invito Marte illuc pertractum, et umbratice tantum pugnaturum et, si quae fenestra

panderetur, ad ipsos, Imperatore deserto, transiturum. Apud eum
f.169,v. vicena bellatorum millia reperiebantur, et in iis milleni Gallae, *qui equis merebantur. et totidem illustriores Abassini, et inter eos catholici probatissimi ad trecentos, ad pugnandum moriendumque parati, qui maxima pars victoriae fuerunt. Caeteris peditibus et equitibus parum fidendum, nam vel rusticanis ultro adiiciendi, vel, si ipsi quidquam obsisterent, in suos pedes erant coniiciendi.

Pietatis specimen et iuramenta.

6. Imperator, ubi septima iunii dies, quae lunae erat, anni millesimi sexcentesimi trigesimi secundi illuxit, antecursores, hostium a se intervallum et situm exploratum, dimisit. Mox sacro et concioni interfuit, in qua p. Didacus magna spiritus efficacitate cunctos ad pugnandum, et aut gloriose vincendum, aut fortiter moriendum pro imperii et fidei incolumitate incitavit. Exploratores renuntiarunt hostes non procul abesse, et pedem versus Imperatorem conferre. Extemplo dispansis vexillis, et praeliari ordine imperialis acies procedere coepit, et ipse meridie in colle ad sinistram paululum assurgente interquievit. Moram hostes nullam interposuere, sed brevi suas cohortes prope eumdem montem intulerunt et tympana ac tubae bellicum utrinque cecinerunt. Proxime antequam proelium iniretur, Imperator, princeps et alii ex magnatibus summae pietatis significatione conscientiam exomologesi cum p. Didaco repurgarunt, iureiurando fidem suam obstringentes, se, si victores evaderent, fore indefessos catholicae fidei fautores, et in fines imperii propagatores. Utinam fuissent executores!

Equitatui haec victoria deferenda.

7. Equitibus, in quibus tota erat fiducia, imperatum (quod victoriae caput fuit), ut omnes ordines praeirent; si enim pedites in principiis locarentur, et hostis obniteretur, aut terga daturi erant, aut illi se et arma dedituri. Ubi equitatus ad teli iactum processit, utrinque incursio suspenso gradu inhibita, Lastensibus trepidationis indicia praebentibus, et imperialibus aggrediendi signum expectantibus. Duces aliqui generosiores, Imperatorem adeuntes, monuere ne punctum cunctaretur, Deum enim fautorem habiturum. Primus ipse, signo pugnae dato, equum in confertissimos globos instigavit. Sed medium se obiecit senior ipsius frater Ras Emana Christôs ut tantisper, quasi ad periculum differendum moraretur; ille tamen insigni turbatoris despicientia equum acrius instimulavit; et mox equitatus, non Sanctum Iacobum nostro more, sed Iesu nomen, ex patrum doctrina inclamavit, et auxilium imploravit; idemque fuit irrumpere
f. 170. quod *vincere, clamare quod superare. Cum enim vulnerare vellent,

nullus erat vultus, quem signarent; nullum pectus, quod transfigerent: in terga tantum incurrebant, et quotquot assecuti essent, trucidabant. Campus spatiosus erat, equi non admodum lassati, equites praeferoces, a quibus rusticani instar ovium caedebantur. Multos tamen nox tutata est et pendentia ad utrumque latus praecipitia, equis inaccessa, quamvis aliqui mortem, quam fugiebant, in eisdem abruptis reperere.

Caesorum multitudo.

8. Cursum et manum, dum lux fuit, ab insequendis hostibus non abstinuit Imperator. Per noctem ad eorum castra ab aliquibus perventum, sed nulla inventa spolia, cum eorum plerique solis bubulis coriis tegerentur. Adducta sunt mortuorum signa, illa nempe quae Saul a Davide ad filiae suae nuptias exigebat, et inter eos, qui in acie et abruptis deiectibus ceciderant, ad octo millia supputati. Inter primos obiit Biconus aethiopicus Viriatus, tyranni Ras, terribilis ingenii et consilii rusticanus; Rituamlac eiusdem socer cum filio; Tecla Haymanot Mecherequensis triduanus et senator Sebastianus transfuga quatriduanus, sui patroni Melcae Christôs metator. Quem ob hoc et alia defectionis indicia Imperator vinculis constrinxit, et peracta inquisitione, multis testibus probatum clandestina illi esse cum hoste commercia et crebram munerum missitationem, ac primam tranfugii occasionem opperiri. Ob quae crimina morti fuit adiudicatus; sed illam Imperator exilio in fervida loca, publicatis prius bonis, commutavit et cum ditissimus omnium Aethiopicorum haberetur, centum se auri oquearum, seu mille nummorum possessorem tantum esse confessus est. Et tanta est huius regionis tenuitas, ut si dena oquearum millia in arca reposita haberet, Aethiopiae Craesus dici valeret.

CAPUT XXXI.

Haereticorum machinationes ad seducendum Imperatorem ut pristinos errores suscitaret, Patriarchae et patrum inanes in adversum contentiones.

Haeretici cadaverum aspectu Imperatoris cor configunt.

1. Quis cum animo suo non reputaret, Imperatorem, principes et regni proceres, post inexpectatam adeo incruentamque victoriam, f.170,v. maxime *catholicorum praesidio comparatam, et post tot sacramenta, quibus se ad Romanam fidem promovendam in ipso praelii exordio devinxerant, ut iis se liberarent et Deum demererentur, nervis omnibus non annisuros? Diversis tamen et omnino adversis itineribus processerunt. Nam haeretici gregis ductores, ubi lux crastina effulsit, Imperatorem in campum, pridianis cadaveribus constratum, eduxere, et cum monere deberent ut Deo victoriae largitori gratias redderet, quod ipsius pedibus hostes subdidisset, illius cor et animum his sermonibus confregerunt.

Illorum ratiocinatio.

2. *Hanc caesorum dispersionem, hanc cadaverum congeriem, hanc nusquam alias a nobis visam carnificinam, Domine, intueris! Qui hic iacent, nec Gallae sunt nec mahometani nec ethnici nostro imperio infesti, sed tui clientes, nostra caro et noster sanguis. Nemo nostrum est, qui hic fratrem vel consanguineum vel familiarem non agnoscat, non deploret. Aut vincamus aut vincamur, in nostra viscera ferrum condimus, nostrum imperium prosternimus. Quot sunt occisi hoc mutatae fidei obtentu? Quot occidendi? Num omnes horum*

numero apponendi? Illis, Domine, hanc fidem annue, quam anhelant, quam norunt, quam a parentibus et avis expresserunt, quam cum lacte hauserunt, in qua sunt educti et nutricati. Nisi ita consulas, nec tu regnum, nec nos quietem, aut imperium stabilitatem nanciscetur.

Reginae, Principis et Ras Emanae Christôs machinae.

3. Ras Emana Christôs et Princeps tunc hac de re sic colloquentes sunt auditi. Quousque sumus fidei desertores nuncupandi? Hi Gallas bis millenos, imperatoriis castris auctoratos, qui nullis idolis supplicant, nec aliam fidem novere quam caedere et bellari, consilio perpulerunt, ut ad Imperatorem conglobati pergerent et idem dicerent: De tuo, Domine, imperio, quod funditus collabitur, recogitato. Popularibus parentum suorum fidem indulgeto. Iam sumus tundendo et caedendo lassati ac delumbes. Nobis semper ut flagellis uteris ad tuos verberandos et ideo cuncti iusto in nos odio efferuntur. Iam tot suppliciorum capitales vindices esse non possumus; utile consilium inito aut patere, ut nostrorum armentorum pabula curatum eamus et tuae militiae nuntium remittamus. Sua etiam ligna in hanc pyram Regina contulit, haec Imperatori iubens pro victoriae gratulatione renuntiari: videret, quod in extremo rerum cardine consilium captari oporteret; se in suo regno hospitem fuisse, et vix invenisse ubi pernoctaret et qui suis filiis ac nepotibus aquae guttulam propinaret, cunctis ipsam ut apostatae uxorem a sua domo exturbantibus.

Ras Emana Christôs regno Bagamedrino praeficitur.

*4. Antequam Imperator se Dancazium reciperet, Bagamedrinae f. 171.
ditionis proregem creavit Ras Emana Christôs, qui illam sub ea conditione admisit, si sibi liceret provinciales Alexandrino pane communicare; id ubi fas esset, cunctos intra quatuor dies ad Imperatoris obsequium revocandos. Sed promissorum vana delusit eventus; cum enim iis Alexandrinam communionem obtulisset, dixere: Tuam tibi mensam, tua fercula servato. Novam nobis quotidie communionem obtruditis: heri Romanam, hodie Alexandrinam: utramque a vobis oblatam vestrumque dominatum detestamur. Brevique ventosus ille promissor in eas angustias se compulsum vidit, ut sibi auxilium festinato mitti flagitaverit.

Dancazium Patriarcha, episcopus et patres se conferunt.

5 His tincturis imbutus, Dancazium ingressus est Imperator, ita vultuosus et curarum plenus ut plumbi talentum pectore, Aetnam vel Athon fronte gerere videretur, et non parva corporis, sed graviori mentis aegritudine confectus. Illuc statim Patriarcha, episcopus, p. Emmanuel et Antonius properarunt; non tam ut de victoria gratularentur, quam ne tanto fidei certamini deessent, quamvis illud non adeo grave iudicabant ut posset totam fidei substructionem de-

moliri. Ne gratus noster in curiam esset ingressus, ingestae ab aliquibus criminationes, effecerunt; Imperatoris domesticum victoriae nuntia portantem nullo dono a Patriarcha remuneratum; et alios Gorgorrae a patribus minus liberaliter quam ipsi vellent exceptos; cum tamen nihil esset de necessariis detractum, tempore adeo difficili, ut hospites ultra quingentos ibidem alerentur, omnibus circa turbatis, ob adversa nuntia, oppidanis. Munera nuntianti nulla repensa, quia nec illum nec alium Imperator ad Patriarcham, ut solebat, dimisit, cum multos in diversas partes et nobis maxime vicinas ad personas multo inferiores dispersisset; et is, qui ipsum post tres vel quatuor dies his nuntiis participavit ad eum recta missus non fuerit, sed ex occasione accessisset expeditus ad publicandas opes Melcae Christôs rei perduellionis, in vicina insula, quae Galilâ dicitur, asservatas. Vera tamen harum quaerimoniarum causa fuit, quam reddit sapiens: *Occasiones quaerit qui vult discedere ab amico.*

6. Die decima octava iunii, quae Veneris erat, in domo regia a Principe summatum et senatorum collectum est consilium, quod vere malignantium dici potest; plures enim eorum, etsi catholici dicerentur, in haereticam factionem inclinabant. Praestitum cunctis est iusiurandum, ut *quid (*a*) ex re imperii esse sentirent aperte enuntiarent. Dixere totum communis tranquillitatis punctum in eo situm esse ut omnes eadem fides necteret, et siquidem Lastenses et caeteros universim pupulares ad Romanam traduci non possent, ipsi omnes se affingerent Alexandrinam, quae paterna semper et avita fuerat, amplexi. Aliquantulum alii dissensere adserentes Romanam animarum saluti, Alexandrinam, communi quieti esse utiliorem. Desiderati tamen non sunt aliqui, qui veritatem planissime et absque ullo velamine sunt prolocuti; quorum princeps Habitachum Yanes Imperatoris frater sororius, equitum castrensium alpha et fortitudinis portentum qui catholica libertate respondit: Satis Deum, recentis victoriae haudquaquam speratae concessione, testatum fecisse, solam Romanan fidem imperio conservando et amplificando prodesse, quando annuit ut infinitae multitudini tam exiguus numerus praevaleret, qui si eadem qua illa, fide niteretur, ipsum

Consultationes de fidei mutatione.

f.171,v.

Habitachum Yanis fides et constantia.

(*a*) A vocibus « ex re imperii » usque ad finem § 6 omnia deleta in ms. reperiuntur. Causam suspicari non possum, cum eadem res narretur ab Almeida lib. IX, cap. 20 (*Rer. Aeth. Script.*, vol. VII, pag. 167), a quo A. omnia quae in hoc capite narrat ad litteram mutuatus est. Ex oblivione vero puto factum ut A. primam quoque periodum huius § non deleverit.

Deum nosse in quam lancem victoria propenderet, et si omnes in Romana convenirent, cunctis hostibus futuros superiores; bella et seditiones iustum esse supplicium multorum flagitiorum, quae in regiis castris publice et impune grassabantur, quae singulatim enumeravit. Tunc Zamarianus regiae domus aeconomus, prima huius belli fax, Tu, inquit, regni incolumitatem non attendis; et alii submisse ne ille audiret, mussitantes: En ater Lusitanus nos et nostrum imperium perditum emittit.

Fidei optio gregariae multitudini offertur.

7. Post concilium illud, in palatii aream descendens Zamarianus, militum gregariorum turmis ibidem stantibus dixit: Attendite quid velitis: num fidem Romanam cum ritibus Alexandrinis; num Alexandrinam adeo sartam et tectam ut illam maioris vestri coluerunt? Prompti sumus ut illam, quae vobis magis arriserit, concedamus. Usque in diem lunae consulite, tunc vos omni cura liberos dimittemus. Cum gaudio optionem excipientes responderunt: Nec consulto nec procrastinato opus esse; parentum suorum fidem sibi esse in optatis, praecordiis et medullis. Quae audiens Habitachum Yanes Zamariano dixit: Intuere quid aggrediare ne te in extremam perniciem devolvas. Cui ille: Num te ulla de me dubitatio incessit? Meum te cor latet? Haec omnia simulo propter ineruditam hanc multitudinem ne ad tyrannum et Lastenses degrediatur. Aderant aliqui Mahometani, qui militum plausum contemplantes, ipsi quoque laetitiae significationem edidere. Quam audiens quidam haereticae conspirationis particeps, ad socios gaudio perfusus ait: En ipsi Mahometani ad nostrae fidei antiquae revocationem exultatione intumescunt. Cui Habitachum Yanes: Summo, inquit, merito nobiscum plaudent Mahometani, vestra enim et illorum fides sibi sunt invicem confines.

Venenatum fidei temperamentum adiicitur.

8. Hoc simulationis, semper tantae iniquitati velamen praetentum, nec tamen id palam ausi sunt Imperatori manifestare; sed aiebant de sola morum, non de ipsius fidei mutatione dissertari. Mox locutionem quamdam in tartaro excusam evulgare coeperunt, fidem Romanam et Alexan*drinam rem esse omnino indiscretam, utramque f. 172.
Christum verum Deum et verum hominem profiteri, unam vel duas naturas dici, quaestiones esse de vocabulo: parum interesse hoc vel illo modo sermocinari: imperium ob rem adeo exilem non esse extremo periculo obiectandum; quasi divina auctoritas, revelatio, quibus fides nititur, non sint individuae; et non tanti sit piaculi illarum veritatum in parvis, quam in magnis abrogari, aut quis possit, caeteris mysteriis, uno denegato, assentiri. Imperatori et iis, quos ca-

tholicos medullitus esse agnoverant, dicebant, eos qui Romanam fidem sectari vellent, a nemine impeditum nec afflictum iri; sibi tantum curae esse rudem plebeculam metu liberare, ne prae desiderio avitae fidei, quae ultro efferebatur, ad Lastenses commearet. Quae deceptio non in multos dies est prorogata, cum brevi Romanae fidei professores aperte sunt impugnati.

9. Horum consiliorum et technarum ab spectatis catholicis Patriarcha, episcopus et patres admoniti, re prius Deo summis precibus commendata Imperatorem et Principem, qui fores iam ex composito obserabant et difficiles aditus praebebant, adire constituerunt. Igitur Patriarchae, episcopo et quinque patribus patuit ingressus die vigesima iunii, cum Imperator aeger, moestus et iniucundus lecto decumberet. Victoriae lauream primum gratati, quas Deo ob illam gratias deberet in memoriam reduxerunt. Mox Patriarcha, post modicum silentium, tanti negotii iugulum aggressus, eo verborum pondere et oris severitate, quam illud exigebat, sic est exorsus. **Patriarcha, episcopus et patres Imperatorem adeunt.**

10. *Principio, maxime Imperator, nos victores fuisse existimabam, nunc tamen victos esse non obscure deprehendo. Quamvis enim rebelles V. Maiestatis coronam potissimum ambirent, eam contentionem avitae fidei restituendae velamento obnubebant, quam si nunc fusi instaurant, haudquaquam superati sunt, sed superarunt. Sicut in proelium ingressus tempus fuit promissionum et votorum nuncupandorum, sic nunc erat exsolvendorum et implendorum, ut Deum ad uberiora beneficia congerenda obstringeremus. Qui videtur hac victoria superiores omnes obsignasse, et V. Maiestatem in catholicae fidei promovendae necessitatem adegisse; illam siquidem sub ipsius vexillo et catholicorum globo (qui soli vere nunc dici possunt bellasse) comparavit. Nec adeo sunt exigui, quantum V. Maiestati falso an-* **Patriarchae oratio.**
f.172.v. *nuntiatur. Si vero pauci videntur, inde ortum, quod *eos a domo regia favoris, ut columbas a suis tectis, thuris et escarum inopia dispellit. Si enim eos V. Maiestas suo lateri adiungeret; si in eos honorifica et opulenta munia collocaret, ipsi uberius excrescerent et imperium ac fides efflorescerent. Sed ab aliquantulo tempore ii tam diversi a curia palantur, et serpentes tam intra sinum conditi foventur, ut feria sexta transacta in aula huic proxima collectum sit concilium, in quo non de suburbiis, sed de arce expugnanda; non de ritibus, sed de dogmatibus; non de frondibus, sed de securi ad fidei radicem admovenda consultatum. Nec multo post auctioni fuit exposita et gregariorum optioni relicta; a quibus si quaeratur, num Christum*

velint, num Barabbam, exploratum est, Barabbam, cum eiusdem cum eo sint opificii et factionis, praelaturos. Fidei controversiae, maxime Imperator, similibus suffragatoribus non committuntur. Ad illas explicandas multorum episcoporum, ubi illorum est copia, concilia convocantur; ubi desunt episcopi, presbyterorum et maturiorum religiosorum coetus conciuntur. Ipsa temporalis status negotia non in omnes prostituuntur, sed maxime prudentibus et experientibus commendantur. Nunc videmus militum retrimenta, Gallas ethnicos a foeminis et viris effoeminatis subornatos et mahometanae perfidiae vectigales, consiliarios, censores, et fidei pensatores ac libripendes constitutos, ut quae vera, quae adulterina sit trutinentur et definiant. In memoriam revocet V. Maiestas quot et quae a Deo beneficia sit foeneratus, postquam Romanam fidem est amplexus; et quod, licet a multis rebellantibus fuerit impetitus, omnes Deus sub ipsius pedibus antea contriverit, nec unquam evidentius, quam modo, cum adeo varia fortuna et anceps Mars fuit ut totius Aethiopiae iudicio, propius periculo fuerint qui vicere. Nec ipsius iam brachium exaruit aut contractum fuit sed ad maiora protentum. Si rex Samarites quinquies, sexies, vel septies arcum intendisset, et sagittas contra Syriam emisisset, illam usque ad consumptionem excidisset, sed quia ter tantum arcum adduxit et sagittas intorsit, illam ter tantum profligavit (1). *Si, maxime Imperator, arcum fidei, fiduciae in Deum decies, vicies et tricies intenderis, hostes ad supremam extinctionem debellabis. Novae non sunt in Aethiopia summatum et infimatum in suos Imperatores rebelliones. Vidisti ipse in Zadenguilio, Iacobo et Malac Seguedo, de Adamas Seguedo, Claudio et proavo tuo Onag Seguedo, seu Davide, audiisti. Tam congenitae sunt tuorum clientium ingeniis seditiones, quam segetibus herbae noxiae cum eisdem succrescentes, et mari ventorum turbines, et *concitatae ab iisdem fluctuationes. Tunc* f. 173.
solum in totum conquiescent, cum Romana fides universim excepta cunctorum animos tranquillabit. Menti succurrat, V. Maiestatem aethiopicos errores metu a patribus armorum vi illato non deposuisse, sed plena illius falsitatis et Romanae veritatis cognitione convictum. Animo recolat, me huc sponte non advenisse, sed Romani Pontificis, totius Ecclesiae capitis et invictissimi Lusitaniae Regis, fratris tui meique domini, ob multiplicatas tui epistolas Patriarcham deposcentis, imperio compulsum, et si quae fuit in annuendo difficultas et

(1) 4 *Reg.*, 13, n. 17.

cunctatio, eas interposuere illius inconstantiae quae nos modo agitat et antiquiores Lusitaniae Reges olim experti sunt, timores ante oculos obversantes, cum duos diverso tempore Patriarchas misere: et cum primo illorum clarissimum ducem Christophorum a Gama cum quatuor centena militum cohorte, qui hoc imperium, a Mahometanis iam pene subactum, ab ipsorum unguibus et faucibus abstulerunt, non ut illud sibi adiungerent, sed ut tuis avis ac tibi redhiberent. Nec Lusitaniae Reges quidquam aliud suis oculis umquam obiecere, aut aliam suae amicitiae et immanium sumptuum solutionem quaesiere, quam vestram cum Romana Ecclesia communionem et perpetuam in eam permansionem. In unicum hunc finem huc prius a sua Sanctïtate et Maiestate sum dimissus, et post me qui hic adest episcopus, ut uno avulso alter non deficeret, nec nos ut mendicabula misere, sed libris onustos et vestibus pontificalibus abunde exornatos; et ne V. Maiestatem, ipsiusque clientes debita operariis ob diurnum laborem mercede et quotidiana alimonia gravarent, competentes ad illam comparandam reditus annuos contulerunt. Pensitato, quam iusta doloris causa ipsis hac nostra et fidei repulsa tribuatur; et quamvis ipsi ad ultionem inferendam longe sint divulsi, Deum, qui prope est, illam citius vel serius expetiturum. Perpende gentilitio stemati Leonis Iuda tuae genti et gloriae infame stigma in aeternum inuri, et quot flagitiorum causa sis impultrix, si qui prius Aethiopiam illuminaveras, nunc illius fulgoris sis extinctor. Quod ego ne intuear, nec iustum supplicium tibi et tuae domui indubitate a Deo imponendum, hic mihi iubeto caput decuti (mozetam hic, fluentibus ubertim lacrymis, deposuit, et in genua procubuit, quod ididem episcopus et patres egere). *Satius enim mihi est mori, quam ut videam*
f.173,v. *tui nominis et Romanae fidei gloriam te vivente tua noxa *obscurari.* Ex multorum aulicorum, qui lectum Imperatoris cingebant, oculis lacrimae etiam guttatim effluebant; sed ipse, cum alioqui cereae ac flexibilis esset indolis, ita obriguit ac si dura silex aut marpesia cautes ipsius pectus indurasset.

Cautum Imperatoris responsum.

11. Bis manu annuit ut surgeretur et ad id respondens, quod altius animum lancinavit: Qui, inquit, dici potest me catholicis favorem non commodasse? Quibus nisi eisdem meus favor addictus? Sed haeretici multi: omnes in me fidei obtentu rebellant. Nunc quinquies aut pluries millenos occidi. Quot sum occisurus? Cum quantis pugnaturus? Mei omnes bellando sunt delassati: ab omnibus destituor: non possum ulterius obniti. Nullam nunc fidei sed solam

aliquorum rituum mutationem certum est consiliis agitari. Mihi Seltan ea tantum de re factum sermonem. Si quid aliud actum se inquisiturum dixit, nec quidquam sine Patriarchae conscientia et nutu decreturum. Tunc ait Patriarchà, se difficultates ad ritus spectantes, videlicet quartae feriae ieiunium, liturgias correctas et solemnitatum iuxta dies pristinos celebrationem concessisse, et permissurum coeteros, ad quos sua se potestas porrigeret, qui fidei non pugnarent. Si S. Maiestas stabilis est in fidei statu non convellendo, obnixe deprecari ut praeconio edici iuberet, se in Romana fide perstare illamque velle constanter ab omnibus observari, morumque laxamentum illud dandum, quod divinae leges non prohiberent. In hoc punctum tota verborum et animi contentione Patriarcha, episcopus et patres incubuerunt, ipse tamen semper cauta silentii declinatione subterfugit, id unum explanate respondens, se die postera vel perendina interpretes, cum quibus res transigeretur, ad Patriarcham missurum.

Cum Principe collocutio.

12. Sat moesti hoc responso a curia discessimus et in domum Principis contendimus. Remotis iam mensis a prandio frequens erat aula compotorum, quorum praecipui prae nostri verecundia et damnatae conscientiae testimonio, se introrsum abdiderunt. De re statim sermo Patriarchae. Ille summam illius inscientiam simulare, dicens, aliquid se per transennam, non tamen ex ullius momenti persona audisse, rogaturum, ut quid ageretur certo resciret. Patriarcha, occasione ex ipsius verbis arrepta, hac illum oratione perculsit: Quid? Non est V. Celsitudini in Romana fide mori destinatum? Suas rationes inpeditas sentiens et toto corpore inhorrescens, *tergiversa- f. 174.
tiones moliebatur; nec aliam responsionem edidit, quam priorem: Inquisiturum se et agniturum. Multo tristiores inde surreximus vulnus suppuratum esse et omnino immedicabile intelligentes.

Spectatorum catholicorum constantia.

13. Tres dies insequentes Imperator, aedes suas obstruens, illarum aditum omnibus interdixit, sive molestia et moestitia, sive rubore praepeditus, sive ut proderet se invitum, reluctantem et timore filii constrictum in hanc mutationem raptari. Hoc enim tempore rumor in vulgus manavit, Principem paternarum cunctationum pertaesum, coram multis dixisse, se in montes abscessurum, vitamque venando sustentaturum; quod apud eos tantumdem valet ac si diceret rebellaturum. Eosdem dies nos etiam spemque metumque interdubii, sed pluribus metus praesagiis fatigati, transegimus, a probatis catholicis nostra templa, liturgias et conciones frequentantibus invisi,

et omnium, quae clam tentarentur commonefacti. Ad eos confundendos et mendacii arguendos, qui suis in circulis spargebant et Imperatori non raro in aurem insusurrabant, neminem omnino esse in castris cui Romana fides arrideret, sexdecim catholici ex praecipuo illorum flore ad Patriarcham venere et ante ipsum coram Christi Domini e cruce suspensi simulacro se illam usque ad extremum spiritum defensuros sunt protestati. Quod agnoscens Iacobus, Imperatoris filius ex Ite Amata Michaelis clarissimorum natalium foemina, equitandi peritia et venustate inter omnes primus, quem Basilides semper tamquam indubitatum imperii competitorem expavit, simul cum fratre Iusto ad eumdem se contulit, et ambo in eadem verba iurarunt. Hoc in sinistram partem haeretici interpretantes, falso sparserunt, catholicos in Principis odium caput sibi Iacobum, ut patri morienti subrogaretur, delegisse. Qua de causa Basilides ipsum quasi regni invasorem maiestatis postulavit. Ille tamen respondens, se iurasse de Romana fide propugnanda, non de pugna contra aliquem concienda, concordibus iudicum suffragiis est liberatus.

CAPUT XXXII.

Impio praeconio Romana fides dimittitur, Alexandrina perfidia revocatur.

1. Dies sancti Ioannis Baptistae nativitati dicata, quae in Lusitana communium pyrarum incensione celebratur, et finis est locationis priorum aedium, locandarumque principium, ab haeresis fautoribus Nativitas sancti Ioannis Baptistae impio praeconio destinata.
f.174,v. et impulsoribus *electa est ut Romanae fidei ab eisdem ad certum tempus locatio facta absolveretur et in pyram iactaretur. Cum enim ab iis omnia iam ex animi sententia comparata essent, ad matutini rumoris auram curiae atrium ac septa viliorum militum grege et populari multitudine aestuarunt. In aulam Imperatoris ingressi sunt proceres cum Abbate Athanataeo, Agdi coenobii in postremo limite Enfrazii magistro, qui velut omnium os eidem dixit: Imperium huius fidei causa corruere; tantam ruinam iam sisteret, et cunctos fide paterna et avita impertiret. In easdem preces caeteri ierunt. Horam iam advenisse significavit Imperator, sed cunctos in speciem (ut tempus ostendit) ad Patriarcham dimisit, coram quo, episcopo et patribus stans,. ita locutus est regius aeconomus Zamarianus.

2. Romanam fidem sumus amplexi, et ut radices ageret, ac firmaretur, magna solicitudine et excubiis connixi. Illi tamen non Imperatoris ad Patriarcham nuntium.
admodum multi applauserunt. Iulius, ex intestino in Ras Selâ Christôs odio, in nos rebellavit, antiquae fidei propugnationem obtendens; qua voce multos sibi aggregavit et cum iis caesus est. Idem Caprael

est commentus. Idem aliam ab causam (quam non expressit) ante quatuor annos Tecla Gueorguis. Idem proxime Sarsa Christôs. Nunc rusticani hac tinctura suam audaciam colorant; omnes ad ipsos convolant, et me solitarium relinquunt. Meum imperium antea latissimum erat, nunc Granhae portu terminatur. Illic heri, victo quam victori propior, cum rusticanis in arenam descendi, fides Romana nihil non boni habet, sed in gentis istius mentem non illabitur; in illam, quam sui maiores coluere, tantum suspirat nec extra illam conquiescit. Eos, quibus Romana fides cordi fuerit, immotos dimittam, sic Lusitani ab Imperatore Claudio ad haec tempora, indigenarum convivae, compotores, generi et affines manserunt. Illis quibus eadem fides odiosa est, avitam propinabo.

Patriarchae responsum.

3. Oratorem, num hoc nuntium esset Imperatoris, Patriarcha interrogavit et affirmanti adiecit: manifestum esse culpam eversionis imperii non in fidem, sed in versatilem et novitatum aucupatoriam popularium indolem recidere; quae saepius, antequam Romana fides audita esset, seditiones et rebelliones suscitavit. Cuius rei non pauca exempla produxit; sed ad scopum legationis, se statim, sumpto consilio, responsum editurum. Omnibus domo egressis, de re consultare coepit Patriarcha, sed illi vix in curiam pedem intulerant, cum senator Lipsa Christôs et Bella Christôs, qui Damotum prorex fuerat, cum alio mandato in haec verba sunt remissi. Me omnes instanter premunt, ut eorum mentes iacto praeconio tranquillem; Patriarcha, vel reddito vel misso responso, moras praecidat.

Responsum plenum per tres patres missum.

*4. *Inter nos convenerat iis, qui fidem Romanam nondum susce-* f. 175.
perant nec ipsius exomologesi et synaxi se dediderant, ut suo arbitratu viverent posse Imperatorem connivere, siquidem ad eos coercendos vim non haberet, iis autem, qui iam illam publice professi fuerant et Romano Pontifici obedientiam sub iuramenti et anathematis [sic] *spoponderant, nefas esse assentiri ut ad errores pristinos redirent.* Cum hoc responso statim patres Emmanuel, Antonius et Didacus expediti. Septa, atrium, vestibulum et aulas multitudine ferventia invenere et quod prandii tempus esset, paululum sunt praestolati. Cum sunt admissi, aliqui ex proceribus, Zamarianus, Bella Christôs, Acabi Essat, Daniel et alii ante regium lectum stabant. Ad quem, in eo demissis oculis et marcido vultu sedentem, sic locutus est p. Emmanuel:

Dissimulatio ad eos qui fidem iam suscepere extendi non potest, ad caeteros potest.

5. *Patriarchae renuntiari iussit V. Maiestas, Romana fide suum imperium dissipari, velle se iis, qui avitam anhelarent, illius impunitatem elargiri.* *Respondet Patriarcha:* « *Non minus V. Maiestatis,*

quam Regis Lusitaniae, domini mei, personam diligo; nec minus ad huius imperii, quam ad regni Lusitanici commoda procuranda exardesco; atque ita paratus sum, ut V. Maiestati annuam in cunctis quae ad huius imperii incolumitatem spectaverint, dummodo fidei sinceritati et divinae legis integritati non opponantur. Quod enim peccatum est et a Deo vetitum, regno commodum esse non potest; nec mihi fas est concedere, nec V. Maiestati exigere, aut cuiquam consulere. Bipartita est haec quaestio illiusque decisio. Aut agi potest de his qui fidei nomen suum nondum addixere, ut rusticani Lastenses et alii consimiles. In hos, quibus ad officium compellendis V. Maiestati vis nos suppetit, dissimulatione uti potest et permittere ut in parentum suorum coeno volutentur. Si vero sermo sit de iis, qui iam se fidei iuramentis et imprecationibus subiecerunt, iis indulgere nequit ut ad parentum suorum errores revertantur, nec ego sine gravi piaculo consensum commodare. Addo (si peregrinis licet gubernationi se ingerere et in alieno solo consilium praebere) talem facultatem extremam perniciem V. Maiestatis imperio allaturam et dissensiones ac bella civilia parituram. Tu Romanus, ego Alexandrinus. Quid est consequens nisi gladium educere, percutere, trucidare? Et quod omnibus est evidens, aliis Abunam, aliis Patriarcham praesse et duos Reges ac duo regna introduci? »

Extrema Imperatoris ad patres verba.

6. Audiit haec Imperator nubilus et vultuosus. Paucis respondit: Qui potest hoc fieri? Rex tantum sum nomine: meum regnum iam evanuit. Illius meta est *post tria milliaria Granhae portus*. Mox ad aliquorum Lusitanorum, qui se in proelio comitati non fuerant, querelas deflexit. Illorum partes suscipiens p. Antonius, dixit eos, qui domi manserant, non solum arma non habere, quibus in bello muniantur, sed neque panni centonem, quo membra tegantur. Sic patres ab aula *discesserunt, cunctis iam aliis oculis ipsos obtuentibus, et
f.175,v. quasi caudam traherent, irridentibus eosque a tergo dexterae digitis in speciem rostri ciconiae conformatis, pinsentibus. Post illorum egressum Ichegue, seu generalis monachorum abbatis Teclae Haymanot ad Imperatorem ob antiquam fidem restitutam faustis precationibus onerandum est ingressus. Vix domum se collegerant, cum pulsata sunt tympana imperialia ad praeconium sequenti tenore iaciendum.

Impii praeconii forma.

7. Ad septorum fores descendere et in iis consedere Zamarianus regius aeconomus, Daniel, Asquô et multi ex magnatibus et senatoribus; et Lique (qui unus est ex numero iudicum supremi tribunalis)

in pedes stans, alta voce repetebat, quod Zamarianus submisse suggerebat, et ita dixit: Audite, audite. Prius vobis Romanam fidem dedimus, bonam illam existimantes; sed ob illam caesa est infinita multitudo cum Iulio, Capraele, Tecla Gueorguis, Sarsa Christôs et nunc cum istis rusticanis. Vobis ergo nunc reddimus fidem vestrorum maiorum, regis Iacobi, Malac Seguedi, Adamâs Seguedi, Asnaf Seguedi et Onag Seguedi. Priores clerici in suas ecclesias regrediantur, aras suas portatiles inducant, suas liturgias celebrent. Et omnes laetitia triumphate.

Haereticorum cantus et choreae.

8. Mox qui praeconium auribus sunt aucupati, aerem clamoribus et festivis plausibus perruperunt, et cantionibus ac choreis indulgentes, eas in totam noctem provexerunt, et indiscriminatim eodem choro clerici, monachi, milites ac foeminae volvebantur. Imperator, quamquam aegrotaret, ad eas, quae intra ipsius septa nectebantur ad fenestram processit; quarum restim cum clericus subire nollet, in eas obtorto collo est pertractus. Canticum, quod modulabantur, tale erat *Ye habardaruxa, Haymanot qha alxa,* id est: Canis, qui mari huc venisti, mihi fide non placuisti. A precariis globulis, iconibus, et crucibus, tam propriis, quam alienis, confringendis, et in ignem mittendis, perfidiae auspicium a multis sumptum. O infinitam divinae patientiae magnitudinem! O belluinam hominum feritatem et caecitatem!

Aliquorum catholicorum ex opposito constantia.

9. Multi tamen ex primoribus illa catholicae pietatis monumenta nec cervicibus nec de manibus ponere voluerunt, imo dicebant, quod Habitachum Zamalesus imperatoris Malac Seguedi nepos, illud esse tempus gestandi et eorum fructum colligendi. Cum in Principis domum cum magno ancillarum grege ingressa esset Ozoro Sophia, Imperatoris Zadenguilis filia, sed tali patre, ob haereticam nequitiam et licentiosam vitam, indigna et illarum quaedam impudenter, coram Principe et hera, globulos precarios ducis sinistri cornu, dicti Fetelo Selasse, frangendi et dissipandi animo arripuisset, ille tectum vagina gladium eidem obiectavit, dicens: Abscede, propudium; sin hoc tibi ac tuae herae collum decutiam; siquidem nec ipsius pater, si nunc viveret, meos mihi globulos posset extorquere. Plura exempla his similia, si opus esset, producerentur.

f. 176.

CAPUT XXXIII.

Quam tristis rerum consecuta sit mutatio et Ras Selâ Christôs ad Imperatoris epistolam responsio.

1. Qui veritatem mendacio, lucem tenebris, coelum tartaro, et Christum Beliale permutat, in quae devia, in quos errores non devolvitur? Id animo expingere non poterit, qui lippitudinem ac caecitatem eorum, qui in Aethiopia perspicaciores videbantur, non fuit contemplatus. Horum enim plures dicere coeperunt, eodem se quo antea, tergo iacere, fidem Romanam et Alexandrinam ita esse, ut lac lacti, ebur eburi et ovum ovo indiscretas. Ad cuius asserti probationem, duas naturas in Christo collocabant. Alii ex opposito negabant. Sed amicabili postea conventu foederati, satis esse perfectum Deum et perfectum hominem dicere; sed ab unius, vel duarum naturarum vocabulis temperandum sanxerunt. **Varii errores illorum etiam qui catholici prius videbantur.**

2. Pertinacium per illos dies monachorum deliramenta aures et animos infringebant. Alii enim Christum Dominum Dei filium gratia cum Paulo Samosateno et Nestorio; alii cum eodem mortuam in cruce divinitatem asserebant. Ad quam vesaniam tuendam quatuor in Deo divinitates fingebant, ut tres illae, quas mors non attigit, quartam, quae in cruce extinta fuerat, suscitarent; alii Christum duplici persona biformem fingebant; alii ex duabus personis, unam; alii similiter ex duabus naturis unam mistili confusione conflabant. Monachus adeo imperite sentiens inventus, ut catholicis, quis ritus fuerit dominicae **Pseudo monachorum deliria.**

Incarnationis rogantibus, responderit: Dei filium vespertino crepusculo ad Virginem descendisse, et in ipso conticinio ad coelum revolasse. Ab alio quaesitum, quot essent Trinitatis personae et, cum tres affirmasset, ulterius ab eo rogatum quaenam ex illis carnem assumpserit; qui Dioscorum respondit. Cui catholici: Recte, inquiunt, asseris, duas naturas ibi non extitisse; adde nec divinam nec humanam, planum enim est Dioscorum penitus divina nec minus certum humana caruisse, haec enim in eo vestro doctore in belluinam demigravit.

Omnes Lusitanorum ritus, etiam sacri, ab haereticis reprobati.

3. Sentiebant ii, qui catholici fuerant, Christi sanguinem confici non posse in aqua sex vel septem acinis uvae passae macerata, sed in meraco; qui semper haeresim foverant, ex pleno ad pristinos mores redeundum contendebant. Magni super hac quaestione fuere tumultus. Convenit, ut id fieret, quod esset Alexandriae usitatum. Nullus in testem doctior occurrit quam faber lignarius aegyptius, qui consultus respondit solum in expresso ex uvis succo Christi sanguinem Alexandriae consecrari. Laetati sunt eo suffragio verae opinionis asseclae, sed contraria invaluit, ne suorum maiorum consuetudo damnaretur, aut Lusitanorum usus approbaretur.

Iesu nominis invocatio vetita.

4. Ad tantam caliginem et mentis perversitatem deventum, ut quoniam Lusitani et catholici in quovis discrimine, vel etiam extra illud, sanctissimo Iesu nomine pronunciato, divinum auxilium implorant, apud se statuerint praeconium sub capitis poena in eos, qui illud deinceps invocarent, iaciendum. Et *aliqui reperti adeo in ferinam indolem transmoti, ut eos, qui illud nominarent, venabulis confixerint; eamdemque immanitatem exercuerint in pueros, quod incircumcisos cernerent, hastilibus vitalia transadigentes, et in duas partes dissecantes. Et praeconium generalis circumcisio excepit, ut Romanae fidei, quam professi fuerant, praeputium et opprobrium, ut ipsi putabant, tolleretur. Cui additum secundum baptisma, ad tollendas sordes, quae in rectae fidei susceptione iuxta eorundem opinionem fuerant contractae. Et cum peccatum originale, quod baptismo deletur, poenitentiae clavibus non subiaceat, docti illi monachi solum illud susceptae Romanae fidei peccatum, quod secundo baptismo eluendum censebant, ad confessionem, reliquis omissis, deferendum praedicabant; sed facile aboleri, si quis saepius diceret: Kedus Dioscoros, Racûs Leon, id est, sanctus Dioscorus, immundus Leo; ex odio, quo in eum sanctum Pontificem incenduntur, quod auctor fuerit concilii Chalcedonensis, in quo coelesti sua epistola et sexcentorum

f. 176 r.

Generalis circumcisio subsecuta.

et triginta patrum suffragiis Eutychetem et Dioscorum damnavit, duarum naturarum in una verbi persona unitarum, vel saltem unius interemptores; cum astruerent duas in unam mixtione et confusione vel unius internecione coaluisse.

Militum ob praeconium exultantium voces.

5. Eadem die, qua iactum est fatale praeconium, auditi sunt milites, aliqui procaciores, his vocibus et impudentibus saltibus nostras domus persultantes. Euge, euge: evax, evax. Nemo nos deinceps cohibebit, nemo obluctabitur, quominus voluntarie et voluptarie vivamus, concubinas et uxores ad libidinem assumamus et dimittamus. Ita factum, nam ante paucos menses innumeri fuere, qui uxores, eo tantum titulo quod sibi non placerent, a thoro et contubernio ablegarunt. Ante coeteras famosa Onguelavi Imperatoris filia, vivo Bellâ Christôs priore viro, et alio, quem ipsi superinduxerat affini suo Zâ Christôs ex alia sorore viduo et ab alia consorte propter eam discedenti, *Comos*, idest, vicario generali sui ipsius (non enim erat qui constituerat) tandem innupsit.

Imperator ad Ras scripsit.

6. Imperator per epistolam ab huius novitatis labe se statim purgare voluit cum fratre suo Ras Selâ Christôs quam hic volui transcribere, quia eius mens, et vires intelligi possunt ex fratris responsione, quae ita habet.

7. *Summis laudibus attollatur virginalis puritas sanctissimae Virginis Mariae, Dei genitricis, Dominae nostrae. Epistola Selae Christôs servi maximi Imperatoris.*

8. *Deus omnipotens, qui nostrum esse ex nihilo eduxit et mentis pulchritudinem in cordis nostri tabulis depinxit V. Maiestatis gre-*
f. 177. *gem pastoris, *dominio non mercenarii abiectione, tueatur. En ad me litterae V. Maiestatis pervenerunt, quae dicunt: Iecimus praeconium, ut fides Alexandrina redeat sicut prius vigebat, et qui Romanam elegerit, ut volet et sibi placuerit, in ea ille suo se modo habeat, siquidem ob hanc unam causam gens omnis, magni, parvi, rustici et milites nobiscum bellantur. Haec omnia scio quo pacto cuncti nobiscum belligerent, quod monachi, et sacerdotes, qui in dynastarum domibus delitescunt, ipsis dicant, nos canum, et asinorum carnibus victitare; et ut sibi credatur, per Dei nomen iurant, qui vitae nostrae principium est, cum in mundum ingredimur, et ultima spes, cum ab illo omittimur. Rem Melcâ Christôs sibi adeo intimi, qui saepius castrorum dominus fuit, et ad tantam sublimitatem est evectus, V. Maiestas est intuitus, et quomodo castrensium omnium corda in defectionem cum suo Sebastiano contra V. Maiestatem sollicitavit. Deus*

tamen, in quem V. Maiestas suam spem vere contulerat, utrumque in suas manus immisit; et in tranquillum adducta est rebellionis illorum tempestas.

9. *Dicit V. Maiestas in sua epistola: Praeconium ieci, quod tota multitudo castrensis in me rebellaverit. Quo id pacto? Non recordatur V. Maiestas, me cum in Agaorum regione tantum cum coniuge et sex equitibus demorarer, eos in Christi domini fidem, quam ipsorum parentes ignorarunt, baptismo et eucharistia susceptis, et posthabitis arundinibus quae ab antiquo tempore illorum erant idola, induxisse et nunc nostro imperio subiectos vivere et tributa pensitare? Quae animorum conglutinatio sequitur ex eo praeconio, quo iubetur, ut Romani suo modo et Alexandrini suo vitam transigant? Numquid V. Maiestas obliviscitur, quod, cum Achaferii essemus et ibi simili praeconio decreverit, ne violentia illis inferretur, qui vel unam vel duplicem naturam Christo assignarent, hilum abfuisse, quin me Onacl in mortis ungues coniecerit, certans pro unius firmitate; quam tamen Deus, virtus fortium, in nostras manus conclusit.*

10. *Dicit etiam V. Maiestas in sua epistola, se huic praeconio assensum esse, quod omnes nobiscum pugnarent et nostrae regiones everterentur? Numquid quoties aliquae Aethiopiae provinciae eversae sunt, Romanae fidei causa perierunt! Quis illimitatos illos maiorum nostrorum fines ab Angote et Doaro usque ad Bisamo evertit, nisi Gallae fidei penitus ignari? Bellum a tempore Adamâs Seguedi et Habitachum Tascaro ad nos usque non interquievit. Numquid hanc fidem ideo probabimus, ut nostros fines prorogaremus? An non iam avorum suorum regno V. Maiestas et ego quantulacumque parentis mei haereditate potiebar? Videntes tamen et agnoscentes sanctae istius fidei veritatem, nec cuiquam extra illam salutem posse contingere, in eam contendimus, et post ingressum, Deus, qui illius est coementum, magnis nos miraculis et speciatim V. Maiestatem fide pervalentem confirmavit. Sicut odoratum Pauli os dixit in epistola ad Hebraeos: Sancti per fidem vicerunt regna; operati sunt iustitiam; adepti sunt repromissiones; fortes facti sunt in *bello,* f.177r. *convaluerunt de infirmitate; obturaverunt ora leonum; extinxerunt impetum ignis. Fide filii Israel transierunt mare Rubrum, tamquam per aridam terram quod experti aegyptii devorati sunt. Fide muri Iericho corruerunt circuitu dierum septem. In aliis libris invenimus, fide insignia miracula patrata. Nunc primum audio fide regna labefactari. Hanc ego fidem mea sponte non inchoavi, sed a V. Ma-*

iestate, illius fonte et principio, edoctus; ipsius puritatem perspicacis intellectus oculo in testimoniis sanctorum patrum, qui aurum spirituale in camino disputationum cum haereticis septuplum expurgant, ad conflantem Spiritus Sancti ignem, investigans.

11. *His omnibus V. Maiestas coementa posuit et addidit colophonem. Quid ergo de Patriarcha et de patribus sibi adeo dilectis decernit? Recenti amore praetermisso, recordetur V. Maiestas, cum olim mahometanus quidam nomine Grahna in nostros avos bellum movit et omnes ecclesias deiecit, quisnam collabentem fidem suis humeris suffulserit. Numquid milites alexandrini aut aegyptii tunc auxilio fuerunt? Minime gentium. Sed illi, fide impellenti et operum sanctitate illustres, Lusitani, infamem illum immundi Mahometis filium leto dederunt. Numquid Patriarcham et patres, relictis parentibus, consanguineis et sui status claritudine, ad nos alicuius lucelli amor, et non divini amoris funiculus, qui illius fundamentum est, et amor in V. Maiestatem et tota in eum et in coeli ac terrae regem, Deum nostrum, fiducia pertraxit? Numquid V. Maiestas ex memoria delevit, primo illo tempore cum Emana Christôs se p. Laurentio Romano ad praedicandam Lusitanorum doctrinam adiunxit, me ex adverso, ne promulgaretur, cum abbate Merca me opposuisse, et tunc mihi dixisse V. Maiestatem: Res eorum audito et libros examinato, ut agnoscamus num quae illos macula conspergat, meque illos diligenter excutientem, et a V. Maiestate discentem, veritatem comperisse, et in ea nunc usque constanter perstitisse? Nunc ergo V. Maiestas de Patriarchae, patrum, V. Maiestatis, et meae gentis, quae in fide firma perdurat, statione consultet, et me sui animi faciat certiorem.*

12. *Mihi etiam dicit V. Maiestas, maximam in castris fuisse laetitiam ob suae fidei restitutionem. Nihil ambigo illorum cupedinarios, caupones et vinarios fuisse laetabundos, sicut et angelos in coelo, ac divos nostri imperii tutelares plorabundos. Quomodo V. Maiestas in memoriam non revocat accepta missarum et orationum munera quae tot patrum Societatis Iesu millia per totum orbem, et singulis hebdomadis, et quovis illarum triduo Regi Regum et Domino dominantium sistunt? Et quomodo christiani reges fratribus suis opem afferunt, Rex Castellae, Lusitaniae, Galliae, Germaniae et is qui Regibus omnibus est excelsior venerabilis pater, qui vice Christi in cathedra sancti Petri Romae considet et omnipotentem Deum pro V. Maie-*
f. 178. *statis incolumitate *deprecatur? Quod V. Maiestas horum auxiliorum*

et commodorum se exortem reddat, id vero super omnia me medium diffindit.

13. *Quod V. Maiestatis in p. Petrum Paezium, quem plus omnibus diligebat, et in ipsius obsequia est amoris pondus? Quod in p. Ludovicum Azebedium? Quod in p. Antonium Fernandium et in paterna ipsius in V. Maiestatem tamquam in filium consilia? Eo autem omisso, quod in eos iactum sit praeconium, num forte V. Maiestatem latet, quomodo dum paulo ante omnes in eadem essemus fide, et p. Azebedius Ganctae Iesu, V. Maiestatis domum et fortunas custodiret, ab Emana Christôs domesticis caedi est devotus? Quae nunc ergo erit illius vitae inter tot lupos securitas?*

14. *Auditione etiam percepi apud multitudinem castrensem, ut alexandrino ritu communio sumeretur, constitutum. Praeter haereses, quarum gnara est V. Maiestas, nescit Abunam Simonem, qui in Sadae proelio cum Elôs cecidit, anathema inflixisse et iuxta synodos, missae celebratione clericis interdixisse qui in fornicatione essent deprehensi? Quis hoc interdictum relaxavit, et his ut sacro operarentur indulsit? Numquid V. Maiestatis praeconium illos habiles reddidit, et ordinibus auctoravit? An non istud insigne coram Deo, et hominibus dedecus est et opprobrium?*

15. *Ad meas etiam aures delatum est V. Maiestatem Gorgorrae agros a patribus abstulisse, et reprobatis Alexandriae magistris assignasse. Quis V. Maiestatis sensus est de p. Petro Paezio, per annos septem apud Turcas in Arabia catenis devincto, et in obscuris gurgustiis et ergastulis, ad cippum et ferreum focale praeligato? Numquid haec propter lucrum aliquod terrenum, aut propter temporalem dominatum est perpessus? Nequaquam, sed solo Dei amore, qui nostri radix est, et verae fidei in hoc nostro solo aethiopico praedicandae studio compulsus. Nunc autem situm est sacrum illius corpus in templo illo Gorgorrensi. Quod me ad haec scribenda permovit, illud est. Cum prius allatum esset cadaver abbatis Zara Onguel, qui erat Icheguê, sive caput monachorum, ut in templo mechareguensi conderetur, Patriarcha ex potestate, quam a Deo, potestatis omnis fonte, habet, edixit, ne in sacro loco quod in haeresi obstinatus obiisset, deponeretur. Quis autem nunc scire potest, an pseudo monachi corpus p. Petri Paezii a Gorgorrae templo sint avulsuri et flammis tradituri? Hoc videtur V. Maiestatis regno non convenire ut V. Maiestati notum est, cuius intelligentia et bonitas cunctis antecellit.*

16. *Hanc epistolam V. Maiestas nulli ostendat, sed operetur ad eam normam de qua V. Maiestas, et ego cum patribus circa res fidei saepe coram Deo omnium domino tantum, fuimus collocuti. Haec omnia ad V. Maiestatem late scribo; nec videatur me mortem expavescere, in quam deinceps ubique sum incursurus, iam enim me tenet vitae et honorum satietas, cum a viginti et octo annis in regno*
f.178,v. **V. Maiestatis summis Aethiopiae muneribus, ad quinquagenos aetatis annos, sim perfunctus. Quid ulterius morbis scatens sum inventurus? Et is, quo modo vincior, me tenet ne ad V. Maiestatem possim contendere; sic enim me habeo ut habebam cum me V. Maiestas in terram Camkam manere iussit. Caetera Voldo dicet, quem V. Maiestas probe agnoscit.* Sic insignis Ras Selâ Christôs, in indice ac teste suae fidei et constantiae, epistola.

CAPUT XXXIV.

Quae deinceps evenerint usque ad mortem imperatoris Seltan Seguedi.

1. Apertum catholiciis bellum indicere, quod plures essent et ex clarioribus plerique, prae metu ausi non sunt illorum adversarii. Imperator enim semper explanate asseruit, liberum cuique esse quam vellet fidem profiteri. Idem etiam aliquoties Princeps affirmabat, quamquam cito patuit illius cor penitus in haereticam factionem propendere. Publice in nostris templis sacra faciebamus et ad praecipuos catholicorum ad ea confluentes conciones habebamus. Patriarcha sequenti dominica, quae fuit quarta post Pentecostem, in illius evangelium, de Christi ascensu *in unam navim, quae erat Simonis* (1), concionatus, generatim advertit, Christum in unam navim, unitatis ipsius mysterio, pedem intulisse; hanc vero fuisse navim Simonis Petri, Ecclesiam scilicet Romanam e qua sedens turbas docuerit, quia in nulla alia stabilem sedem defixit, nec infallibilis veritatis dogmata profudit, nec alii dixit: Duc in altum doctrinae et disputationum, sed coeteras ab ea divulsas certum est syrtibus haerere, et ore proprio fateri, se in tenebris agere, nihil piscium prehendere, et incassum laborare, cum, eo absente, clament: *Domine, per totam noctem laborantes nihil cepimus* (2). In Petri navicula copiosam esse piscationem, sed aliquando retia grandiorum piscium tumultuantium rixis, nempe

(1) *Luc.*, 5, n. 3. — (2) Ibid., n. 4.

schismate et haeresibus, abrumpi. Quae cum ad catholicos in fide roborandos simpliciter dicta essent, ea aliqui ex piscibus turbulentis et retium effractoribus ad Principem detulerunt; et is inter ipsos graviter conquestus est (nec sine minis) de Patriarcha, quasi seditiones foveret, et fidem a se suis permissam impugnaret. Qua de causa prudentiores catholici tempestati, ne augeretur, cedendum et ab impiis castris exeundum censuerunt.

Decretum ut patres ab aliquibus domibus et ecclesiis exigerentur.

2. Ocyores tamen fuere filii tenebrarum ad impia coepta perficienda, quam filii lucis ad sana consilia exequenda. Nam babylonicae turris architecti, in domo Principis congregati, statuerunt, nec populares praeconio perfecte credituros, nec monachos, qui hactenus in tenebris iacuerant, ab iis *tuto digressuros, aut in propatulum se f. 179.
daturos, dum Patriarcha et patres suis ecclesiis et agris potirentur sed alterum clavum trudi oportere ut alter induceretur. Concilii sententiam quoad patres Imperator approbavit, non tamen quoad Patriarcham. Atque ita solemni sanctorum Apostolorum Petri et Pauli die multi procerum cum his ab eo mandatis ad Patriarcham venerunt: Praeconio ediximus ut monachi ad suas haereditates redirent; ipsi vero aiunt, plures illarum a Patribus occupari. Idcirco decretum, ut omnes Tigraei regni patres in unam Fremonam; Dambaeenses in Ganetam Iesu redigantur, a Gojamensibus, missis reliquis, una domus, quae magis placeat, eligatur. Respondit Patriarcha, nec se nec patres in Aethiopiam agros quaesitum accessisse; et plures eorum, qui possiderentur, invitis Imperatorem obtrusisse; et certe se rescire, libentius quam acceperant dimissuros. Coetera sibi, ut in malis, probari, sed pro sede Dambaeensi aliquid oppositurum. Meminerit Gorgorrense templum a patribus calcario et coelato opere in testudinis speciem arcuatum magnis sumptibus extructum et instar miraculi a cunctis Abassinis reputatum; nec Deo nec hominibus placiturum, si aliis possessoribus tradatur.

Ut a Gorgorrae peninsula patres arcerentur ab adversariis maxime curatum.

3. Nec nuntiis nec Imperatori vel Principi probatum fuit, nec probari poterat id responsum. Illud enim templum et domus sua elegantia et artificio eorum oculos vulnerabat, quod aedificium in peninsula in arcis formam quadratum esset contra ipsos munimento. Ut enim nequitia meticulosa et suspicax esse solet, somniabant, Ras Selâ Christôs mari ad eum locum ex Gojama venturum, eumque Lusitanorum et catholicorum conventu inexpugnabilem reddendum. Quam ob causam Imperator id, quod semel praefixerat, iussit statum et infractum permanere, et patres illico e Gorgorrensi sede divelli.

4. Sed, ut a multis fuit observatum, commeritae poenae ultionem Deus non procrastinavit. Ubi enim Imperator sententiam illam iniuste atque indebite confirmavit, corpus et vultum in lecto ad parietem convertens, gemitum ex subito et acuto dorsi dolore emisit, qui inde ad obitum per duos menses cum dimidio eumdem sine intermissione afflixit, quin umquam diem ullum cruciatu liberum aut horam laetitiae compotem traduxerit, sed semper dolores, febrim, fastidia, curas, angores et anxietates sit expertus. E coelo enim iustitiam et indignationem divinam, quam provocaverat; e tartaro minitabundos tortores, quos adesse putabat; in terra, qui prius solos haereticos, nunc haereticos et catholicos, probos atque improbos horrescebat: probos, quia eos in impiorum manus tradiderat, improbos, quia penitus habenas perditis ipsorum conatibus non laxaverat. Filium quoque, iam sine consorte regnare volentem, et fratrem Ras Selâ Christôs, sponte tot iniurias fidei irrogatas non passurum, extimesce-
f.179.v. bat; e quo diversis quotidie nuntiis *fatigabatur, tamquam rebellionem agitaret, eo solum, quod catholicis faveret et eorum calamitatibus angeretur. In hac laborum ac dolorum sartagine eos qui supererant dies vitae Imperator infelicissimos transegit.

A puncto confirmatae sententiae Imperatorem dolores non deseruere.

5. Patri Emmanueli et Gaspari Paezio Gorgorram colentibus prima data sunt mandata ut Ganetam commigrarent, quae illi et bonorum suorum rapinam sive dimissionem cum gaudio susceperunt, Deum efflagitantes ut faustus huius exordii finis esset sui sanguinis ob ipsius amorem effusio; quas preces, ut nempe pro Domino moreretur, ipse p. Gaspari concessit, cum p. Emmanueli solum datum sit ut in Domino moreretur. Dum fiscales executores non aderant, domesticam supellectilem in eos, quorum ministerio usi fuerant, in viduas, pupillos et pauperes, quorum ingens numerus, patres distribuerunt; lychnos pensiles, candelabra et corporatas imagines confregerunt, pictas vero disciderunt, ne haereticorum ludibriis et opprobriis exponerentur.

Domesticam supellectilem patres Gorgorrenses in pauperes distribuunt.

6. Duo fuere quae lacrymas a Patrum oculis et pene a cordis fibris sanguinem extraxerint: primum cum altaria denudarunt, et animo perpenderunt templum sic affabre elaboratum et sumptuosum a Romanae fidei hostibus incestandum et haereticorum sacrilegiis applicandum; secundum, cum in suo excessu videre infinitam multitudinem pauperum Lusitanorum, viduarum praecipue et orphanorum, qui suis fragmentis ac micis vivebant, suam orbitatem et solitudinem lacrymis et clamoribus ipsum coelum pulsantibus lugentium, ut qui

Flebilis Gorgorrae discessus.

scirent se deinceps in haereticis nec minimam placentam, qua famem sedarent, inventuros. Quae res multos eorum cum patribus Ganetam provexit, reputantes ab iis, si panem unicum haberent, cum eisdem frangendum. Duos socios, p. Ludovicus Azebedius illis charitatis, quae in eo semper eluxit, visceribus excepit. Quae virtus sic in eo semper emicuit, ut propter illam ipsis etiam haereticis et amori fuerit et venerationi. Sed diuturna non fuit haec permansio ut sequentis libri initio videndum.

A Damotibus, Agais et Nebessaeis.

7. Ex Gojamensibus residentiis Collelae domus electa, in quam iam se ex Bagamedrino regno p. Hyacinthus Francisci et ex Adaxae castris p. Antonius Brunus collegerant. Reliqui erant patres, qui Nefasam in Agaorum solo, Ligenegus inter Damotenses et Serquam curabant. In hac cum Ras Selâ Christôs ad ipsius comprehensionem permansit p. Ludovicus Cardeira, sanguinis sui laurea postea redimitus. Ad reliquos ubi Imperatoris et sui superioris nuntia pervenere, sic festine et laetanter sunt egressi, ut ipsis etiam haereticis non parva admirationis et propria fortunarum contemptus exempla reliquerint. Nam patres Ioannes Pereira, simili postmodum corona illustris, et p. Ioannes Sousa ipsius comes, cum ad egressum moniti essent ultima diei hora, mediae noctis articulo Damotensem residentiam a tergo posuere, non tamen Deus ipsorum pecudes et *frumentum; nam f. 180.
Damotenses, cum spectati essent catholici, nihil, quod ad suos magistros pertineret, passi sunt a raptoribus expilari. Agai patres Franciscos Carvalium et Marquium ad Nilum usque ultra quatuor milliaria prosecuti, ab iis non poterant prae lacrymarum profluviis avelli. In longiora spatia extra suos fines p. Brunum Bruni, sui postea sanguinis rubore picturatum, Nebessenses, cum essent nobiliores et scientia clariores, deduxerunt.

In castra ingens haereticorum concursus.

8. In castris imperatoriis in dies haeretici praevalebant, quotidiano in illud, tamquam in lustrum bestiarum, appulsu plurium monachorum et eremitarum, qui, ne errorum suorum venenum amitterent, illud in diversis latibulis, non tamen a divitibus in iis inclementer habiti, servabant. Inter coeteros impietate et auctoritate excellebat Abba Fetalê Selassê, id est filius Trinitatis, qui Abunae Comos, id est generalis vicarius, prius fuerat, quam nunc dignitatem a se ipso vendicavit. Hic Dancazii summo plausu est exceptus et a quodam Imperatoris filio cum peditatus et equitatus satellitio stipatus. Multi ex praecipuis se sacrilega Alexandriae communione polluerunt, praeeuntibus Regina cum filiabus, Ite Amata Christôs, principe Faciladas, Claudio et aliis, quos superfluum est enumerare.

Duo patres in iis permanebant.

9. Pater Didacus Matensis et Iosephus Girocus Dancazio nondum excesserant, sed sacrum et concionem singulis fere diebus peragebant; ad quas praestantissimi catholici confertim accedebant, se confessione repurgabant et divina synaxi roborabant; quibus Princeps status ratione connivebat, idque illi Imperator aeger ex lecto commendatum frequenter faciebat. Iam tamen inter haereticos et catholicos controversiae et dissensiones minime futiles gliscebant, in quibus Princeps haereticos tegebat, et ut in catholicos iniurii essent audaciam suggerebat. Inter haec, die decima septembris, Principis iussu pulsata sunt tympana imperialia, et Daniele, qui maximus erat harum novitatum instinctor, praeeunte et duodecim monachis adstipulantibus, sub triplici anathemate iactum est praeconium: Primum,

Praeconium haereticorum.

ut omnes Regem suum agnoscerent Seltanum Seguedum et illi, tamquam tali, obtemperarent, et post ipsius obitum, principi Basilidi. Secundum, ut omnes in Alexandrina fide viverent et in eadem mortem obirent. Tertium, ne ab illa die quisquam de rebus fidei cum Patriarcha, patribus, Ras Selâ Cristôs, vel cum ullo Lusitanorum altercaretur, sed unum omnium esset responsum: Suorum parentum fidem sibi ab Imperatore restitutam, et se anathematis interpositu ne Romanam audiant praepediri.

Seditio huius praeconii occasione coorta.

10. Summo plausu et clamoribus hoc praeconium in populi aures fuit immissum; nec pauci statim contenta voce dicere coeperunt, in
f.180,v. castris nec *posse nec debere duas Ecclesias tolerari, alteram Romae alteram Alexandriae, necessum esse patres illis exturbari, vel facultatem sibi concedi ad eos, et quotquot fidei Romanae sectatores essent, trucidandos. Responsum est regiam facultatem tam late non protendi, sed ut obtineretur procurandum. A prudentioribus tamen illico fuit animadversum, praeconium illud multitudini haereticae, et Alexandrinae nimis dedecorum extitisse, ut quae ex metu et ignorantiae suae conscientia, judicaret imparem se esse quae cum Romanis certaret, a quibus se indubitate vincendam hac diffidentia et tergiversatione praedicabat.

scirent se deinceps in haereticis nec minimam placentam, qua famem sedarent, inventuros. Quae res multos eorum cum patribus Ganetam provexit, reputantes ab iis, si panem unicum haberent, cum eisdem frangendum. Duos socios, p. Ludovicus Azebedius illis charitatis, quae in eo semper eluxit, visceribus excepit. Quae virtus sic in eo semper emicuit, ut propter illam ipsis etiam haereticis et amori fuerit et venerationi. Sed diuturna non fuit haec permansio ut sequentis libri initio videndum.

A Damotibus, Agais et Nebessaeis.

7. Ex Gojamensibus residentiis Collelae domus electa, in quam iam se ex Bagamedrino regno p. Hyacinthus Francisci et ex Adaxae castris p. Antonius Brunus collegerant. Reliqui erant patres, qui Nefasam in Agaorum solo, Ligenegus inter Damotenses et Serquam curabant. In hac cum Ras Selâ Christôs ad ipsius comprehensionem permansit p. Ludovicus Cardeira, sanguinis sui laurea postea redimitus. Ad reliquos ubi Imperatoris et sui superioris nuntia pervenere, sic festine et laetanter sunt egressi, ut ipsis etiam haereticis non parva admirationis et propria fortunarum contemptus exempla reliquerint. Nam patres Ioannes Pereira, simili postmodum corona illustris, et p. Ioannes Sousa ipsius comes, cum ad egressum moniti essent ultima diei hora, mediae noctis articulo Damotensem residentiam a tergo posuere, non tamen Deus ipsorum pecudes et *frumentum; nam f. 180.
Damotenses, cum spectati essent catholici, nihil, quod ad suos magistros pertineret, passi sunt a raptoribus expilari. Agai patres Franciscos Carvalium et Marquium ad Nilum usque ultra quatuor milliaria prosecuti, ab iis non poterant prae lacrymarum profluviis avelli. In longiora spatia extra suos fines p. Brunum Bruni, sui postea sanguinis rubore picturatum, Nebessenses, cum essent nobiliores et scientia clariores, deduxerunt.

In castra ingens haereticorum concursus.

8. In castris imperatoriis in dies haeretici praevalebant, quotidiano in illud, tamquam in lustrum bestiarum, appulsu plurium monachorum et eremitarum, qui, ne errorum suorum venenum amitterent, illud in diversis latibulis, non tamen a divitibus in iis inclementer habiti, servabant. Inter coeteros impietate et auctoritate excellebat Abba Fetalê Selassê, id est filius Trinitatis, qui Abunae Comos, id est generalis vicarius, prius fuerat, quam nunc dignitatem a se ipso vendicavit. Hic Dancazii summo plausu est exceptus et a quodam Imperatoris filio cum peditatus et equitatus satellitio stipatus. Multi ex praecipuis se sacrilega Alexandriae communione polluerunt, praeeuntibus Regina cum filiabus, Ite Amata Christôs, principe Faciladas, Claudio et aliis, quos superfluum est enumerare.

9. Pater Didacus Matensis et Iosephus Girocus Dancazio nondum excesserant, sed sacrum et concionem singulis fere diebus peragebant; ad quas praestantissimi catholici confertim accedebant, se confessione repurgabant et divina synaxi roborabant; quibus Princeps status ratione connivebat, idque illi Imperator aeger ex lecto commendatum frequenter faciebat. Iam tamen inter haereticos et catholicos controversiae et dissensiones minime futiles gliscebant, in quibus Princeps haereticos tegebat, et ut in catholicos iniurii essent audaciam suggerebat. Inter haec, die decima septembris, Principis iussu pulsata sunt tympana imperialia, et Daniele, qui maximus erat harum novitatum instinctor, praeeunte et duodecim monachis adstipulantibus, sub triplici anathemate iactum est praeconium: Primum, ut omnes Regem suum agnoscerent Seltanum Seguedum et illi, tamquam tali, obtemperarent, et post ipsius obitum, principi Basilidi. Secundum, ut omnes in Alexandrina fide viverent et in eadem mortem obirent. Tertium, ne ab illa die quisquam de rebus fidei cum Patriarcha, patribus, Ras Selâ Cristôs, vel cum ullo Lusitanorum altercaretur, sed unum omnium esset responsum: Suorum parentum fidem sibi ab Imperatore restitutam, et se anathematis interpositu ne Romanam audiant praepediri.

Duo patres in iis permanebant.

Praeconium haereticorum.

10. Summo plausu et clamoribus hoc praeconium in populi aures fuit immissum; nec pauci statim contenta voce dicere coeperunt, in
f.180,v. castris nec *posse nec debere duas Ecclesias tolerari, alteram Romae alteram Alexandriae, necessum esse patres illis exturbari, vel facultatem sibi concedi ad eos, et quotquot fidei Romanae sectatores essent, trucidandos. Responsum est regiam facultatem tam late non protendi, sed ut obtineretur procurandum. A prudentioribus tamen illico fuit animadversum, praeconium illud multitudini haereticae, et Alexandrinae nimis dedecorum extitisse, ut quae ex metu et ignorantiae suae conscientia, iudicaret imparem se esse quae cum Romanis certaret, a quibus se indubitate vincendam hac diffidentia et tergiversatione praedicabat.

Seditio huius praeconii occasione coorta.

CAPUT XXXV.

Mors et honores funerales imperatoris Seltan Seguedi Sociniôs.

1. Iam dictum, a die impii praeconii, nullam horam Imperatori fuisse vitalem nec salutarem. Multi putabant lento veneno extabescere, nec indicia deerant unguium liventium et defluvii capillorum; quamquam nullum venenum praesentius esse poterat quam ira Dei et iustum supplicium, quod ipse suis flagitiis conciverat et coacervaverat, et conscientiae, quibus identidem lacerabatur, aculei, cum videret a se non tantum labefactatum, sed et dissipatum illustre fidei catholicae aedificium, quod Deus, eo molitore, erexerat, et, ut terrenum regnum firmaret, coeleste oblivioni mandavisse et utrumque eodem iactu amisisse, ut saepius, cum solus esset, secum auditus est moestus et anxius supputare. **Imperatoris anxietates.**

2. Et licet haeretici ipsius animum falsis nuntiis suspensum detinere et aegro illudere certarent, fringentes multos ex iis, qui tyranni et Lastensium partes sequebantur, ipsi obsequium polliceri, ipse tamen facile assequebatur suam conditionem nihilo redditam meliorem, imo in deterius vergere, cum catholici acerbo et exulcerato essent animo, et haeretici praeconiis non multum crederent, nec ipse vel Princeps iis fidere possent, qui coelesti Regi infideles extiterant, et in se dubii essent ac titubantes. **Sui status angores Imperator cognoscebat.**

Eius in catholicos et haereticos alternatio.

3. Inter has animi iactationes et curarum fluctus, lenta febre perustus et doloribus, nunc mitioribus nunc acrioribus, agitatus, noctes et dies insommis et inquies exigebat. Illud tantum erat discrimen, quod, cum dolores remitterent, filio et haereticis clementem se praebebat; cum quidquam urgerent, p. Didacum, qui ipsum singulis diebus invisebat et opportunis medicamentis et consiliis non deerat, sibi arctius apprimebat; cum semper in illius ore esset, catholicis, quo minus essent, neminem obstaculo futurum; sed cuique dandam fidei optionem, et aliquoties in eos invectus sit, qui damnum aliquod iis intulisse *dicerentur; sed adeo frigide ac meticulose, ut illa fraeni f. 181. immissio calcarium incitatio videretur.

Cum patre Didaco crimina expiavit.

4. Augusti exordio a Patriarcha per nuntium postulavit, ut potestatem faceret sui a cuiusvis anathematis vinculo absolvendi, quam ipse p. Didaco, perpensa ipsius dispositione, delegavit. Quid actum ille novit, cui manifesta sunt abscondita tenebrarum. Tunc animum confessione cum eodem patre expiavit; sed id evulgari noluit, ne haeretici moestitiam eo nuntio haurirent, quod tantumdem est ac nolle se catholicum profiteri; nec ulla satisfactione tot offensiones publice datas voluit resarcire, quin piorum animos illa excusatio tranquillaverit, ab ea se abstinere ne haereticos ad sui caedem excitaret.

Globus durissimus in ipsius ventre concrevit.

5. Aegritudo itaque paulatim ingravescens, die illa septembris decima in qua tergemini anathematis praeconium iactum fuit, ipsum pene in mortem compulit. Cum enim in ea tantillum respiraret, sed fastidio nauseаret, in cruda caesi bovis intestina, quae, cum valeret, prima ipsius erant bellaria, se non avare ingurgitavit; et orta ex illis cruditas sequenti nocte deliquium morti proximum invexit. Gallae, quos aethiopica ruditas vel confidentia medicos non dedignatur, medicamentum intestinis ipsis crudius et tristius condierunt; gypsi pugnum vino dilutum potioni datum, ex quo et intestinis globus in ventre adeo durus concrevit, ut dolores et anxietates incredibiles exciverit, quae licet ipsum repente non extulerint, brevi tempore, letalibus semper animi defectionibus fatigatum, oppresserunt.

In fide Romana se mori testatus.

6. Assidebant p. Didacus et Emmanuel Macer, Patriarchae capellanus, medicinae ab experientia profectae non imperitus, qui die decima tertia septembris, cum ex ingenti deliquio ipsum abire crederent, ad vitam salutari iusculo revocarunt. Suggessit tunc p. Didacus coram Principe, qui et ipse aderat, ut secum reputaret, se

extremo vitae limiti applicatum; oportere ut de animi salute curaret, et notum faceret cui fidei in morte adhereret. Tunc voce expedita, elata et magno animi affectu respondit: In sanctae Romanae Ecclesiae fide morior; iam crimina sum confessus et Basilidem semel, et saepius (quod verum erat) contestatus haec, quae gesta, fuisse ad rusticanos; Romanam tamen fidem solam sanctam esse et veram, Patriarcham et patres ipsi ante omnia commendans. Quam recte hoc pater, tam ingrate et impie ille ex adverso praestitit. Monuit etiam pater optimum factu esse, si de his, in quibus ab ultima confessione deliquerat, novam texeret, et sacra se Eucharistia in exitum muniret. Utrique rei annuit, sed neutram peregit; nam procrastinantem mors praefestinans rapuit die decima sexta septembris, quae erat feria quinta anni millesimi sexcentesimi trigesimi secundi, aetatis suae sexagesimo primo, regni vigesimo octavo.

f.181.v. *7. O infinitum auream hominis indolem pernoscentium dolorem et supremam illius infelicitatem! Regem tot naturae et gratiae dotibus exornatum, robore et fortitudine praecellentem, prudentia et munificentia insignem, qui tot victorias a suis hostibus continenter reportaverat, qui, dum verae fidei studuit, tot a Deo beneficia exceperat, in eam mentis caliginem corruisse ut ab illius fide fovenda et promovenda abstiterit et, quamquam illam e corde non deposuerit, causa fuerit ut multi ad deserendam inducerentur, sibi persuasissimum faciens, si Deum ipsiusque fidem posthaberet et reditum ad parentum suorum errores suis permitteret, vulgus ignobile tyranni sequax sibi adiungendum, et imperium in his mundi faecibus et daemonis manipularibus, et non in Deo firmandum, qui in maioribus periculis ipsum nunquam defecerat et, ut superiores hostes subegerat, sic presentes esset subiugaturus! Hac nota et infami stigmate compunctus vitam vir ille finiit, quo nisi conscientiam et famam inureret, aethiopicorum Imperatorum vertex dici posset et cum quibusvis aliis, quos alia suspexere regna et saecula componi.

Exclamatio in eius mortis infortuniae [*sic*].

8. Viginti quinque filii masculi, praeter plures foeminas ante ipsius obitum animos haeresis professione peremerunt. Sed maturato in illorum corpora divinae iustitiae rigor evigilavit; vix enim pater oculos clauserat, cum princeps et novus rex Basilides, ut se a curis liberaret, omnes in vincula compegit, praeter Claudium, qui solus inter caeteros germanus erat; sumpto principio a Iacobo et Iusto, quod nati essent Ite Amata Michelis, secunda patris uxore, inter tigraeos clarissima et sanguinis necessitudine cum eorum po-

Novi Imperatoris in viginti quinque fratres carnificinae.

tentissimis coniuncti et simul in viridi, ac virili aevo, vigesimum quartum, vel quintum annum delibarent et equestri exercitatione essent praevalentes et omnibus gratiosi: quos prius in rupem fortissimam inclusit et paulo post iussit obtruncari. Reliquos deinde ut papaverum capita decussit, quin ullus ante annum vivus superesset, uno excepto, quem Ioannes Akai tigraeus potens, et semper rebellis, ad crudelem nundinationem servabat, ut, eo tradito, quaestuosas pacis conditiones auctionaretur. Quod iam peractum, innocente puerulo in carnificinam abducto. Nec Claudius germani gladium evasit, ut Basilides solus, resectis caeteris tam luxuriosae ac luxuriantis vitis sarmentis, tamquam unicus palmes regnaret. Dignum plane belluinae patris incontinentiae supplicium et infelix male ominati in haerede imperii praesagium! Qui enim firmum esse potest regnum in fraterni sanguinis stagno fundatum? aut quid facere vereretur qui Deum et ipsius fidem abiuraverat, et haeresis gladio tot animarum millia iugulaverat, quot clientes a fidei castris retrorsum abire coegit, nisi ut prius in suum sanguinem et viscera saeviret?

In templo Ganetae conditum Imperatoris corpus.

9. Ganetae Iesu templo, duodecim milliaribus distanti a Dancazio, *commendatum fuit Imperatoris extincti corpus. Funeralem f. 182.
pompam et exequias, ut scripsere p. Emmanuel et Didacus, qui comitati fuere, hic exscribemus. Ferculum fere quadratum cum cratibus, instar thensae, licet minus sublime, aegyptius faber construxerat; huic inductum cadaver bysso involutum. Additum ingens operimentum seu peripetasma serici discoloris in morem vexilli: feralem hunc capulum praecedebant signa militaria, biformi apparatu. Quaedam dicuntur Sendequae, sunt vero hastae, quae globis aeneis inauratis (ut olim romanae aquilis) terminantur, sub quibus vexillula sesquipalmaria appenduntur. Alia proprie vexilla vocantur, quae candido sunt corpore et rubicundis institis variata nec ad extremitates multum oblonga, quae nec armis, nec aliis insignibus notantur. Eorum aliqua a Turcis Abassini coemunt, nec eos pudet illa semilunis picturata vel phrygiata circumferre aut mahometicam superstitionem redolere.

Pompae funeralis ordo.

10. Quinque vel sex cuiusque formae, tam Sendequas quam vexilla, aquiliferi praeferebant, recto semper statu, quin iis terram, aliarum gentium more, verrerent; pone sequebantur tympana raucum et moestum ex intervallo immugientia; mox duo vel tres equi generosissimi, quibus Imperator solitus erat equitare, egregiis phaleris et ephippiis ut in summa laetitia exornati; tandem lauti pueri

et ministri cum variis communis et regalis mundi insignibus: hic chlamidem, ille gladium, alius coronam, galeam, cingulum, baltheum, hastam et clypeum gerebat, eaque inter se et cum aliis vicissim mutabant, et videntes luctuosis gestibus ad lacrymas et suspiria provocabant: in hunc finem Regina longo temporis spatio capite coronam gestavit. Hac pompa in tumulum deductus fuit Seltan Seguedus Socinios, nemine se in comitatum, vel pedestrem, vel equestrem, non ingerente. Regina, filiae et omnes foeminae primariae non passis, sed abrasis crinibus et instita candida latitudinis duorum digitorum a fronte ad occipitium fimbriis retro pendentibus, mulabus vehebantur. Omnes atrati procedebant, sed iis vestis quaevis attrita pulla est, qui tamen summum moerorem prodere volunt, corio vel nigro quolibet panno obteguntur. Nulla hic funalia, vel ullum ex cera vel oleo lumen, nec in templo quidquam praeter indigestos ululatus. Sex tantum vel septem monachi psalmos davidicos ad templi ostia praelegebant.

Novi Imperatoris acclamatio.

11. Sequenti die omnes Dancazium sunt reversi, in cuius conspectum ubi se dedere, pompa eodem ordine quo pridie est instaurata. Capulus vacuus procedebat, prope ipsum quidam, imperialibus vestibus amictus et coronatus, defuncti mula sub serica ipsius umbella, ac si idem esset, ferebatur. Ante ipsum quidam alius optimo ipsius equo regifice instrato, eiusdem galea et hasta armatus
f.182,v. visebatur. Ante Dancazium sex vel septem mi*litum cohortes excubabant, quae huic pompae obviam occurrerunt, mutuis hinc inde clamoribus complorantes et eodem ordine aulae vestibulum et inter caeteros duo patres tenuerunt. Illic equis et mulis desilierunt et graviores in magnum tentorium, in quo novus Rex sedebat cum paucis, qui cum eo manserant, sunt ingressi ubi luctum ad duas horas magnis clangoribus protraxerunt. Patres interim suae se domui credentes, luctu absoluto, novi Regis manum sunt osculati et debitis doloris significationibus pro parentis morte editis, illi imperii successionem sunt gratulati et fausta omnia in futurum a Deo comprecati.

INDEX CAPITUM

LIBRI I ET II

CUM EORUNDEM SUMMARIIS

LIBER PRIMUS.

3. Redit in Orientem. Aethiopiam tenet et in ea detinetur, p. 82. — 4. India mari a Lusitanis patefacta Helena legationem mittit ad regem Emmanuelem. Helenae legatus Lusitaniam tenuit anno 1514. Galvanum in Aethiopiam mittit rex Emmanuel, p. 82. — 5. Limius Galvano mortuo suffectus, post sex annos ex Aethiopia redit, p. 83. — 6. Paulo post Gragna Aethiopiam invadit. David Ioannem Bermudium legatum ad Ioannem III auxilia petitum dimittit. Bermudius a Paulo III Aethiopiae patriarcha consecratur, p. 83. 7. Gragnam Christophorus a Gama primo praelio fundit. Secundo eundem superat. Gragna per hyemem Turcas arabicos sibi adiungit, p. 84. — 8. Iudaeos in Semen montibus degentes Gama prosternit. Redeuntem festinato Gragna aggreditur. 340 Lusitani ab infinita Mahometanorum multitudine premuntur, p. 84. — 9. Gama, ad vendicandum crucis vexillum, se in medios hostes immittit. Gloriosa Gamae caedes, p. 85. — 10. Bellum Gragna in Dambaeam transportat: insequuntur Lusitani. Gragnam duci suo inferias referunt Lusitani. Huius victoriae trophaeum nunc cernitur in oleastro, p. 86. — 11. Claudius Patriarcham in exilium, Lusitanos in praefecturas callide dispergit. De Patriarcha alio mittendo in Lusitania deliberatur. Patriarcha et duo coadiutores eliguntur, p. 86. — 12. Pater Gondisalus Roterigius in Aethiopiam praemittitur. Episcopus Ovietus in eam cum quinque sociis contendit. Claudius ab episcopo excommunicatur, et a Nur adelensi vincitur. Claudii tempore Gallae Aethiopiam arrodunt, p. 87. — 13. Adamas Seguêdus Claudii successor adamantino fuit ingenio in Patriarcham et Lusitanos. Mitior fuit ipsius filius Malac Seguedus. Anno 1577 obiit Patriarcha, p. 88. — 14. Varii patres ex India mittuntur sub Iacobo. Alii subinde sub Seltan Seguedo, p. 88. — 15. Regnum summates Iacobo puero deinde Zadenguili detulerunt. Zadenguil Romanae fidei summe affectus. Illum iidem turbatores sustulerunt et Iacobum subrogare statuerunt. Socinios iidem regnum obtulerunt. 1607. Socinios in sua inauguratione dictus Seltan Seguêdus, p. 89.

CAPUT X. — *Romanae fidei sub Seltan Seguedo auspicia.*

pag. 91-97

Summarium. 1. Imperator ad Dambaeae castra se colligit. Duo patres benigne ab eo excipiuntur, p. 91. — 2. Cum p. Petro Paezio agit de epistolis ad Rom. Pontificem et Lusitaniae Regem, p. 92. — 3. Inter fratres dividit praefecturas. Selâ Christôs laudes, p. 92. — 4. Selâ Christôs in Bagamediro Gallas astu superat. Monachus regni affectu capitur, p. 93. — 5. Selâ Christôs ad Tigraeos mittitur cum ficto Iacobo certaturus, 1608, p. 93. — 6. Imperator Auxumae coronatur. Fictus Iacobus occiditur, p. 94. — 7. Iacobus ab aliquibus adhuc vivere putatur, p. 95. — 8. P. Petrus Paezius ex Tigraeo ad Imperatorem abit pro sontibus deprecator, p. 95. — 9. Gorgorram castra transferuntur, ubi patribus consuetudo cum curialibus, 1611, p. 96. — 10. Ras Selâ Christôs Gojamae prorex, 1612. Illius conversio, p. 96. — 11. Epistolae a Pontifice et Rege Lusitaniae acceptae conversionem accendunt, 1613, p. 97.

CAPUT XI. — *Fidei progressus et adversus illam contentiones.*

pag. 99-104

Summarium. 1. Plurium magnatum conversio, p. 99. — 2. Publicae disputationes de fide instituuntur. Imperatoris praeconium in favorem duarum naturarum, p. 100. — 3. Secundum praeconium cum assensu Abunae, p. 100. — 4. Acta apud Achaferium, p. 101. — 5. Abunae et alterius haeretici inconstantia, p. 101. — 6. Selae Christôs in disputando solertia et fidei constantia, p. 102. — 7. Variae haereticorum machinationes, p. 102. — 8. Haeretici antiquiorum Patrum dictis renuunt, p. 103. — 9. Libros sequendos Imperator edicit, p. 103.

LIBER SECUNDUS.

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Ioseph Ceppetelli Archiep. Myren. Vicesgerens.

RERUM AETHIOPICARUM
SCRIPTORES OCCIDENTALES
INEDITI A SAECULO XVI AD XIX

CURANTE C. BECCARI S. I.

VOL. VIII.

PATRIARCHAE ALPH. MENDEZ S. I.

EXPEDITIONIS AETHIOPICAE

LIBER I ET II.

ROMAE
APUD C. DE LUIGI
Via XX Settembre, 121-122

PARISIIS
APUD A. PICARD ET FR.
82, Rue Bonaparte

LIPSIAE
APUD O. HARRASSOWITZ

IUDICIA QUAEDAM

circa ultima huius operis volumina.

Revista Portuguesa colonial e maritima, num. 118, 10.º anno, 20.º volume, 20 de julho de 1907, pagg. 169-171. [*Documentos ineditos para a historia e geographia de Ethiopia*].

Com o titulo — *Rerum Aethiopicarum Scriptores occidentales inediti a saeculo* XVI *ad saeculum* XIX — emprehendeu o Rev. P. Camillo Beccari, da Companhia de Jesus, a publicação de uma collecção de documentos ineditos relativos á historia politica e religiosa de Ethiopia e á geographia do mesmo paiz. Esta collecção deve constar de dezeseis volumes, dos quaes já sairam cinco magnificamente impressos na *Casa Editrice Italiana*, de Carlo de Luigi, de Roma. O primeiro volume, que é o programma da collecção, contem a noticia e summario dos documentos que o editor se propõe publicar, cujo numero se eleva á 541, e extractos de alguns dos mais notaveis. A maior parte d'esses documentos e os mais importantes são escritos em lingua portuguesa, e por portugueses; por isso a collecção, que para os eruditos é de inestimavel valor scientifico, para os portugueses é de excepcional importancia, e constitue um dos padrões mais duradouros dos relevantissimos serviços prestados em Africa á civilisação pelos portugueses nos seculos XVI e XVII.

Com uma regularidade e perseverança, que bem mostra que a empresa foi maduramente estudada por um homem superiormente culto e ponderado, foram ja publicados os seguintes volumes:

Vol. I. *Noticia e summario das obras e documentos ineditos relativos á Ethiopia;*
Vol. II e III. *Historia de Ethiopia,* pelo P. Pero Paez;
Vol. IV. *Tres tratados historico-geographicos,* pelo P. Manuel Barradas;
Vol. V. *Historia de Ethiopia* (livro I a IV), pelo P. Manuel de Almeida.

O P. Pero Paez . . .; como historiador compoz a *Historia de Ethiopia* em quatro livros, obra de consideravel extensão (2 volumes de quarto de 644 e 585 paginas) que tem servido de base á todas aquellas que depois se seguiram. Para escrever a parte da historia antiga o P. Pero Paez estudou e extractou os livros historicos escriptos pelos naturaes do paiz, parte dos quaes, apezar dos esforços de alguns eruditos, ainda hoje está inedita em manuscriptos depositados nas bibliothecas de Paris, Londres e Oxford. Na parte contemporanea o P. Pero Paez referiu com inteira verdade os acontecimentos á que assistiu e aquelles em que tomou parte. Além d'isso, a sua obra é riquissima em noticias geographicas, chorographicas e ethnographicas, e relativas á fauna, á flora e á mineralogia do paiz. O P. Pero Paez foi o primeiro europeu que visitou e descreveu as fontes do Nilo azul (Abaué), e explicou fundatamente ás suas enchentes.

O P. Manuel Barradas, outro missionario catholico de Ethiopia, entrou neste paiz em 1623, e alli residiu até 1632. Compoz diversos tratados, dos quaes são publicados tres: o primeiro é uma relação do estado da religião catholica em Ethiopia, quando em 1632 o rei Seltan Sagad voltou á sua antiga crença; o segundo é a descripção da provincia de Tegrê, situada junto do Mar Roxo; o terceiro é a descripção da cidade e fortaleza de Adem. Não é possivel dar aqui ideia da riqueza de noticias que contem estes tres tratados, sobretudo o secundo; nelles revela-se o P. Manuel Barradas como observador judicioso e de muito variada erudição.

Emfim o P. Manuel de Almeida, tambem missionario catholico de Ethiopia, entrou neste paiz em 1624, e alli residiu até 1632. A sua *Historia de Ethiopia* em dez livros (dos quaes o primeiro volume já publicado comprehende os livros I á IV) é obra mais completa que sobre o mesmo paiz tem sido composta. Comprehende tudo o que o P. Pero Paez havia deixado escripto, e estendeu-se até o anno de 1646, em que o seu auctor falleceu. Nella se revela o P. Manuel de Almeida como un historiador sincero e judicioso e como escriptor esmerado. A sua obra serviu de base á que depois o P. Balthasar Telles compoz com o titulo da *Historia geral d'Ethiopia a alta,* e publicou em 1660.

Resta agora dizer que o Rev. P. Camillo Beccari se tem desempenhado da difficil tarefa, que se impoz, de modo á merecer o louvor de todos os eruditos; historiador sincero não afastou da collecção os escriptos que poderiam ser menos favoraveis á Companhia de Jesus; os documentos são publicados com escrupolosa fidelidade conforme á todas as regras da paleographia e da critica; as notas elucidativas e os prologos revelam a sua grande erudição e o perfeito conhecimento da historia de Ethiopia. ESTEVES PEREIRA.

Deutsche Literaturzeitung, 1907, 17 august, Nr. 33, S. 2091-2092. — [P. Emm. d'Almeida S. I. *Hist. Aeth.*, lib. I-IV].

Almeidas Aethiopische Geschichte wurde von Balth. Tellez in Auszuge bearbeitet « ita... ut, si quis modo Historiam a Tellez confectam cum primitivo Almeidae opere compararet, vix in illa huius umbram agnosceret » (S. LII). Gleichwohl war Tellez' Bearbeitung ein Astofs für Hiob Ludolf, seine grosse Historia Aethiopica zu schreiben und eine Hauptquelle für diese « praeser-

tim quod animadverterem, omnia pulchre congruere cum iis, quae Gregorius Habessinus... mihi prolixe narraverat » (Iobi Ludolfi Historia Aethiopica, proemium S. 11). Aber Ludolf Wunsch « optavissem utique integram P. Emmanuelis Almeydae historiam videre, et ex ea nonnulla plenius orbi literato tradere » (Kommentar S. 12) musste vergeblich bleiben. In neuerer Zeit hat F. E. Pereira in seinen Schriften zur aethiopischen Geschichte oft die Handschriften des Werks Almeidas benutzt.

Von Almeidas Aethiopischer Geschichte erscheinen nunmehr die ersten vier Bücher, nach der vom Verf. selbst durchgesehenen Handschrift des Britischen Museums (S. XLVIII), von Beccari in gewohnter Weise mit einer lateinischen Einleitung versehen und in gewohnter Weise durch reichliche lateinische Inhaltsangaben am Rande erläutert.

Auf S. XXIV ff. werden aus einem Briefe Almeidas Stellen mitgeteilt, die das grosse Ereigniss jener Zeit, den Abfall des aethiopischen Kaisers von Katholizismus in anderer Beleuchtung erscheinen lassen: Rücksichtslosigkeit der Päpste und der Könige von Spanien und Portugal sei Schuld daran gewesen. — Das erste Buch enthält die Beschreibung des Landes. Im zweiten Buche beginnt die eigentliche Geschichte Abessiniens mit ihren sagenhaften Anfängen, das vierte Buch endet mit der Geschichte des Kaisers Sarsa-Dengel (1563-1597). Vielfach hat Almeida dabei schriftliche aethiopische Quellen übersetzt.

Halle a. S. F. PRAETORIUS.

Id., 1909, 2 januar, Nr. 1, S. 50-52. — [P. Emmanuelis d'Almeida S. I. *Hist. Aeth.*, lib. V-X].

Fortsetzung und Ende der Geschichte Almeidas, vgl. DLZ. 1907, Sp. 2091 f. Im Mittelpunkte des 5.-7. Buches steht jener Paez, über den und über dessen Historia Aethiopiae DLZ. 1905, Sp. 2858 und 1906, Sp. 1449 berichtet worden ist. Seine Wirksamkeit in Abessinien begann unter den Kaisern Jakob und Zadengel (5. Buch), den Nachfolgern des Sarṣa-Dengel, mit dessen Geschichte das 4. Buch schliesst, und erreichte ihren Höhepunkt und zugleich ihr Ende unter dem Kaiser Sūsenyos, Selṭān-Sagad (1607-1632). Obwohl bereits zur Zeit des Kaisers Zara-Jakob abessinische Gesandte auf dem Florentiner Konzil dem Papste gehorsam geleistet hätten (wozu man aber vergleiche Dillmanns Zar'a-Jacob S. 69 f.), sei Geistlichkeit und Volk von Abessinien doch alexandrinisch geblieben bis zu Jakob und Zadengel, welche dem Paez gelobten, für Vereinigung der abessinischen mit der römischen Kirche Sorge tragen zu wollen, aber durch den Tod daran gehindert wurden. Das 7. Buch schildert die nahen Beziehungen Paez' zum Kaiser Sūsenyos bis zum Tode des ersteren (Mai 1622), von den ersten Religionsgesprächen und von dem ersten Briefe des aethiopischen Kaisers an den Papst an bis zu seiner offenen Stellungnahme zu gunsten der römischen Lehre. Sūsenyos scheint es mit dem neuen Glauben persönlich zunächst ziemlich ernst genommen zu haben, wenigstens berichtet der Verf., dass er der Polygamie entsagt und sich mit einer Frau begnügt habe. Dass der vom Kaiser begünstigte und veranlasste Religionswechsel, den zuerst besonders die Vornehmen und die Verwandten des Kaisers mitmachten, auch die heftigsten Gegenströmungen erzeugte, ist ziemlich selbstverständlich; namentlich die Mönche rebellierten und erregten Aufruhr, aber auch sonst vermochte das Volk auf die Dauer nicht, sich mit den neuen Gebräuchen und den strengeren Sitten zu befreunden.

Vom 8. Buche an ist Almeida selbst Augenzeuge der mitgeteilten Ereignisse, oder war zu ihrer Zeit wenigstens selbst in Abessinien. Zunächst hören wir durchaus nur Günstiges für die römische Sache. Der Kaiser selbst erscheint noch als eifriger Katholik, er verbietet die Ehescheidung, setzt einen neuen Mönchsobersten ein, die Bekehrung macht grosse Fortschritte im Lande, und überall werden neue katholische Kirchen gebaut. Aber mit dem Jahre 1627 (9. Buch) setzt der Rückschlag ein, als dessen Förderer namentlich der spätere Kaiser Fāsilādas erscheint. Anhänger des alten Glaubens und falsche Katholiken wollen den Kaiser zur Rückkehr zum alexandrinischen Glauben bestimmen. Zunächst blieb der Kaiser noch standhaft. Der römische Patriarch glaubte, in einigen Nebendingen der Volksstimmung nachgeben zu können, konnte dies aber nicht in Hauptsätzen der römischen Lehre und erregte durch solche scheinbaren Härten Erbitterung. Dem immer lauter werdenden Rufe nach innerem Frieden durch Wiederherstellung der alexandrinischen Lehre konnte sich schliesslich der Kaiser nicht mehr entziehen, so dass er kurz vor seinem Tode nach mehrfachem Schwanken im Juni 1632 unter grosser Freude des Volkes die Rückkehr zum alexandrinischen Glauben verkündete. Das 10. Buch enthält das traurige und blutige Ende der katholischen Mission.

Halle a. S. F. PRAETORIUS.

Razón y Fe, año VII, núm. LXXIII, to. XIX, núm. 1° sept. 1907, p. 123. [*Rer. Aeth. Script....* vol. V, P. E. d'Almeida S. I. *Hist. Aethiopiae* lib. I-IV].

Conocidos son de los lectores de *Razón y Fe* los cuatro tomos publicados de esta obra importante (vease el tomo XVII, págs 119 y 120.) Baste añadir que en el quinto, que hoy anunciamos, ha guardado el P. Beccari el mismo método que en los anteriores. Da una copiosa noticia biográfica del P. Almeida, de la qual se echan de ver las excelentes cualidades que tenia para escribir magistralmente su *Historia de Etiopia*, é indica las fuentes históricas de los sucesos que narra. Todo el libro primero dedica el P. Almeida á la corografia de Etiopia, describiéndola detenidamente. En el libro segundo y tercero trata de los sucesos religiosos, politicos y civiles desde los tiempos más remotos, y en el cuarto narra principalmente los hechos más notables